



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonaë, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

VII. De Divina Psalmodia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

DE DIVINA PSALMODIA,

Ejusque

Causis, Mysteriis & Disciplinis,

*Deque variis ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis
Divinis Officiis,*

**TRACTATUS
Historicus, Symbolicus, Asceticus.**

SIVE

PSALLENTIS ECCLESIAE HARMONIA.

Opus novum & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum.

Augustissimae Caelorum Reginae

MARIÆ DEIPARÆ

*In subalpinis Italiae prope Montem Regalem
Miraculis coruscanti*

D. JOANNES BONA ejus Ecclesiae indignus Abbas

D. D.



*ADSTO pavens, ac tremens altari tuo, Gloriosissima Virgo, & hunc
ingenioli mei fatum, qui tua potenti manu obstetricante in lucem eductus
est, pedibus tuis venerabundus advolvo. Audies hic psallentis Ecclesiae
Filii tui dilectissima Sponse mysticam harmoniam; audies ploratum
multum captiva filia Sion ab hoc miserrimo exilio, in quo incolatus ejus
prolongatur, suspirantis ad patriam; audies maesta Cantica, qua labia
fidelium eructant caelestis tuae Hierusalem amulantium gaudia: audies,
inquam,*

Mmmna 2

inquam, & exaudios. Quid enim suavius potest in auribus tuis resonare, quam preces & Hymni servorum tuorum Deum jugiter collaudantium, & ad ipsum clamantium die, ac nocte? Hoc hujus meae lucubrationis argumentum est, hic scopus. Sacram siquidem, & divinam Psalmodyam, ejusque Historiam, mysteria, & asceticam institutionem nova methodo explicare conatus sum: teque cæptis aspirante, te vires subministrante, quod nequaquam me posse sperabam, tandem perfeci. Indignus forem deinceps tuo patrocinio, Clementissima Mater, ni hoc tuum beneficium ad te rediret. Suscipe igitur quâ soles benignitate hoc qualecunque munusculum, quod templi hujus tholo inter tot que circumpendent aurea, & argentea anathemata reus voti jam pridem concepti affigo: nec enim minus pretiosum, vel tibi gratum fore confido, quam si ex auro vel gemmis compactum esset. Excipe illud & fove munifico amplexu; placidissimus affulgeat illi obitus tua incomparabilis pietatis tanquam solare jubar, ut per omnes orbis Ecclesias radios emittat: ut modum laudandi Numinis omnibus indicet, atque in æternum tui nominis gloria elucescat. Posside me ut rem tuam, ô suprema cælorum Regina, & cum volueris in hac tibi dicata ade agris mortalibus tot impondere beneficia, ne me indonatum hinc patiaris abire. Innova signa, immuta mirabilia. Si hic cæcorum oculos discussâ caligine, ut Solem aspicerent, aperuisti: oculos mentis meae clarissima tua luce perfunde, ut lumen vultus Dei, quod signatum est super nos, puro semper intuitu perspiciam. Si obturatas surdorum aures reserasti; da gaudium & lætitiâ auditui meo interno, ut audiam vocem sponsi loquentis in silentio ad cor Hierusalem. Si mutarum linguarum vincula dirupisti; tribue ori meo sermonem rectum & bene sonantem, ut cum divinas concino laudes, placeant verba mea in conspectu æterni Regis. Si malè affectis pristinam valetudinem depulso morbo restituiisti; sana me diuturna infirmitate laborantem, ut integer animus meus sine ulla ægritudine prave affectionis in die novissimo inveniat. Id precor humillimè ante hanc mirificam imaginem tuam in genua provolutus, hac die solemni, quam nobis venerabilem reddidit Natale tuum, Anno post Verbi in utero tuo admirabilem Incarnationem. CIO IOCLXIII.

P R Æ F A T I O A D L E C T O R E M.

1. **O**Tii Monastici, benevole Lector, rationem reddere incipio, cum hanc meam de divina Psalmodya lucubrationem typis evulgo. Scio quidem hac ætate eruditissimâ scribentibus multa à multis imminere judicia, multas parari censuras: sed recordatus sum cum D. Hieronymo ^a illius versuculi,*

Pollio, & ipse facit nova carmina;

meque cum aliis plerisque tenuit, & corripuit, juxta Satyrici ^b dictum insanabile scribendi cacoëthes: Cum præsertim docuerit me vir magnus Ennodius Ticinensis ^c, non minus de otioso silentio reddendam esse rationem, quam de otioso sermone. Sed istis paginis, inquires, quid erit loci post tot sanctissimos Patres, post tot doctissimos viros, qui

* Hieron. præf. l. 3. in Oseam. ^a Virgil. Ecl. 3. ^b Juven. Sat. 7. ^c Ennod. præf. carmin. 9.

de divinis Officiis uberrima nobis Commentaria reliquerunt? An non hanc spartam fati superque exornârunt, qui viri, & quàm eximii! Isidorus Hispalensis, Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, Rupertus Tuitiensis, & alii innumeri tum veteres, tum recentiores? Ornarunt illi quidem, & Ecclesiasticæ functionis Sacramenta operosissimis scriptis illustrârunt. Sed an ideò sequi pudet, quia illi præceserunt? Nunquid, ut verbis utar D. Hieronymi *d*, aut Tertullianus B. Martyrem Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit à scribendo? Divina eloquia, inquit Chrysostronus *e*, fonti similia sunt largis, perennibusque fluentis scaturienti. Qui ante nos fuere pro viribus suis aquas inde hauserunt: & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neque sic totum evacuare poterunt: sed magis interim auferunt flumina & increfcunt. Rectè Romanus Sapiens *f*. Qui præceserunt, non præripuisse mihi videntur, quæ dici poterant, sed aperuisse. Crescit in dies materia, & inventuris inventa non obstant. Præterea conditio optima est ultimi. Parata verba invenit, quæ aliter instructa novam faciem habent: nec ullis manus injicit tanquam alienis; sunt enim publica. Jurisconsulti negant, quidquam publicum ufucapig. Et si concedamus omnia à veteribus inventa esse, hoc semper novum erit, usus & inventorum ab aliis scientia, & dispositio. Rectè item Damascenus *h*, Nonnunquam id, quod à perfectis relictum est, reperit puelus: & in id, quod prætercursum est à Sapiensibus, incidunt idiotæ: & id quod occultatum est Magistris, comparuit discipulis. Denique alius alio plura invenire potest, nemo omnia *i*. Et sæpè juniore revelat Deus, quod melius est, ait Pater Monachorum *l*.

2. Non fuit autem meum consilium post tot editos de sacris præcationibus libros male recoctam, quod ajunt, cramben fastidioso hujus sæculi palato objicere: sed fiduciam mihi præbuit, aliquid de novo audendi id, quod scribit Augustinus *l* libro primo de Trinitate, utile esse plures à pluribus fieri libros diverso stylo, non diversâ fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. Quod si dixero me in his scriptis methodum servasse, ab aliorum methodo prorsus diversam, magis libera vox erit, quàm superba. Confer, si placet, hunc librum cum cæteris, qui hæcenus de eodem argumento prodierunt, fateberis proculdubio neminem reperiri, qui omnes Divinæ Psalmodiæ partes, mysteria, & disciplinam hæc ratione explicârit. Possum audacter de stylo, & methodo hujus operis dicere, quod Phocas Grammaticus de brevitate suæ artis *m*.

Ars mea multorum es, quos sæcula prisca tulerunt,

Sed nova te brevis affert esse meam.

Possum quoque Paschafii Ratberti verba usurpare dicentis *n*. Expositio mea multorum eruditissimorum est Doctorum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit auctoritas veritatis, sed proprio commendatam stylo, novitas facit esse meam; ita ut tractatus qui de omnibus colligitur, unus verè videatur, & specialiter esse meus. Si quid verò bene tractavi, malo id cum prædicto Phoca *o* lectoris judicio laudari, quàm meâ jactari prædicatione. Simias enim ferunt, inquit Synesius *p*, postquam pepererint in festibus suis tanquam simulachris obtutus defigere præ admiratione pulchritudinis; adeò natura ejus amans est, quod peperit: quamobrem aliis permittenda est in sobolem inquisitio. Ob id

M m m m 3

Ly-

d Hieron. prol. l. 1. in ep. ad Ephes. *e* Chrys. hom. 9. in Genes. *f* Seneca ep. 79. *g* Id. ep. 65. *h* Damasc. orat. de defunctis. *i* Auson. Idyll. 10. *k* Bonad. reg. c. 3. *l* August. lib. 1. de Trin. c. 5. *m* Phocas proëmio de nomine & verbo. *n* Pasch. præf. lib. 6. in Matth. *o* Phocas ibid. *p* Synes. epist. 1.

Lysippus Apellem ad tabellas admittebat, & Apelles Lysippum ^q. Porro si quod peccatum in hoc opere est (& sane plurima peccata sunt) meum est: si quid bonum, si quid laude dignum, non meum, sed alienum est.

3. Ex scriptis probatissimorum Auctorum pleraque meo stylo elicui illud Poëta sequutus ^r.

*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.*

Nonnulla, ut apud ipsos sunt, admiscui, ut, quod ait Bernardus ^s ex vasculorum pulchritudine gratiora fiant, quæ in eis lectori apposuerim. Nec mihi vitio veritas (verba sunt Theodosii Macrobiani ^t ad Eustachium filium) si res, quas ex lectione varia mutuabor, ipse sæpè verbis, quibus ab ipsis Auctoribus enarratae sunt, explicabo: quia præsens opus non eloquentiæ ostentationem, sed noscendorum congeriem pollicetur. Afranius ^u togatarum scriptor, (ex cujus fabulis exempla sæpius afferunt in suis grammaticis institutionibus Sosipater Charisius, & Nonius Marcellus,) in ea togata, quæ Compitalia inscribitur; non in verecundè respondens arguentibus, quod plura sumpsisset à Menandro; Fateor, inquit, sumpsi, non ab illo modo, sed ut quisque habuit, quod conveniret mihi, quodque me non posse melius facere credidi, etiam à Latino. Plautus, Cæcilius, Terentius, & cæteri eloquentes viri, teste D. Hieronymo ^x non solum versus sed multa capita acceperunt ab Antiquis. Quare Terentium Luscius Lavinius criminabatur quasi publici ararii furem: Virgilius compilator veterum dicebatur: Tullius quoque, qui in arce eloquentiæ Romanæ stetit, Rex Oratorum, & Latinæ linguæ illustrator, repetundarum accusabatur à Græcis. Ipse Homerus, ut Eusthathius in Odisseam scribit, furti arguitur à Naucraticis, quod profectus in Ægyptum Iliadem & Odisseam sibi adscripserit, quas ibi reperit in templo à quadam Poëtria jam pridem decantatas. Apollodorus citatus à Laërtio; Si quis, inquit, eximat de Chrylippi scriptis quæ aliena sunt, vacua charta relinquetur. Extat Stephani Forcatuli J. C. elegans Dialogus, qui Prometheus, seu de raptu animorum, inscribitur, alienæ inventionis prædones incessens. S. Ambrosii scripta, ut D. item Hieronymus ^y refert, Origenis sermonibus plena sunt; Exæmeron autem ex Basilio compilavit. Recentiorum libri quid aliud plerumque sunt, quam Centones è pulchrioribus Antiquorum dictis? Secunda pars Theologicæ Summæ D. Thomæ magna ex parte legitur in Speculo Morali Vincentii Beluacensis. Plura capita A. Gellii transcripsit Macrobius. In Eclogis Calpurnii, & Nemesiani iidem quandoque versus leguntur, quos alter alteri sublegit. Si ab Aristotele aliena demantur, qui Phœnix videtur, cornicula apparebit, furtivis nudata coloribus. Plato se reum furti audit accusari, quod magnam partem Philolai transtulerit in Timæum. Alia veterum Scriptorum furta recensent eleganter ex Græcis Clemens Alexandrinus ^z & Eusebius Cæsariensis ^a: ex nostris autem Aurelius Maerobius ^b, Augustinus Eugubinus ^c, & Ludovicus Cresolius ^d. Si quispiam novus Archimedes adesset nobis, qui proprium, & alienum in libris discerneret, si iudicem haberemus Aristophanem, qui mortuorum lin-

^q Lapsus est memoria Synesius nam Lysippum pro Protogene posuit. ^r Lucret. lib. 3. ^s Bern. serm. 3. sup. Missus est. ^t Macrobian. præfat. Satur. u. Afran. apud Macrobian. lib. 6. Sat. cap. 1. ^x Hieron. proe. lib. 4. in Michæam & proem. qq. seu traditionum Hebraic. in Genes. ^y Idem initio Apolog. ad Pamach. & ep. ad eundem de errorib. Origenis. ^z Clemens Alex. 6. Strom. ^a Euseb. lib. 10. præp. Evang. ^b Macrobian. 5. & 6. Sat. ^c Eugub. de perenni Philosoph. ^d Crisost. Theatri Rhet. lib. 5. cap. 9.

quam intelligeret; cum loquuntur per ora vivorum: Si Cratinum, qui libros torqueret, ut latrocinia confiterentur, quot in re literaria fures inveniremus? Texunt plerique libros, sicut ferta ex variis floribus, *Miranturque novas frondes, & non sua poma.* Pauci possunt cum Manilio dicere *e*:

*Nostra loquar: nulli vatam debebimus orsa,
Nec furtum, sed opus veniet.*

4. Ab hoc autem communi vitio haud immunis ego sum: quod ultrò, & ingenuè fateor, ne me quispiam accuset, & lege Julia peculatus damnandum censeat, si hemistychium aliquod, vel integrum versum, sive sententiam probati alicujus Scriptoris meis carminibus, & scriptis immixtum videat. Vix enim fieri potest, ut quis eruditum aliquod argumentum pertractet, quin vel invitus è veterum monumentis plura transcribat. Porò negant Jurisconsultis eum damnari debere, qui pecuniam publicam acceperit, si postea erogaverit. Ligna quidem, & lapides ad hanc structuram ab aliis accepi: at ædificii forma, & constructio mea est. Sanctorum verò Patrum, & antiquorum sententias fideliter ex fonte excerpti rivulorum perosus impuritatem: Verba tamen scrupulosè non sector, dum sensus integer maneat. Nam & Apostoli in citando veteri Testamento aliquando, & media intersecant, & ex pluribus locis unum conflant, ut Hadrianus Papa *g*, Leo Castrensis *h*, & Franciscus Ribera *i* doctè observant.

5. De stylo nihil habeo, quod præfari oporteat: possum autem cum Cassiodoro humilem verecundè promittere, mediocrem non improbè polliceri. Sacra doctrinæ profanam conjungere eruditionem, ubi necesse fuit, non dubitavi præclarissimorum Ecclesiæ procerum insistentem exemplo *l*. Sapientia enim vocat ancillas ad arcem, & gentilis puella in conjugium assumitur à Judæo. A malis etiam Scriptoribus aliquando abstinere non potui, Senecam imitatus, qui volens Publum Mimum citare, ait *m*: Nunquam me in bona re mali pudebit auctoris. Librum in capita, capita in paragraphos subdivisi, quia, ut monet Fulgentius *n*, lectoris renovat studium temperies distincta librorum. Et sicut labor viatoris hospitio, ait Augustinus *o*, ita libri termino reficitur Lectoris intentio.

6. De singulis Officiis, eorumque partibus non ea dumtaxat, quæ ad Historiam pertinent, sed symbolicas insuper rationes, & asceticam doceo disciplinam. Ascetas autem illos vocat Philosophi, qui solidarum virtutum exercitationibus incumbunt: quare Patres Græci Monachos Ascetas, & Monasteria Asceteria, atque tractatus de virtutum exercitatione Asceticos nuncuparunt *p*. Quæ omnium scriptis evulgata sunt, prætermisi quandoque, quia operæ redundantis est, cunctis nota replicare *q*: atque omnia persequi velle, aut nimia miseræ, aut inani jactantiæ adseribi solet.

7. Solutæ operationi quædam Poëmata intermiscui vario carminum genere, ut, si minus à stylo, saltem à versuum varietate placerent. Laudem ab istis non quæro. Licet enim scribat Cicero, neminem se Poëtam cognovisse, qui sibi non optimus videretur: novi tamen ego, quam sit mihi curta supellex, & jure cogor mirari cum Satyrico *r*, quomodo fieri potuit, ut sic repente Poëta prodirem. Ignosce Lector, cum possem culpa carere, malui hanc deprecari; id nimirum exigente genio meo, cui in hac re non-obsequi,

& si

e Manil. Astronom. lib. 2. *f* ff. ad. l. Fuliam pecular. l. 4. *g* Hadr. I. ep. 3. pag. mibi 740.
h Leo in c. 8. & 9. Isaiæ. *i* Ribera. in c. 13. Osee n. 33. *k* Cassiod. præf. lib. 1. Variar.
l August. de doct. Christ. lib. 2. cap. 18. & 40. Nazianz. orat. 20. *m* Sen. de Tranquil. cap. 11.
n Fulg. inf. lib. 1. ad Monimum. *o* Aug. in s. lib. 1. con. ad ver. leg. & Prophet. *p* Simmach. lib. 6. ep. 38. *q* Plin. l. 7. c. 37. *r* Cic. 5. Tuscul. *s* Persius init. Satyrar.

& si voluiffem, non valuiffem. Adde, quod & rationem Divinarum Laudum fequutus fum, quæ Hymnis constant, & profa. Neque tamen fortuitò in Poëticos paffim fonos crumpo, fed ibi duntaxat, ubi forma quædam fubeft, vel materia Poëticæ. Mifcere verò Poëtica Philofophicis docet me, teftè Ficino * omnis antiquitas, idque olim è Græcis ufuratum afferit Cicero in Tufculanis **. Idem permittunt, & laudant Plutarchus x, Jamblicus y, Plinius z, & ex noftris Pacianus a, atque Ambrofius b. Nec defunt exempla: nam profæ verfus mifcuere doctiffimi viri Valerius Martialis, Staius Papinius, Decius Aufonius, Lucianus Samofatenus, Theodorus Prodromus, Petronius Arbitr, Fulgentius in Mythologiis quicumque ille fit, Martianus Capella, Severinus Boëthius, Valerius Probus, Phocas Grammaticus, Curius Fortunatianus Rhetor, Junius Moderatus Columella, Sidon. Apollinaris, Venantius Fortunatus, Ennodius Ticinenfis, Marcus Varro in Satyris Menippæis, Seneca in ludo de morte Claudii, & multi Recentiores. Si quis autem à Poëticis alienus fuerit, Poëtica non legat, ea enim ratione compofita funt, ut fine difpendio cæterorum omitti poffint.

8. Dicam ego de hoc libro, quod Chryfoftomus de fuis fermonibus c: Licet omnes non legant, pars faltem dimidia leget. Quod fi nec dimidia quidem portio legerit, vel tertia pars. Quod fi nec tertia, nec quarta, funt faltem decem. Quod fi nec decem, faltem quinque. Quod fi nec quinque, unus faltem. Et fi nec unus, mercedem tamen perfectam pro meo labore, & bona intentione accepturus fum. Dicam cum Chriftiano Druthmano Monacho d; Ego nulli nolenti juffero, aut legere, aut habere hunc librum, fed qui voluerit: & fi aliquis hunc deteftetur, ordinet meliorem, & ego voluntariè ipfum fufcipio, nam ifte nihil ulli nocet. Dicam & cum Aspensio Citharædo, atque cum Hifmenia tibicine quorum præclari viri mentionem faciunt e, Novi intus mihi ipfi, & Mufis canere. Mihi foli fcripfi, mihi scenam ftruxi. Sufficiunt, mihi pauci Lectores, fufficit unus, fufficit nullus. Dicam tandem cum Valerio Martialis f.

Si nimius videns, feraque coronide longus

Esse liber, legito pauca, libellus ero.

Vale, mi Lector, & fi quid ex hujus libri lectione profeceris, Deum lauda, & ora pro me.

* Ficin. l. 3. epift. ad Baron. Fontian. u Cic. 2. Tufcul. x Plut. comm. Quomodo adol. Poetas audire debeat, y Jambli. lib. 2. de vita Pythag. cap. 3. z Plin. junior. lib. 7. ep. 9. a Pacian. ep. 1. adv. Novatianos. b Ambros. l. 3. de fide ad Gratian. cap. 1. c Chryf. tom. 1. hom. de Paradif. & Scripturis. d Druth. prol. in Matth. e Ambros. præf. in Pfalm. Hieron. lib. 2. ad Ruffin. c. 8. Dio Chryf. or. 78. Seneca ep. 7. f Martial. mit. lib. 10.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiff. P. Sac. Palatii Apoft. Magiftro.

Afcanius Rivald. Viceger.

Imprimatur. Fr. Vincentius Cepolla Magift. Reverendiff. P. Magiftri Sacri Palatii Apoftolici Socius Ordinis Prædicat.

PSAL.

PSALLENIS ECCLESIAE HARMONIA.

TRACTATUS

Historicus, Symbolicus, Asceticus,

DE

DIVINA PSALMODIA,

*Ejusque Causis, Mysteriis, & Disciplina;*Deque variis ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis
divinis Officiis.

CAPUT I.

*De antiquitate & excellentia divina
Psalmodiae.*

METRUM I.

M Agnum opus aggregior laudum veneranda
sacrarum
Dogmata, & arcanos Hymnorum pande-
re ritus.

Quid Psalms, sanctaeque preces, quid mystica templi
Religio, quid dia notent modulamina certis
Horarum spatium summo resonantia Regi.
Quamvis priscorum dudum hac illustrata scriptis
Emiteant; mihi plura tamen penetranda super sunt.
Angelicis cantus, vixque ulli audita priorum
Verba referre juvat, superosque recludere sensus.
Tu Deus ignitis olim qui corda replesti
Linguarum pluvius, tanti tu muneris auctor
Dexter ades, nutuque tuo referare latentes
Sacrorum causas liceat, gratissima dona
Mystis, mortalem sine te psallentia sensum.
Tu quoque divini purissima mater Amoris,
Lux mundi, calique decus, quae prodiga terra
Ethiopes largiris operes, ac dextera
Effundis super a septena charismata lucis;
Duc age, Diva, tuum salebroza per invia vatem,
Te sequor, audaci labor hic tibi militat ausu.
Este mihi faciles & vos clarissima mundi

Lumina, vos cali proceres, vos conscia Christi
Pectora, fideis vos me succendite flammis.
Forsthan hac Laticas volitantia scripta per oras
Accendent pietate animos, cultuque perenni
Crescet in immensum divina gloria laudis.

§. I.

Antiquitatis quanta sit vis. Divinarum lau-
dum antiquissima origo. Religio solius ho-
minis propria. Cur homo recte stator.
Ignorantia malorum radix. Dei cognitio
difficillima. Quaedam obiter adversus
Atheos.

I. **S** Citè quidem dictum est ab Arnobio
Religionis auctoritatem non esse tempore
æstimandam, sed Numine: scitè quoque Ter-
tullianus scripsit ^b, res divinas debere potius de
sua veritate, quam de vetustate censi; sed
quia filiorum hominum mendacium in stateris
opinio est, id solum præstantissimum esse,
quod est antiquissimum, operæ pretium me
facturum existimavi, si in ipso tractationis
limine diligenter investigarem, quibus Divi-
næ laudes adoleverint incunabulis, ut illarum

Nnnn vide-

a Arnob. lib. 2. contra gentes. b Tertull. lib. 1. adv.
Marcionem.

videlicet cognito exordio, dignitas simul & excellentia claris innotescant. ^c Quod si ad vulgi mentem tanta longævæ durationis potestas est, ut miscendo humana Divinis, multarum urbium & populorum initia ad Deum aliquem referre, & augustioribus primordiis consecrare poterit; hæc sanè gloriâ sacras preces non carere argumento esse multa possunt.

2. Fama in primis exploratissimæ sanctitatis sacrarum literarum irrefragabili testimonio, omniumque sapientum consensu confirmata. Tum natura ipsa Dei cognitionem mortalium animis ingenerans, quem cognitum summis laudibus profèqui, ejusque auxilium in omnibus implorare ejusdem naturæ ductu edocemur. Quis enim abscondi potest, ut non sentiat Dei beneficia, ut non ejus experiatur amorem? Aut quis Divinæ largitatis munificentia locupletatus non ei protinus offerat *hostiam laudis, fructum labiorum consentientium nomini ejus* ^d? Natura, inquit Simplicius ^e, non homines soli, sed & muta animalia, plantæ & lapides, omnesque res pro cuiuslibet facultate singula ad Deum conversa sunt. Homines verò præterea statim à pueritia ad Dei cultum à parentibus assuefiunt, communesque hominum sententias sequuntur. Omnes namque homines, & Barbari, & Græci tam priore infinito tempore, quam nunc, licet alii aliis sententiis, Deum esse arbitrabantur. Et, ut scribit Jamblicus ^f, ante omnem rationis usum inest cuique naturaliter insita Deorum notio. Nam quia mundus factus est, ait Plotinus ^g, si mentis aures ad hunc convertere libeat, forsitan audiemus ita clamantem: Me proculdubio fecit Deus. Eodem sensu Epictetus ^h apud Arrianum; Ex ipso, inquit, apparatu operum solerti & artificioso pronuciare solemus effectorem esse artificem aliquem, nec temerè & casu evenisse ista. Ergò horum quidvis suum nobis declarat artificem: aspectabilia verò illa in mundo corpora, inspectiones etiam, & oculis undique lumen effusum opificem suum non testabuntur? O multam cæcitatè, exclamât Trismegistus ⁱ! o multam impietatem! o multam perfidiam! Simulachrum, aut imaginem sine sculptore, aut pictore nullus fieri dicet, hoc autem opificium sine opifice factum erit? Cui consonans Tul-

lius ^k; Quid potest, inquit, esse tam apertum, tamque perspicuum, cum cælum suspeximus, cœlestiaque contemplati sumus, quam esse ali-quod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Quod qui dubitat, haud sanè intelligo, cur non idem sol sit, an nullus sit dubitare possit. Nemo est enim tam rudis, tam feris moribus, ait Lactantius ^l, qui non oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat cuius Dei providentia regatur hoc omne, quod cernitur; aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione. Rectè Gregorius Nazianzenus ^m; Sicut quispiam citharam pulcherrimè confectam & elaboratam conspiciens, ejusque concinnitatem & constitutionem; aut etiam ipsius citharæ cantum audiens, nihil aliud, quàm ipsum citharæ conditorem, atque citharæcedum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiamsi de facie ignotum: eodem modo is nobis, qui res efficit, effectasque movet atque conservat, manifestus est, etiamsi mente minimè comprehendatur. Rectè item Theophilus Patriarcha Antiochenus ⁿ: Sicut anima in humano corpore non videtur invisibilis existens, verum ex corporis motu cognoscitur; sic nec Deus corporis oculis videri potest, cæterùm ex providentia, qua singula ordinat, intelligitur. Quemadmodum si quis cernat navim suis armamentis instructam mare sulcare, & in portum appellere, certè credit aliquem, à quo gubernetur in ea esse gubernatorem: sic certè nemo adeò abjecti animi est, quin credat Deum esse gubernatorem omnium, quamvis ipsum oculis carnalibus non assequamur.

3. Ideò religionem virtutum omnium moralium excellentissimam mortalium animis insereit Deus, ut quos eadem humanitas forti nexu inter se ligat, una eademque religio Deo religet omnipotenti. In hoc totius vitæ nostræ summa ratio consistit, ut summum illud Numen ante omnia cognoscamus, cognitum purgatissimâ pietate veneremur. Utrumque actum docet religio omnium bonorum firmamentum, & mater totius mundi pacatissima beatitudo. Hæc sublata, si quis mundum dixerit cælum esse sine sole, nihil dixerit: Nox mera erit, & quod nocte dete-

^c T. Livius initio histor. d. Ad Hebræos cap. 13. 15. e. Simplicius in Epictet. c. 67. f. Jamblic. de myster. Egypt. cap. 1. g. Plotin. Enneade 3. lib. 2. c. 3. h. Epict. lib. 1. c. 6. i. Trismeg. Pimandr. cap. 5.

k Cicero lib. 2. de nat. Deor. l. Lactant. divin. instit. lib. 1. c. 2. m Nazianz. orat. 2. de Theolog. n. Theoph. lib. 1. ad Antiochum.

deterius est, nihilum & inane. Hâc solâ tanquam rationalis naturæ præclarissimâ dote super bestias & universâ pecora præcellit homo. Artium enim & gubernationis industria, ipsa quoque ratio, atque internos animi sensus exprimens sermo aded hominem non distinguunt à brutis, ut plerique Philosophorum illud etiam inani subtilitate disputare præsumpserint. Num brutis animantibus inest ratio. Sola religio est, cujus in brutis nullum extat vestigium. Eleganter Lactantius in hanc sententiam; Summum hominis bonum in sola religione est. Nam cætera omnia, quæ putantur esse homini propria, in cæteris quoque animantibus reperiuntur; cum enim suas voces propriis inter se notis discernunt atque dignoscunt, colloqui videntur: ridendi quoque ratio apparet in his aliqua, cum demulsi auribus, contractoque rictu, & oculis in lasciviam resolutis aut homini alludunt, aut suis quisque conjugibus ac foetibus propriis. Jam illa, quæ sibi prospiciunt in futurum, & cibos reponunt, habent utique providentiam. Rationis quoque signa in multis deprehenduntur. Nam quando utilia sibi appetunt, mala cavent, pericula vitant, latibula sibi parant in plures exitus disparentia, profectò aliquid intelligunt. Incertum est igitur, utrumne illa, quæ homini tribuuntur, communia sint cum aliis viventibus: religionis certè sunt expertia. Hinc omnium hominum sapientissimus humanam naturam diffiniens non à rationalitate essentiali ejus differentiam desumpsit, sed supra communem Philosophantium scholam altiori sublimate fastigio, Deum inquit, time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo. Ergò necessariâ consecutione infert Bernardus, si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo. Cultus enim Divinus, juxta Platonicos, ira fermè hominibus est naturalis, sicut equis hinnitus, & canibus latratus. Chryostomus aureâ suâ eloquentia illud Genesios explicans: *Hæ sunt generationes Noe: Noe*

o Plutarchus in opusc. de hacre, & Sextus Empyric. l. 1. Pyrrhonorum cap. 34. p. Lact. lib. 3. c. 10.
 q. Bruta uti ratione affirmabat Celsus Epicureus, ut ait Origenes lib. 4. contra ipsam. Vide item Porphyrium lib. 3. de Abstinentia. Lud. Vives lib. 2. de Anima, Lal. Biscolam tom. 2. Hor. Subc. lib. 1. cap. 4. & Joan. Euseb. Nierenberg. lib. 3. Hist. nat. r. Eccles. 12: 13. f. Bern. ser. 20. in Cantic. t. Ficinus lib. 14. Platon. Theologia. cap. 9. Gen. 6: 9.
 u. Chryf. hom. 23. in Gen.

vir justus, atque perfectus fuit. Rarus inquit & novus genealogiæ modus. Nam ut Scriptura dixit, *Hæ sunt generationes Noe*, aures nostras excitavit, quasi genealogiam illius narratura, & quis ejus pater fuerit, & unde genus duxerit, & quomodo in hanc vitam editus, & alia quæ mos est genealogias narrantibus recensere: relictis tamen illis omnibus, & aliorum consuetudinem superans inquit, *Noe vir justus atque perfectus fuit.* Nam quia cæteri homines ob carnales voluptates, quibus immerfi erant, amiserant esse homines, iste in tanto populo hominis imaginem servavit. Quæ autem est imago hominis? Rationalem esse. Quid ergò? an non & illi fuerunt rationales? Verum non hoc solum fuerit hominem esse, sed & virtutibus esse deditum, & vitia fugere; illicitis affectionibus imperare, & mandatis Dominicis obtemperare. Nam cum in malum declinant homines, & servi fiunt irrationalium vitiorum, hominis nomenclatura se reddunt indignos, & cum bestiis computantur. Quando enim, sicut idem alibi scribit, ut asinus calcitras, ut taurus exultas, libidine incensus sic hinnis ut equus: quando in epulis urforum imitatis voratum, & pinguedine corporum mulorum more distendis: cum exercenda similitate camelum, lupum imiteris rapinâ: cum irascaris ut serpens, & atrocitate scorpionum percutias: cum subdole insidieris ut vulpes, ac veneno malignitatis armeris ut coluber & vipera: quâ ratione in hominum te possum numero collocare, nulla in te cernens signa humanæ naturæ? Sanè qui hujusmodi est, inquit Cydonius, non homo vocari debet, sed portentosa bestia, quales in fabulis describuntur, qui solo aspectu fallam hominis speciem præ se ferat.

4. Hominum verò brutorumque discrimen ipsa corporum figuratio demonstrat. Cætera animantia prona facie incurvantur in terram, quia ventris, in quem deslectuntur, solas sequuntur voluptates: Homo recto stat corpore despicitque terras, ut qui erecto vultu intuetur cælum, quæ sursum sunt quærere discat, non quæ super terram. Rectè Silius.

Nonne vides hominum ut celsos ad sidera vultus
 Sustulerit Deus, ac sublimis sinxerit ora:
 Cum pecudes, volucrumque genus, formamq; ferarum
 Segnem, atque obscenam passim stravisset in alvum?

Nnnn 2 Solus

x. Idem Hom. 4. in Matth. 7. Cydon. orat. de contemnenda morte. 2. Silius Italic. lib. 15. v. 84.

Solus nempe homo, ait Ruricius Lemovicensis Episcopus ^a de omnibus animalibus sublimis creatus est, ut auctorem suum semper cœlo intentus aspiciat, non mundalia opera solo defixus exerceat. An non confunderis, exclamat Bernardus ^b, sursum caput habere, qui sursum cor non habes? corpore rectus stare, qui corde repis in terra? His autem qui terrena sapiunt, quam læti illudunt dæmones prophético sermone dicentes ^c, *Incurvare, ut transeamus?* Propterea, ut scribit Julius Firmicus ^d; Nihil aliud, dum in hac vitæ brevitate sumus, nobis elaborandum est, nisi ut terreni corporis labe purgatâ, & amputatis, si fieri potest, omnibus vitiis, incorruptam animi divinitatem, & nullâ scelerum contagione pollutam auctori nostro reddamus Deo, ne divinæ fabricationis immemorem animum vitiosis libidinum laqueis implicatum, tamquam projectum per præcipitia perdamus. Nihil enim debemus cogitare terrenum, præsertim cum sciamus, fabricatorem nostrum Deum ita nos divini artificii moderatione fecisse, ut recti corporis forma ab omni humilitatis dejectione deposita, nihil aliud primum patefacta oculorum acie, nisi Solem & Lunam, stellasque & horum omnium pulcherrimum, atque immortalabile domicilium videremus. Simile est illud Octavii apud Minutium Felicem ^e. Præcipue cum à feris belluis hoc differamus, quod illa prona, in terramque vergentia nihil nata sint prospicere, nisi pabulum; nos quibus vultus erectus, quibus suspectus in cœlum datus est, sermo & ratio, per quæ Dominum agnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare nec fas, nec licet ingerentem sese oculis, & sensibus nostris cœlestem claritatem. Sacrilegii enim vel maximi instar est humi quærere, quod in sublimi debeas invenire. Augustinus ^f item sic de hac re philosophatur; Figura corporis non prona, sed erecti sumus. Qua in re admonemur ab eo, qui nos fecit, ne meliorem nostri parte, id est animo, similes pecoribus simus, à quibus corporis erectione distamus. Sed sicut corpus ad ea, quæ sunt excelsa corporum, id est ad cœlestia, naturaliter erectum est; sic animus, qui substantia spiritualis est, ad ea quæ sunt in spiritualibus excelsa erigendus est, non elatione superbiæ, sed pietate justitiæ. Propter hoc enim, ait Chryso-

stomus ^g, rationales facti sumus, & à brutis differimus, ut laudemus, celebremus, glorificemus jugiter Dominum omnium conditorem.

5. Rectus itaque Deus rectum hominem fecit, at ille recto corpore curvum animum gerens tantum Dei munus neglexit, & degeneri conversatione naturæ jura transgrediens cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis ^h. Prodiit hæc perversitas ex ignorantia, ex infecta radice pessimus frutex. Quam veritatem in cæca errorum nocte Philosophus Chæronensis ⁱ videns, inscitia Deorum, atque ignoratio, inquit, jam inde ab intio in duos quasi rivus dimanans ab una parte in duris ac refractariis ingeniis, tanquam in aspero solo, impietatem, quæ nullos putat esse Deos: ab altera velut in molli ac tenero solo superstitionem animis lenibus ingeneravit. Nam, ut unum omnium rerum principium fuit, cujus omnipotentia è nihilo cuncta produxit, ita olim una de illo scientia erat, atque una religio, quæ cum primis parentibus nata ad posterum est devoluta, ut in libris de perenni philosophia doctissime differit Eugubinus ^k. Sed cum ingenti propagatione diffusi longius à se homines recessissent, spretoque virtutum exercitio rebus dumtaxat terrenis incumberent, tum rerum præteritarum memoriam, tum ipsum Dei cultum neglexerunt. Ita solet fama non tam vires acquirere, quam perdere eundo: sicut aqua in plures rivulos derivata, quod magis à fonte recedit, eò insalubrior evadit. Hoc modo labefactata religio tot fabulis ac figmentis violata est, ut non minus in Dei cognitione, quam in ejus cultu maxima inconstantia, & veri ignoratione plerique mortalium errarint. Nam veri Dei vera notitia vix in una Israëlitiæ gentis profapia integra mansit, sicut scriptum est: *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus* ^l. Unde & Ethnicus quidam scriptor ^m de illius populi moribus differens, Diversum, ait, à reliquis hominibus obtinent, cum aliis in rebus usque vitæ quotidiano, tum eo præsertim quod nullum ex cæteris Diis colunt, suum illum Deum ineffabilem, invisibilemque existimantes. De quibus & Sartyricus cecinit ⁿ.

Qui

^a Ruric. l. 2. Ep. 42. ^b Bern. serm. 12. de diversis. ^c Isai. 51. 23. ^d Julius Maternus Firm. præf. lib. 8. Mattheos, ^e Min. Felix in Octavio. ^f August. lib. 12. de Trinit. c. 1.

^g Chrys. hom. 26. in Gen. ^h Psalm. 48. ⁱ Plutarc. initio lib. de superstit. ^k Aug. Eugubin. lib. 1. de per. Philosophia. ^l Psalm. 75. ^m Dio. Cassius lib. 37. histor. ⁿ Juvenal. sat. 14.

Quidam sortiti metuentem Sabbata Patrem Nil præter nubes, & cæli Nomen adorant:
 Quosdam quidem fuisse extra genus Israëliticum, qui ad cælestis civitatis confortium ante Christi tempora pertinerent, ostendit Augustinus * : sed hi paucissimi sunt, vixque numerum faciunt, si cum infinita perditorum hominum multitudine comparentur. Gens enim humana semper malè de Deo meruit, ut loquitur Tertull. † primò quidem ut inofficiosa ejus, cum intelligeret ex parte non requisivit, sed & alios insuper sibi commentata est, quos coleret: dehinc quod non inquirendo innocentiae magistrum, & nocentiae judicem, & exactorem, omnibus vitiis, & criminibus inolevit. Cæterum si requisisset, sequeretur ut cognosceret & recognosceret requisitum, & recognitum observaret, & observatum magis propitium reperiretur, quam iratum.

6. Difficile quidem est, quis & qualis sit Deus, absque divini luminis illustratione dignoscere, nam, ut Heraclitus apud Themistium † dicit; Natura latere gaudet, & ante naturam naturæ opifex, quem vel ea de causa veneramur, & admiramur, quod minimè sit expedita ipsius cognitio, nec sine sudore comprehendi possit. Et ut Magnus Gregorius scribit †; Penè omne quod de Deo dicitur, eo ipso jam indignum est, quod potuit dici. Nam cujus laudi non sufficit obstupescens conscientia, quando sufficere loquens lingua? Notum est illud Simonidis apud Cicero-nem †; qui ab Hierone Rege Siculo interrogatus, quid Deus sit, diem unum huic considerationi petiit: elapso illo, nondum sibi liquere dixit, & biduum in eandem deliberationem postulavit, elapso & biduo, triduum sibi depoposcit: denique id unum respondit, quo plus cogitaret, plus cogitandum occurrere; minus atque minus expediri se, quo diutius in hac cogitatione luctaretur. Hanc Simonidis cunctationem admirandam omnibus, & sectandam, ait Cæcilius apud Minutium Felicem †. Tantum enim virium non habemus, inquit Plutarchus †, uti nostra ratione assequi Dei cognitionem valeamus. Et Fulgentius †; Quomodo, ait, sufficienter, aut dignè loqui poterit quis? de quo? homo

de Deo, mortalis de immortali, visibilis de invisibili, parvus de immenso, temporalis de æterno, de creatore creatura? Auctor item libri de operibus Christi cardinalibus apud Cyprianum, quem esse Arnoldum Abbatem nuper repertum est. Assertio, inquit, de Dei essentia in promptu haberi non potest, neque enim diffinibilis est Divinitas, sed verius, sinceriusque remotio indicat negando quid non sit, quam asserendo quid sit. Atque, ut docet Ficinus †, sicut sol sine sole non cernitur, ita neque Deus sine Deo cognosci potest. Sapienter Hilarius † Pictaviensis Episcopus; Deus invisibilis, ineffabilis, infinitus, ad quem & eloquendum sermo fileat, & investigandum sensus hebetetur, & complectendum intelligentia coarctetur. Perfecta scientia est sic Deum scire, ut, licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias. Credendus est, intelligendus est, adorandus est, & his officiis eloquendus est.

7. Esse verò Deum, eumque unum, infinitum, sapientissimum, & immortalem adeò manifestum est, ut omnino inexcusabiles sint, non illi, qui dicunt in corde suo, Non est Deus †; sed & illi, qui, ut dicit Apostolus †, Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & voluerunt, & quadrupedum, & serpentium. Dum enim abjecta, & indigna veneratione lignum adorabant, & lapidem, debere se cultum conditori omnium profitebantur. Invenissent proculdubio Deum, si inquirendi apponere voluissent affectum, dicente Domino †, Quærite, & invenietis: nec eò dementiæ devenissent, ut terram colerent, quæ idcirco pedibus nostris subiecta est, ut calcanda nobis sit, non adoranda. De humano videlicet arbitratu Divinitas pensatur, ut loquitur Tertullianus †: omnisque error religionis inde promanat, teste Augustino †, quia anima pro Deo suo phantasmata sua colit. Et quidem lex intus inserta docuit Numinis venerationem, sed negligentia, & contumacia invenire non meruit veritatem: quia cum veritatem cognoscerent, & contemnerent, jure receperunt in pœnam, ut nec cognoscerent. O stultitiam filiorum hominum sub vestigiis pedum suorum Deum sibi quærentium, quem adorarent!

Nnnn 3 Non

† Ficinus lib. de Christ. relig. c. 2. † Hilar. lib. 2. de Trinitate. a Psalm. 13. b Ad Rom. 1:21. c Matth. 7:7. d Tertull. Apolog. cap. 5. e Aug. de vera relig. cap. 9.

o Aug. lib. 18. de civit. Dei c. 47. p Tertull. in Apolog. cap. 40. q Themist. grat. in laudem Joviani. r Greg. lib. 20. mor. cap. 23. s Cic. lib. 1. de nat. Deorum. t Min. Felix. in Oratione. u Plut. in lib. de Pythia oraculis. x Fulg. serm. de duplici nativ. Christi. In pref.

Non pudet in Divos seles, & bruta referre?
ait Sibylla apud Theophilum f; & ut Christia-
nus Poëta g canit,

Nonnulli venerantur olus, mollesque per hortos
Numina sicca rigant.

Ægyptii scilicet, quorum nascencia in hortis nu-
mina quoque Ethnicus Poëta h irridet in Satyra:
ut non immeritò Regius Propheta i in speciem
acerbioris vindictæ imprecatus sit, ut similes Diis
suis cultores eorum efficerentur. Hæc duplex in
orbe terrarum viget impietas, duplex atheismus,
ut Philotheus k affirmat Episcopus Constanti-
nopolitanus, Deos nimirum sibi fingentium,
cultumque creatoris transferentium ad creaturas:
& eorum, qui Deum omnino negant, qui, ut
Satyricus cecinit l,

— In fortuna casibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis, & anni:

Atque adeò intrepidè quæcumque altaria tangunt.
Hoc summum nefas est, & ad omnem malitiam
gradus.

Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris
Naturam nescire Deum. m

Quamquam affirmat Plato n magna mens Phi-
losophorum, neminem unquam, qui hanc opi-
nionem de Diis habuerit, quod non sint, in hac
sententia ad senecturem usque perseverasse.
Deum enim, inquit Paulus Orosius o, quilibet
hominum contemnere ad tempus potest, nesci-
re in totum non potest. Maximus Tyrius p do-
ctissimus Platoniorum: In tanta, ait Philoso-
phorum pugna, contentione, ac dissonantia,
nusquam gentium cernere est aut leges, aut ratio-
nes non in hoc saltem omnes convenire, quod u-
nus Deus Princeps, ac Pater omnium existat.
Hoc non solum fatetur Græcus, sed & Barbarus,
sed & insularum, & continentis habitator: ipsi
denique qui sapientiam abnegant. Nam quo pã-
cto rationem hominis obtinere poterit, qui
Deum negat animæ suæ parentem? est enim ho-
mo, ut Hildebertus Episcopus scribit q, animal
divinum, & quasi quodam participio Numinis
insignitum. Ossibus, & carne parentem circum-
fert, & sapit terram; ratione Deo se propin-
quum, & affinem denuntiat. Porrò brutalem

f Theoph. lib. 2. ad Antolyc. g Sedulius carm. pasch.
lib. 1. h Juven. sat. 15. i Psalm. 113. k Phil. in
laud. SS. Basilii Greg. & Chrysostomi. l Juven. sat.
13. v. 86. m Silius lib. 4. v. 794. n Plato 10. de
legibus. o Oros. in 1. lib. 6. Histor. p Maxim.
Tyrius serm. 1. q Hildebert. Epist. 56.

Atheorum impietatem, quamvis non sit hujus lo-
ci pluribus redarguere, libet eam tamen hoc
claudicante metro detestari.

METRUM II.

Ergonè quispiam sub axe colorum est,
Delius adeò, ut dicat in suo corde
Non est Deus? vel plenus improbis votis,
Orbis Monarcham, siderumque rectorem
Turpi veterno publica rei ignarum
Clausum latere in adibus poli credat?
Sicne in Deum conspirat, & minas jactat
Vilis homo, spoliū mortis, urna factoris,
Lutosa terra massa, pulveris saccus?
Ergo solutus Numinis metu infelix
Sic in diurna luce sponte caligas,
Natura apertis abnegans fidem dictis?
Videsne ut undas legibus nitens Phœbe
Temperet? ut uda comprimat Theris fluctus
Tenuis arena terminum mari ponens?
Ut semper Helles portitor, parens florum
Jussit adaquet partibus diem nocti?
Vides ut æstu torridus serus cancer,
Caprique fidus algidum statis horis
Sistant diem, solisque cursus metat
Ponant? ut errent fulgida poli flamma,
Serventque certo sædere inditas leges?
Quis voluit astrat? quis rotat vices rerum?
Quis è recondito, absditoque thesauro
Edacit Aëoli juvenis insanam
Turbam, procellarumque concitat nimbos?
Quis lacte pingit liliam, quis argento
Ligustra, calidas ignibus, rosas auro?
Quis universam graminumque, florumque
Hortique, pratique decorat venustatem?
Anne reperiri vanitas potest major,
Quam mentis effranti impetu Deum summam
Temerare, & illi sceptrā denegare orbis?
An quod scelestis proroget viri pavus,
Dormire credit impius pigrum Nomen?
Sed præstat alto nos silentio Divos
Celere, luent mox impiis scelus: tuncque
Vindicta cælum absolvet: & malos perdet.

Optimè de hac re oris aurei concionator r. Non
est fundamentum, & quonam modo stat ædifi-
cium? Non est carina, & quomodo consistit na-
vigium? Non est fabricator navis, & quonam
modo navis comparata est? Non est ædifica-
tor, & quomodo domus facta est? Non est ar-
chitectus, & quis urbem condidit? Non est a-
gricola, & quomodo agri tulere manipulos?
Non est musicus, & quomodo in mundi lyra
appa-

r Chrysostom. in Psalm. 13.

apparet concentus? Non est qui provideat, & quomodo per omnia pervadit providentia? Non est auriga, & quomodo quatuor elementorum currus agitur? Non est statuarus, & quomodo homines veluti quædam statuæ in mundo facti sunt? Non est fornicis constructor, & quis tibi cœli fornicem construxit? Non est aurifex, & quis veluti discum aureum tanquam in mensa solem in cœlo posuit? Non est qui ferat lampadem, & quis tibi veluti lampadem argenteam dedit lunam in nocte? Non est qui illuminet, & quis tibi clara, & lucem præsentia dedit luminaria? Non est qui faciat solus magna lumina, & quis accensos astrorum lychnos tibi in cœlo posuit? quemadmodum dicit Propheta *s*, *Quis facit luminaria magna solis, solem ut præsit diei, & lunam ut præsit nocti.* Non est opifex, & quomodo pulchritudo creaturarum testatur creatorem? Quæcunque in mundo fiunt, aguntur, exercentur, habent qui eis præsit, eaque perficiat: & solus mundus non habet qui eum administret? Hactenus Chrysostomus. Extolle te igitur, atque erige spiritus meus, & virtute, qua à Deo mihi es inspiratus, ut verbis utar Marii Victorini Africi, agnosce Deum intelligere difficile, non tamen desperatum; nam ideò nosse se voluit, ideò mundum, & opera sua divina constituit, ut eum per ista omnia cerneremus. Scire autem quid sit Deus, hoc est vivere, hoc est esse. Quid est enim homo, inquit Bernardus, nisi quod tu ò Deus innotuisti ei? Itaque si noticia Dei causa est, ut homo aliquid sit, ignorantia facit, ut nihil sit. Quare Plato maximum esse censet nostræ divinitatis indicium, quod soli nos in terris tanquam sortis divinæ participes Deum cognoscimus, & invocamus, cultuque religioso tanquam supremum Numen colimus, & veneramur.

§ II.

Sensum Religionis hominibus innatum Dei existentiam probare. Divina laudis initium ab Angelis, imò ab ipso Deo. Unde sumi debeat Ecclesiastica Psalmodiæ origo.

I. Constat igitur, viguisse semper divini cultus aliquod studium, quamvis barbaræ gentes extra leges, moresque projectæ sacrilegis erroribus religionis candorem depravarint. Est

Psalm. 135. t. M. Victor. l. 3. adv. Arium. u. Bern. Epist. 18. x. Plato in Protagora.

autem quidam religionis sensus ita cunctis innatus, & in animo quasi insculptus, ut ex eo sumperit argumentum ad probandam Dei existentiam Sextus Empyricus Pyrrhonius: Si non sunt Dii, inquit, nec religio, quæ est scientia cultus Deorum: eorum enim, quæ non sunt, cultus esse nequit; est autem religio, ergo sunt Dii. Quædam verò naturalis propensio ad religionem, ut Themistius scribit, omnium hominum communis est; ratio tamen, & modus colendi Numinis pro cuiusque libertate diversus. Quæ cum ita sint, tantam habent divinæ laudes antiquitatem, quantam habet religio. Religio autem humanæ menti ingenita virtus cum primo parente nata ab eodem in filios, & nepotes diffusa est.

2. Verumtamen non ad solos homines spectat prima divinarum laudum exercitatio. Est aliud, quod eis debetur, sublimius initium à nobilioribus creaturis. Nam & super muros cœlestis Hierusalem constitutos custodes, qui non taceant die, ac nocte laudare nomen Domini Isaias Propheta commemorat. Seraphicos item spiritus apud eundem legimus alterna modulatione clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus*. Quæ verba explicans Chrysostomus, in cœlis, ait, exercitus Angelorum Deum celebrant, in terris hominum chori easdem divinas laudes imitantur. In cœlis Seraphim hymnum ter sanctum exclamant, in terra hominum cœtus eundem modulatur. Cœlestium verò, & terrenorum communis quædam Panegyris admirabili concentu constituitur, una gratiarum actio, unum gaudium, unus lætitiæ chorus, atque concentus. Sed & ipse Dominus Angelorum, *Ubi eras*, ait ad Job, *quando ponebam fundamenta terræ? Indica mihi, si habes intelligentiam. Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Obstupuerunt videlicet Angeli sancti ipso rerum aspectu, cum pulchritudinem vidissent creaturarum: nam prima die divisa est lux à tenebris, Angeli scilicet boni à malis, ut Hugo Victorinus docet. Quod enim agebatur in mundo sensibili, imago erat eorum, quæ in mundo intelligibili agebantur. Existimat autem Hugo simul cum cœlo, & terra creatos fuisse Angelos. & per illam moram, qua

y. Sext. Empyricus lib. 8. adv. Mathematicos. z. Them. orat. 12. ad Jovian. Imp. a. Isai. 62: 6. b. Isai. 6: 3. c. Chrys. hom. 1. de verbis Isaiæ. d. Job 38: 4. 7. e. Hugolib. 1. de Sacramentis.

terra fuit inanis & vacua, usque ad lucis creationem, eos in via fuisse ad merendum, & demerendum. Tum creata luce qui fuerunt in gratia confirmati, quomodo putas jubilarunt? quam excelsis, & sonoris vocibus celebrarunt Deum? O si haberemus Hymnos illos, & digni essemus ore humano eos proferre, quam perfecta esset in ore nostro laus divina! Quartâ verò die censer Anastasius Synaita *f* Angelos laudasse Deum, non solum propter creationem astrorum, sed etiam propter mysterium Incarnationis, quod in illis representabatur. Hymnis, inquit, Deum celebrarunt. Quamobrem? Quoniam facta sunt astra? Non certè propterea; sed cum vidissent solem è terra recurrentem, in mysterio didicerunt Christi Incarnationem, & è terra assumptionem; & idèd, cum vidissent eum ex sancta Virgine tanquam ex abyfso exortum, statim exclamarunt dicentes, Gloria in excelsis Deo. Optimè Rupertus Abbas *g*. De tenebris jubente Deo respandit lux, Angelica scilicet creatura, quando dixit Deus in principio, hoc est in Filio suo: Fiat lux, & facta est lux. Unde Angeli non ingrati incessabiliter laudant, confitentur, amant, adorant. Hujus eorum laudis, vel confessionis assiduitatem, & incessabilem intentionem mirificè Psalmista his verbis exprimere contendit *h*: *confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.* Magnificentius & dignitatem ejus, qui laudatur, & eorum qui laudant instantiam exprimere non potuit. Suo namque indumento jure quisque vestitur, quia non alterius, sed suum est, quod tunc illum non dedecet, si secundum habitudinem corporis ejus benè accommodatam est. Cum ergò dicit confessionem, & decorem induisti, amplissimè gratulatur, & optimè dicit, dignum illum esse tantis confitentium Angelorum laudibus, & decere illum quicquid boni clamare possint, aut norint, eò quod ipsa substantiæ, vel vocis eorum organa ille fecerit, & in circuitu excelsi solii sui in magno honore feliciter constituerit, vel ordinaverit. Sublato quoque, & terribiliter deturbato Sathana cum Angelis ejus, continuò profectum hunc sancti Angeli habuerunt, ut novam divinæ laudis habentes materiam, novum inciperent canere canticum, sicut idem Tuitiensis Abbas observat *i*. Et in creatione mundi, teste Basilio Seleuciæ Episcopo *k*, spectaculi

f Anastas. lib. 4. Hexam. *g* Rupert. in Gen. lib. 1. c. 12.
h Psalm. 105. *i* Rupert. lib. 1. de victor. Verbi Dei
 cap. 30. *k* Basil. Seleuc. or. 1. in cap. 1. Gen.

stupore correpti, ad singula quæ fiebant iteratis faustis acclamationibus conditorem prosequerantur. Hæc sunt divinatorum cantuum auspiciatissima natalia, hæc alternæ modulationis regalia prorsus, ac dignissima incunabula.

3. Sed quid Angelos commemoro? Pudet ab illis divinæ laudis repetere antiquitatem, quæ ipsimet divinæ æternitati coexistit. Deus, Deus, inquam, in augustissima illa solitudine, antequam quicquam faceret à principio, se solo gloriosissimè beatus seipsum jugiter collaudabat. Omnem superat creaturarum mentium intelligentiam dulcissima illa, & consonantissima harmonia, qua se mutuo laudant in simplicissima unitate tres distinctæ personæ: Pater à nullo genitus, principium sine principio: Filius Verbum Patris, paternæ gloriæ splendor, omnium intelligibilium expressio: Spiritus Sanctus à Patre, & Filio procedens, utriusque nexus, & amor, fons pacis, & bonitatis. Deus nimirum se digessit in Deum, ut ait sanctus Zeno *l*, & suo manente integro statu totum se Pater reciprocavit in Filium: atque alter in altero exultat cum Spiritus sancti plenitudine una originali coeternitate renitens. In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater. Unus in altero est, numerum tamen sine numero omnes conservant: Pater Filio semper interior, semperque manet exterior, ut loquitur Hilarius *m*, & excedens quicquid humano sensu concipi potest, ex se Filium genuit, non ex aliqua subjacente materia, quia per Filium omnia: non ex nihilo, quia ex se Filium: non ut partem sui, quia in ipso est omnis plenitudo divinitatis. Laudat autem Filium Pater, quia Deus ex Deo est: laudat Patrem Filius, quia ipse est Verbum Patris, quo ille dicit omnia: laudat Spiritum sanctum Pater, laudat Filius, nam ex Patre, Filioque procedens utriusque amor, & nexus est: laudat Spiritus sanctus Patrem, & Filium, qui cum Patre, & Filio in summo, & incredibilem regnat unitate. O musicam! ô laudes! ô supremi Seraphici spiritus! ô excellentissimæ creaturæ, velate alis faciem vestram, demittite penas, & præ admiratione desicite ad tantam archetypæ musicæ suavitatem. Sordescit in ore proprio humana laus, quia, ut dicit Plutarchus *n* in eo libello, quo tractat, qua quis ratione seipsum citra invidiam laudare possit; qui seipsum laudant imprudentes sunt, nam decebat eos pudor, etiam si ab aliis laudarentur: sunt

l Zeno serm. 1. de Genesi. *m* Hilary. lib. 3. de Trinit.
n Plutarchus.

etiam iniusti, quia sibi sumunt, quod tribui ab aliis debuit. At Deus, cum sit infinitæ virtutis, ipse solus potest se dignè laudare, qui propriam solus immensitatem comprehendit. Audeo dicere cum Augustino: Ut benè ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus. Et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo quem admodum laudet eum. Neque enim hoc potest dici Deo, quod dictum est homini, *Non te laudet os tuum p.* Ut homo se laudet arrogantia est, ut Deus se laudet misericordia est. Novit prodesse nobis, ut amemus eum, ideo laudando se, amabilem se facit, ut nos amando, & laudando eum, meliores efficiamur. Deus itaque, inquit Gregorius Magnus q, qui nos prohibet, ne proprio ore laudemur, per Scripturam sacram laudes suas loquitur, ut valeamus eum audientes cognoscere, cognoscentes amare, amantes sequi, sequentes adipisci, adipiscentes verò ejus visione perficere. Unde Psalmista ait r, *Virtutem operum suorum annuntiabit populo suo, ut det illis hereditatem gentium.*

4. Laus ergo divina, si ad ipsum Deum referatur, tunc incepit, cum non erat tempus, omnia transcendens tempora semper præsentis æternitatis eminentia. Non enim habet tempus æternitas, ait Tertullianus s, omne tempus ipsa est, quod facit pati non potest. Si verò ab Angelis ejus originem deducamus, fuit illa quidem, cum jam tempus factum esset, initio enim corporalis creaturæ creatos illos fuisse probabilius Theologorum sententia asseverat t: sed sicut illi à duratione successiva illius temporis, quod numerus, & mensura motus dicitur esse, omnino exempti sunt; sic etiam eorum operationes nequaquam iis mutationibus sunt obnoxia, quibus corporalis creatura subjecta est non volens. Ideò laudes, quas Deo concinunt in novem choros distincti, nullam pati possunt vetustatis injuriam, nullum temporis detrimentum. Quid vero nobis commune cum Deo, cujus comparatione sic sumus, quasi non sumus? Quid nostros Hymnos Angelicis assimilare præsumimus, quorum æmulari felicitatem etiam volumus, non valeamus? Ea igitur omnia laude, qua & Deus seipsum, & Angeli Deum glorificant, quam nec verbis exprimere, nec mente concipere possimus, è coelestibus ad terrena descendendum

est, quò ejus hymnodicæ describamur exordia, quam statis temporum, horarumque spatiis in hoc miserimo terreni incolatus exilio frequentamus. Inolevit autem quorundam mentibus nimis iniqua adversus Canonicas preces opinio, eas tertio, vel quarto sæculo post Christum natum cœpisse u: sed ut fateri oportet, eas, ut hodie in usu sunt, non adè antiquam, saltem aliqua ex parte, originem habuisse; ita perspicuum est, ritum orandi aliquoties in die cura ipsa religione, hominumque cœtibus inchoasse. Certa sunt rerum omnium principia, certi progressus, & ætates. Nihil simul natum, & politum est; rerumque exordia exilia semper, & rudiora fuerunt; nec facillè reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio. Aspice Rhenum, inquit Romanus sapiens x, aspice Euphratem, omnes denique inclytos amnes, quid sunt, si illos illic, unde effluunt, æstimes? Quicquid est, quo timentur, quo nominantur, in processu paraverunt. Sic divina Psalmodia obstetricante manu Domini cum primo omnium parente nata in primo sui ortus rudimento rudis, & indigesta tacitis sensim, & ordinatis adolevit augmentis.

§. III.

Viguisse semper divini cultus studium à primis Parentibus usque ad Christum. Testimonia infidelium de precibus, & hymnis primorum Christianorum.

1. **V**arias laudes, & Hymnos, prout nascentis sæculi simplicitas exigebat, divinæ majestati tanquam debitæ servitutis tributum primos homines cecinisse docet Cyrillus Alexandrinus y, qui cultum Dei ab Adamo cœpisse scribit; idque etiam Paraphrastes Chaldaeus indicat, qui Psalmo nonagesimo primo hunc titulum præfixit, Laus, & Canticum, quod dixit homo primus in die Sabbati. Moses quoque Barcepha docet z, Psalmistam in persona Adæ verba ista protulisse, *Tu formasti me, & possisti super me manum tuam* a: ita ut Sacerdotium acceperit, & munus Deo laudes, ac preces solemniter offerendi, quod per manuum impositionem conferri solet. Hugo item Victorinus b: *Credimus,*
O o o o i p q u i t,

o *Aug. pref. in Ps. 144. p. Prov. 27:2. q Greg. lib. 18. mor. cap. 7. r Psalm 110. s Tertull. lib. 1. adv. Marcionem. t D. Thom. cum suis 1. p. qu. 61. art. 2. c. 3.*

u *Polydo. Virgilius lib. 6. de invent. rerum. cap. 2. quem sequuntur Sæclarii. x Seneca lib. 3. de benef. cap. 29. y Cyrill. lib. 3. in Julianum. z Moses de paradiso p. 1. c. 28. a Psalm. 138. b Hugo in Gen.*

inquit, Deum docuisse Adam cultum divinum, quo ejus benevolentiam recuperaret, quam per peccatum transgressionis amiserat, ipsumque docuisse filios suos. *Deus enim*, ait Scriptura, *creavit primos homines, & sensu replevit cor illorum, ut nomen sanctificationis collaudarent, & magnalia enarrarent operum ejus.* Rupertus Abbas e post S. Gelasium d Papam protoparentes nostros accusat, quod tantis à Deo beneficiis cumulati nullas laudes, & preces grati animi indices reddidisse legantur. Sed ad illorum justissimam defensionem satis superque sufficiens est scriptoris sacri simplicissima, & sobria narratio, alia multa silentio tegens, de quorum certitudine nemo sanæ mentis dubitavit. Quando enim sapientissimus vir Adam è nihilo procreatum se vidit ad imaginem, & similitudinem Dei: quando formatam Evam aspexit similem sibi: quando nimirum, ut Aleimus Avitus e Viennensis Archiepiscopus canit:

*Pro thalamo Paradisus erat, mundusque dabatur
In dotem, & latis gaudebant sidera flammis;*

Nonne protinus in vocem laudis, & gratiarum actionis erupisse censendus est? Ejus quoque filios par est credere non tam natura impellente, quam docente utroque parente didicisse Deum sacrificiis venerari, precibusque invocare. Nec est quod aliquis occidenti literæ nimium inhærens ad Enos filium Seth Adami nepotem usum, & ritum divini cultus referre contendat, quia de illo dicit Scriptura f, *Iste cepit invocare nomen Domini*; multiplex enim hujus dicti explicatio est. Sunt qui dicant Enos primum fuisse, qui nomen Dei sub nomine illo ineffabili non invocaverit. Alii primum intelligunt, id est præstantissimum, quod super omnes religione enituerit. Alii, quod populum cœperit ad publicas Dei laudes, ad publicum cultum congregare, jam tunc fidelium Ecclesiam coadunans. Mihi magis arridet eorum placitum, qui docent, Enos certas precandi formulas, certosque ritus, & ceremonias primum omnium adinvenisse, atque ideo dici, quod nomen Domini cœperit invocare. Legendus hac de re doctissimus vir Jacobus Boulduc b, qui libro primo de Ecclesia ante legem docet, Enos instituisse sodalita-

c Rupert. lib. 2. in Gen. c. 39. d Gelas. Tract. adv. Pelagianos. e Avit. lib. 1. de orig. mundi, vers. 190. f Gen. 4, ac ibid. Abulen. Cajet. Peyerius. Corn. à lapide, & alii. h Boulduc lib. 1. de Eccles. ante legem. i lib. 1. de oggio Christ. cap. 5.

tem psallentium Deo, qui dicti sint Enoscaei, postea Essæi, vel Esseni. Verùm de Essenis diversa apud Scriptores fama est. S. Philastrus i inter hæreticos veteris testamenti Essenos numerat, vitam monasticam exercentes, sed Christum Filium Dei non expectantes. Plinius k de illis hæc habet: Per seculorum millia, incredibile dictum, gens Essenorum æterna est, in qua nemo nascitur. Et Solinus l Plinii transcriptor; Per immensum spatium sæculorum, incredibile dictum, æterna gens est cessantibus puerperis. Putat autem Baronius m paulo ante Christum eos cœpisse, & ad prædicationem Apostolorum conversos Christo nomen dedisse.

Hæc divini cultus laudabilis institutio, crescentium annorum cumulo adaucta majora indies suscipiebat felicissimi progressus incrementa. Nam & Noë sollicito cultu ultra cæteros tunc mortales Deum propitiavit, eundemque sacros ritus & Theologiam docuisse, ac rituales libros scripsisse asserit Berolus Chaldaeus n, sive Annus Viterbiensis. Post diluvium autem, quomodo laudes Deo cecinerit, explicat his versibus Claudius Marius Victor Mafiliensis o.

*Non prius officii quicquam servatus mire
Constituit, quam sacra Deo, laudesque rependat.
Gratesque evasoreserat discrimine Noe.
Mox urveo sacra exurgunt altaria saxo,
Agnovitque hac prima recens altaria mundus,
Antea totus enim convexo tramite cali
Templum mundus erat.*

Hic justus in generatione sua, & perfectus fuisse asseritur, cujus sanctitas eò magis est admirabilis, quod toto prorsus à justitia declinante mundo, solus justus inventus est. Successit Abraham pater credentium, in idem studium sanctissimis ceremoniis à Cananæis distinctus. Deinde Isaac & Jacob, illustrissimos Patriarchas ferventissimos in Dei laudibus fuisse, & humanis argumentis concitias, & divinâ lectione compereris. Quorum unus egressus in agrum ad meditandum, orandi studium luculenter ostendit p: alter luctatus cum Angelo magni nominis mysterium cœlesti benedictione cumulatè adimplevit q. O quantum præpropere virtus in ipsa infantia splendoris effudit! Sed jam

i Philastr. lib. de hæres. num. 9. k Plin. lib. 5. c. 17. l Solin. c. 36. m Baron. ann. 64. Plura de Essenis Nic. Serarius l. 3. Trihæressi. n Berol. l. 3. antiq. o Cl. Marius comm. in Gen. lib. 3. p Gen. 24: 63. q Ibid. 32: 28.

jam in altum tolluntur anni, & crescit ætas. Post alios Patres, quorum sedulam in divinis laudibus diligentiam evincunt eximia eorum gesta, familiaritas cum Deo, & candidissima innocentia mores, magnus Dux & legislator Israëliticæ plebis effulget. Hic Gentem à Deo electam, versus & hymnos non tam psallere, quam pangere docuit, adhibitis insuper musicis concentibus & instrumentis. Aperiuntur maria ante pedes illorum inauditò prodigio, transeunt inter tumentes aquas sicco vestigio, tum revolutis undis hostiles exercitus maritimis vorticibus submerguntur: & ut canit nobilis Poëta Sedulius r.

*Per via divi spatierunt carula Ponti
In geminum revoluta latus, nudataque tellus
Cognatis spoliantur aquis, ac turba pedestris
Intrat in absentis pelagi mare, perque profundum
Sicca peregrinas stupuerunt marmoræ plantas.*

Quid autem illi tanta, & tam incruenta potiti victoria? Tunc cecinit Moses, ait sacer Textus s, & filii Israel carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare. Ad hæc Maria virorum exemplum secuta, sumpsit tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est. Porro hæc mulier typus Ecclesiæ fuit, ut S. Zeno t scribit, quæ cum omnibus Ecclesiis, quas peperit, hymnum canens, & peccatoris verum tympanum quatiens, populum Christianum ducit non in eremum, sed in cælum. Idem Moses cum legem Domini audiente populo legisset, canticum illud triumphale cantavit, *Audite cæli que loquor u.* Progrediamur. Feliciora nos vocant divinarum laudum augmenta. Ecce hominem secundum cor Dei, egregium Psalterem Israë: *De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit eum, qui fecit illum, & stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos x.* Hujus Psalms adhuc resonant in ore fidelium, & in Ecclesia Dei æternum duraturis concentibus cantabuntur. Quod ipse in spiritu prævidens & prædicens y, *In Ecclesiis, ait, benedicam te Domine, psallam tibi in nationibus, in medio Ecclesiæ laudabo te, psallam nomini tuo in sæculum sæculi, ut reddam vota mea de die in diem.*

3. Perseveravit in populo Dei hoc Psalmodiæ studium, Daniel enim tribus temporibus in die

flectebat genua, & adorabat x. Rechabite sive Cinai, canentes atque resonantes vocantur, quia assiduas Deo laudes canebant *. Eliam docuisse discipulos suos hymnos, psalmos & cantica, ad laudem Dei cum musicis instrumentis decantare, scribit Auctor monasticarum institutionum sub nomine Joannes Hierosolymitani b. Apud Esdræ e quater in die confitebantur, & adorabant Dominum: passimque sancti veteris Testamenti psalmos, & cantica cecinisse leguntur; donec fundatâ Christi sanguine Ecclesiâ, umbris claritas, figuris veritas, vetustati novitas, Prophetarum vaticiniis diu expectata promissio admirabili mutatione successit. Tunc amplioribus sacramentis nobilitata religio solemniori cultu summi largitoris elementiam adoravit. Ipsum Dominum ad instructionem nostram pernoctasse in oratione d, & post mysticam cœnam hymnum dixisse e narrant Evangelistæ. De Apostolis certa res est. Horâ enim tertiâ orantes acceperunt Spiritum Sanctum. Paulus & Silas f in ipso carcere mediâ nocte laudabant Dominum. Horâ sextâ Petrus g ascendit in superiorem ædium partem, ut orationi vacaret. Denique Petrus & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam h. Quod si libeat ad fideles accedere teneræ adhuc & vagientis Ecclesiæ, testimonia non deerunt ab his quoque, qui foris sunt. Philo Judæus i primo loco advocandus, Scriptor celeberrimus & uno Platone minor, quem Photius in Bibliotheca perpetram scripsit ex Christiano Judæum factum. Is librum scripsit, cui Suidas k titulum tribuit de vita Christianorum: alii inscribunt de vita contemplativa, sive de virtutibus supplicum; quod fideles Alexandrini B. Marei discipuli, quorum mores describit, orando & supplicando tempus omne transigerent. Hunc librum laudat Eusebius l in Ecclesiastica Historia. In rem nostram hæc inter cætera scribit. Hymnos canunt in Dei laudem, vel recens à se factos, vel pridem ab aliquo priscorum Vatum, qui carmina & cantica multa ipsis reliquerunt trimetri generis; Proso-dias item & hymnos varios, qui ad libamina, ad aram, in stationibus quoque & choris concinuntur; diversis, quæ in choro fiunt, conversionum vicibus eleganter commensurati. Peractâ

O o o o 2 cœnâ

z Daniel 6: 10. a 1 Par. 2: in fin. b Joa. Hierosol. instr. c. 10. c 2 Esdr. 9: 3. d Luc. 6: 12. e Matth. 26: 30. f Act. 16: 25. g Act. 10: 9. h Act. 3: 1. i Philo de vita contempl. k Suidas V. Philo. l Euseb. l. 2, c. 17.

r Sedul. lib. 1. carm. Pasch. s Exod. 15. t Zeno serm. 3. de Exodo. u Deut. 32: 1. x Eccl. 47: 10. y Psal. 25: 107, 21. & 60.

cœnâ subdunt vigiliis, in quibus pernoctare solent, & cantare hoc modo. Confestim surgunt omnes ex utraque parte convivium quoddam celebraturi, & primum fiunt chori duo, virorum unus, alter mulierum. In utroque suus eligitur dux & præcentor, qui simul & personæ dignitate, & arte musicæ antecellit. Deinde hymnos canunt in Deum metris, & modulationibus multis compositos, nunc junctis vocibus simul resonantes, nunc sibi invicem congruè respondentes. Hæc Philo, cui Græcum testem adjungo Lucianum ^m Samosatenum cognomento Atheum. Hic in dialogo quodam, postquam ore sacrilego Christi religionem impudenter irrisit, Christianos in sine conviciatur ad hymnos totâ nocte decantandos vigilantes. Plinius ⁿ item Secundus libro decimo Epistolarum, Christianorum mores Trajano Cæsari ita describit, quod soliti essent statim die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere; sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, & quæ sequuntur. Ammianus quoque Marcellinus ^o Christianorum in Ecclesia pernoctationes commemorat. Hæc infideles: sed fidelium testimonia quis recenseat? Lassatur calamus gravissimorum Patrum Græcorum & Latinorum numero, qui unanimi consensu hymnodicæ ritum, horas, & antiquissimum institutum stabilierunt. Hic sacrosanctæ Psalmodiæ merities est, hic aurum, hæc nunquam interitura juvenus. Sed præcipuas tantum insigniorum Patrum sententias recitabo, servato ordine temporis, quo quisque vixit.

S. I V.

Testimonia sanctorum Patrum de sacra Psalmodia ab ortu Ecclesiæ, & deinceps temporum serie servata. Addita quadam de ejus excellentia, & de perenni psalmodia quibusdam Ecclesiis instituta. Desiderium laudandi Deum. Tacti obiter quidam Ecclesiastica Hymnodicæ calumniatores.

1. **O**ccurrunt nobis in ipsis Ecclesiæ incunabulis, primo scilicet Christiano sæculo, qui viri! Clemens Romanus ^p, & Dionysius

^m Lucianus in Philopatre. ⁿ Plin. lib. 10. ep. 97.
^o Ann. Marcellin. l. 28. in fi. ^p Clem. Rom. lib. 8. c. 34.

Areopagita. Primus in Apostolicis constitutionibus orandum esse præcipit mane, horâ terciâ, sextâ, & nonâ, vespere, & ad galli cantum. Mane gratias agentes, ait, quod illuminavit nos nocte sublatâ, & reddito die. Tertiâ, quod eâ horâ Pilatus judicium adversus Dominum pronuntiavit: Sextâ, quod eâ horâ in crucem adus est: Nonâ quod tunc omnia mota & tremefacta sunt Domino crucifixo, quia horrent audaciam impiorum Judæorum, & contumeliam Domini ferre non possent: Vespere, quod noctem dederit ad requiescendum à diurnis laboribus: Ad galli cantum, quod eâ horâ nunciet adventum diei ad faciendam opera lucis. Alter ^r Epistola ad Demophilum laudat S. Carpum, quod solet circa mediam noctem ad divinos evigilare hymnos. Et libro de Ecclesiastica Hierarchia Ecclesiasticum cantum vocat concordem & consonam sacrarum rerum choream: passimque meminit hymnologicæ, psalmodicæ, lectionum, & canticorum. Sanctus quoque Ignatius Martyr ^r Epistola ad Magnesianos, & ad Heronem sacros cœtus, & synaxes ad orandum commendat: & Epistola ad Philippenses salutem collegia Virginum, quæ cum Deo se consecrasset, proculdubio psalmis & orationibus statim horis incubebant. Invita etiam S. Cornelii Centurionis ^s, quem Petrus Apostolus baptizavit, nocturnæ psalmodiæ, hymnorumque mentio fit. Spectat denique ad primum sæculum, quod Cassianus in Monasticis institutionibus scribit. Nam cum in primordiis fidei pauci quidem, sed probatissimi Manachorum nomine censerentur, qui à beatæ memoriæ Evangelista Marco normam suscipere vivendi, cum diverso modo quidam quinquagenos, alii sexagenos psalmos in nocturna & vespertina synaxi dici instituerent, quidam in medio fratrum apparens duodecim psalmos recitavit, & repente disparuit, sicque illis Angelico monitu præscriptus est numerus psalmodiarum tam in vespertinis, quam in nocturnis conventibus servandus.

2. Secundo sæculo præter Justinum Martyrem, & Philosophum, nullum ex Patribus invenimus, qui specialiter & expressè divinarum officiorum mentionem faciat: nam Theophilus, Athenagoras, Tarianus, & Irenæus toti sunt in confutandis infidelibus: aliorum opera non extant. Justinus ^u autem in Apologetico pro

^r Dionysius Areopagita. ^s Ignatius Mart. [Apud Surnu. n. die 13. Sept.]
^u Justinus Mart. [Joan. Cass. lib. 2. cap. 5.]

Christianis, conventus & preces, ac in iis sacras lectiones commemorat. Et ibidem; Precibus finitis, inquit, unusquisque laudem, & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, & Spiritus sancti offert. Epistola quoque ad Zenam, & initio colloquii cum Triphone Judæo hymnorum, & laudum meminit, precumque nocturnarum ac diurnarum. Hoc item sæculo occurrit S. Abercius Episcopus Hierapolitanus, qui solitas horæ nonæ preces recitasse dicitur, ut refert Surius * in ejus vita ex Simeone Metaphraste. Occurrit & Monasterium sancti Heleni Episcopi, cui præfuit Theodorus, illique successit Eugenia, quæ ibidem in habitu virili mentita sexum monachum agebat. Inter hujus autem virtutes auctor vitæ ejus apud Heribertum Rosevidum † hæc habet: Tertix, sextæ, nonæ, vespertinis, vel nocturnis, atque matutinis horis tam cautissimè insistebat, ut videretur jam perisse Deo, si horarum vel quidpiam spatii absque divinis laudibus aliqua præterisset.

3. In limine tertii sæculi statim inveniemus Tertullianum ‡: quem meritò Latinorum Scriptorum antesignanum dixerimus. Hic in Apologetico adversus gentes cœtus antelucanos ad canendum Christo ex Epistola Plinii citata commemorat. Et ibidem, Coimus, inquit, in cœtum & congregationem, ut ad Deum quasi manu facta præcationibus ambiamus orantes, cogimur ad divinarum litterarum commemorationem. Libro de Corona militis cœtus antelucanos iterum laudat, aliosque ritus Ecclesiæ, libro secundo ad Uxorem: & libro de juvenis horam tertiam, sextam, nonam & vespertinam, earumque rationem eleganter explanat. Ex adverso floret Græcorum præcipuus Origenes †, qui libro primo contra Celsum, primum caput criminationis adversus Christianos fuisse scribit, quod clancularios conventus haberent, ad agapen nimirum & ad synaxim. Idem libro tertio in Job (si tamen ipsius sunt ea commentaria) matutinas & vespertinas deprecationes commendat. Quid ejus Præceptor Clemens Alexandrinus ‡, nonne septimo Stromatum tertix, sextæ, & nonæ meminit? Deinde subdit; Jam verò triplicem horarum divisionem, quæ totidem sunt honoratæ precibus, sciunt qui norunt beatam sanctarum mansionum Trinitatem. His omnibus & martyrio & eloquio major est Cy-

prianus †, qui libro de Oratione Dominica, nocturnæ & matutinæ precis, tertix item, & sextæ, & nonæ, ac vesperarum mysteria edisserit, cujus aurea verba capite sequenti recitabo. Sanctus item Zeno † sermone primo ad Neophytos post baptismum dulces vigilias clarissimæ noctis exultat: Et Cæcilius apud Minutium Felicem † nocturnas congregationes Christianorum calumniatur, eosque vocat Latibrosos & Lucifugaces. Similiter Arnobius † libro primo contra gentes; Quotidianis, inquit, precibus Deum colimus. Vixit & hoc sæculo sanctus Hippolytus † Martyr Episcopus Portuensis, qui oratione de consummatione sæculi, inter cæteros Ecclesiæ ritus ab Anti-Christo tollendos psalmorum decantationem enumerat. Ad hæc tandem tempora pertinent plures Sancti, ex quorum actis illustria de horis canonicis testimonia eliciuntur. S. Chariton plures Lauras ædificavit suisque Monachis constitutiones scripsit, præsertim verò de psalmodia tam diurna, quam quæ noctu fieret †. Cum S. Basileus Episcopus Amaseæ detineretur in carcere, Clerici & Diaconi auro impetrarunt à custodibus, ut ad ipsum magnum Pontificem intrare possent, & unà cum illo Divinas preces, noctibus præsertim canere, ut scribit in ejus vita Joannes Presbyter Nicomediensis †. In actis S. Sebastiani † à B. Tiburtio Præfecti Filio quidam Torquatus reprehenditur solo nomine Christianus, quod hymnos noctu psallentibus pervigil non interesset. Matutinum officium, & horæ nonæ preces in vita S. Febronia Virginis & Martyris leguntur, quam scripsit Thomas sanctimonialis †. In actis sanctorum Martyrum † Indes, & Domnæ cum aliis, qui passi sunt Nicomediæ, mentio fit Christianorum, ut nocturna officia Deo psallerent, de more in Ecclesia congregatorum.

4. Quartum sæculum exhibet nobis Eusebium Cæsariensem † passim in Ecclesiastica Historia; & Pachomium Abbatem †, qui regulam & modum psallendi accepit ab angelo. Magnumque Antonium †, qui plura monasteria instituit plena choris psallentium. Quid Athanasium † commemorem, quid Basilium, quid Gregorium Nazianzenum? Primus libro de

O o o o 3 virgini-

c Cyprianus. d Zeno. e Minutius Felix. f Arnobius. g Hippolytus Portuensis. h Surius 28. sept. i Joannes Nicomediensis. k Surius 20. Jan. l Thomas sanctimonialis. m Surius 27. Dec. n Euseb. Cæsariensis. o Pachom. Abb. p Anton. Magn. q Athanasius.

* Surius die 28. Octobr. y Rosev. de vitis Patr. lib. 1. z Tertullianus. a Origenes. b Clemens Alexandrinus.

virginitate, siue de meditatione, Sol oriens, inquit, videat librum in manibus. Post tertiam synaxem conficies, quoniam eâ horâ defixum est lignum crucis. Sextâ horâ absolues deprecationes cum Psalmis, ploratu, & supplicationibus, quoniam hâc horâ pependit Filius Dei in cruce. Nonâ horâ rursûm in hymnis & glorificationibus eris, quoniam hâc horâ Dominus in cruce pendens reddidit spiritum. Duodecimâ horâ maiorem & longiorem facies synaxim. Mediâ nocte excitaberis, & hymnis celebrabis Dominum Deum tuum. Matutino tempore hunc Psalmum dicito, *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo*, & *Benedicite omnia opera Domini Domino*. Idem Apologia ad Constantium Imp. agit de precepcionum synaxi, deque vigiliis, & pernoctationibus. Basilius, eadem horas celebrat in regulis fustis disputatis quæstione 37. & sermone primo de institutione Monachorum, qui aliis est sermo quartus exercitamentorum pietatis; Epistola item 6. ad Neocæsarienses; & Epistola primâ ad Gregorium Theologum; Ecquid beatius, ait, quam hominem in terra concentum Angelorum imitari? incunte statim die in orationes ire? in hymnis & canticis Creatorem venerari? Ipse verò Theologus oratione habitâ coram C. L. Episcopis, & oratione primâ aduersus Julianum, & secundâ in Pascha, psalmodiarum concentum, nocturnas vigilias, & alternas modulationes commendat, & oratione undecima de Laudibus Gorgoniæ sororis. O noctes infomnes, exclamat, & psalmodiarum cantus, & stationem ex die in diem desinentem! O David, quam tu piis dumtaxat animabus haud prolixè cecinisti; In carminibus verò tanquam de re notissima sic canit:

— sed quod omnibus notissimum,
Nocturnè cernis ut canat laudes Deo
Naturæ uterque sexus oblitus suæ?
Quos, quamque sancti cernis Angelicum chorum,
Qui nunc simul, nunc vocibus alternis canit?

Contentiunt alii Patres, S. Ephrem Syrus u sermone de beatitudinibus, horæ tertie, sextæ, nonæ, vespertinæ, & matutinæ mentionem facit: & Parænesi 19. & 21. morem surgendi nocturno tempore ad celebrandas divinas laudes usitatissimum semper fuisse asseverat. Gregorius Nyssenus x epistola ad Olympium Monachum, quæ est de vita sororis ejus Macrinæ,

r Basilius. I Gregorius Nazianzenus. t Jamb. 18.
u Ephrem Syrus. x Gregorius Nyssenus.

assiduam psalmodiarum decantationem inter præcipuas sanctimonialium exercitationes recenset, speciatim verò vespertinas preces, & nocturnas vigilias celebrat. Cæsarius y in Dialogis de fide Catholica; Peculiariter, inquit, à sacro cætu Christigeræ Ecclesiæ nostræ usurpatur septenaria beneficentia; septies enim in die laudavi te, ait David auctor carminum divinorum. Gaudentius z Episcopus Brixianus vigiliarum meminit primo, & quarto sermone: psalmodiarum, hymnorum, & canticorum spiritualium sermone octavo, & nono, specialiter vero sermone nono ait; lectiones divinas aure percipimus, ore Dominum confitemur, laudamus, benedicimus, obsecramus, manus supplices ad cælum tendimus, pedibus ad Ecclesiam currimus, & unam Trinitatis Deitatem flexis ad terram genibus adoramus. Theophilus Alexandrinus a Epistolâ prima Paschali circa finem, hymnos commemorat in Ecclesiastica congregatione Domino decantatos. Hymnos item matutinos, & psalmodias ad lucernam decantatos laudat Epiphanius b in expositione fidei Catholicæ, ubi etiam varia Monachorum instituta describit: atque ipsum in suo Monasterio tertiam, sextam, nonam, & vespertas more majorum instituisse libro quinto de vitis Patrum invenio. Palladius c in Historia Lausiaca narrat de monte Nitriæ, in quo vivebant quinque millia Monachorum tempore Magni Antonii, circa horam autem nonam, inquit, licet stare, & audire in unoquoque Monasterio hymnos & psalmodias Christo canentes, & preces ad hymnos emittentes; adeò ut existimet quispiam se sublimè elatum transmigrare in paradysum deliciarum. Astruit vigilias Hilarius d ad Psalmum 118. ad illum versiculum, *Memor fui nocte nominis tui Domine*: itemque Ambrosius e ibidem, & tractatu ad Virginem lapsam, & sermone 25. qui est in die Cinerum, aliasque horas enumerat libro tertio de Virginibus. Paulinus f Nolæ Episcopus libro 3. de vita S. Martini sic canit:

— Vigil ociosus omnis
Turba ad consuetos modulamina dulcia psalmodias
Advolat, & sanctis solatia querit in hymnis,
Quæ pellant segnes vegetato corpore somnos,
Cantibus, & sacris nocturna silentia vincant.
Dicebant Donatistæ, Ecclesiam apud ipsos tantum

y Cæsarius dial. 4. interrog. 191. z Gaudentius.
a Theophilus Alexandrinus. b Epiphanius lib. 5. de vitis P.P. libello 12. num. 6. c Hist. Laus. c. 7.
d Hilarius. e Ambrosius. f Paulinus.

canndm esse. Redarguit eos libro secundo contra Parmenianum S. Optatus Milevitanus & ex Psalmo, qui præcipit laudari Dominum à solis ortu usque ad occasum, & ait: Numquid pagani extralegales possunt cantare Deo, aut laudare nomen Dei, & non sola Ecclesia, quæ in lege est? Quam si apud vos tantummodò esse dicitis, fraudatis aures Dei. Si vos soli laudatis, totus tacebit orbis, qui est ab ortu solis usque ad occasum. Clausistis ora omnium Christianarum gentium: indixistis silentium populis universis Deum per momenta laudare cupientibus. Igitur si & Deus debitas sibi laudes expectat, & ut sonent Spiritus sanctus hortatur, & totus orbis quod debet paratus est reddere, ne fraudetur Deus: etiam vos ipsi laudate cum omnibus, aut quia nolulistis esse cum omnibus, soli conticescite. Aurelius Prudentius ^h hymno primo *Kadnusylvan* noctis vigiliis concelebrat, & hymno ad incensionem cerei Paschalis, vel, ut habent aliæ impressiones ad incensionem lucernarum, ait:

*Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctemque conciliis, vota que prospere,
Certatim vigili congerimus prece,
Exstructoque agimus liba sacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis sora natalibus.
Lucem perspicuo flamma jacet vitro.*

Sed omittamè hoc sæculo clarissimos viros Hieronymum & Chrysostomum? Hic ad Psalmum 118. ad versum, Septies in die laudem dixi tibi, optimi quique viri, inquit, ac pietate præditi, quovis die stationem ad Deum septies faciunt. Primum scilicet noctu vigilantes, quod etiam diluculum appellamus. Deinde ad solis exortum Deo, qui diem invexit, gratias agunt. Horâ tertiâ cum Spiritus sanctus ad Apostolos accessit: Sextâ, cum Christus Deus noster carne cruci affixus est, ac chirographum illud, quod nobis contrarium erat, delevit; Nonâ cum cruorem effudit, ac spiritum tradidit, nosque à diaboli dominatu liberavit. Ad solis occasum, quod etiam lucernarium appellamus, quia tunc ob diei transitum Deo gratias agimus. Postremò cum ad somnum nos conferimus. Quæ quidem omnia in unum collecta septenarium efficiunt. Idem homil. 59. ad populum Antiochenum, postquam celebravit vi-

gilia nocturnas, ad quas Monachos surrexisse asserit ante diem cum gallus cantavit, rursum facto die matutinas orationes, & hymnos commemorat, tum tertiam, sextam, nonam, & vespertinas preces. Et in quatuor partes, inquit, diem dispartiti, dum singulæ partes implentur, psalmodiis & hymnis Deum venerantur. Vespere facto mentem petunt, deinde parum sedentes, vel potius hymnis omnia concludentes in suo quisque lectulo requiescunt. Et hom. 14. in primam ad Timoth. describens vitam Monachorum, post nocturnas preces laudes matutinas enumerat, itemque tertiam, sextam, nonam, & vespertinam synaxim. Hieronymus ^k autem epist. 8. ad Demetriadem; præter psalmodiarum, inquit, & orationis ordinem, quod tibi horâ tertiâ, sextâ, nonâ, ad vespertinum, mediâ nocte, & mane semper est exercendum, statue, quot horis sanctam scripturam edificere debeas. Et Epistola 22. ad Eustochium, Horam tertiam, sextam, nonam, diluculum quoque & vespertinam nemo est, ait, qui nesciat: noctibus bis, terque surgendum. Legendus item est epistolâ 27. quæ est Epitaphium sanctæ Paulæ: & in caput sextum Danielis.

5. Quinti sæculi agmen ducit Augustinus ^l. Sat dictum solo nomine. Vigiliarum meminit sermone 2. 5. 6. & 140. de tempore: & initio concionis ad Catechumenos, tomo 6. & homilia 26. inter quinquaginta: quibus sermone 55. tertiam, sextam, & nonam; sermone verò 251. & lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. vespertinas preces adjungit. Libro autem 9. confessionum, vigiliarum, hymnorumque à D. Ambrosio institutorum concentum laudat, itemque Epistola 119. ad Januarium, quæ est de ritibus Ecclesiæ, & alibi passim. Sequitur Joannes Cassianus ^m rerum Monasticarum diligens Scriptor, qui libro secundo & tertio de institutis cenobiorum horarum canonicarum ritum & modum accuratè describit, tertiæ scilicet, sextæ, & nonæ, vespertinarum, & nocturnarum preceationum, matutinae laudis, & primæ, quam alteram matutinam vocat, & suo tempore in suo Bethleemico Monasterio institutam tradit. Nec desunt alii Patres, & Scriptores insignes hujus sæculi. Petrus Chrysologus ⁿ laudat vigiliis sermone 24. & 39. itemque diurnas orandi horas sermone 21. Synesius ^o Episcopus hymno primo matutinos, vespertinos, & nocturnos

^g Optatus Milevitanus. ^h Prudentius. ⁱ Chrysostomus.

^k Hieronymus. ^l Augustinus. ^m Cassianus. ⁿ Petrus Chrysologus. ^o Synesius.

hymnos offert Deo. Vistor Uticensis ^p libro secundo Wandalicæ persecutionis Clericos describit hymnos nocturnos psallentes : & libro tertio Hunnericum Regem, cum in exilium egisset Catholicos Episcopos & sacerdotes, legem tulisse narrat, ut non psallerent neque orarent : nec codicem ad legendum in manibus gestarent. S. Casarius, Arelatenfis in regula monastica S. Teridio tributa ritum psallendi in noctibus sic ordinat ; Vigilias à mense Octobri usque ad Pascha duos nocturnos faciant, & tres missas ; ab una missa legat frater tria folia, & orate ; legat alia tria, & orate ; legat alia tria, & levet se. Dicitè Antiphonam, Responsorium, & aliam Antiphonam ; Antiphonas ipsas de ordine psalterii. Post hæc dicant matutinos directaneum, *Exaltabote Deus meus Rex* ; deinde *Constemini*, inde *Cantemus Domino*, *Lauda anima mea Dominum*, *Benedictionem*, *Laudate Dominum de cælis*, *Te Deum laudamus*, *Gloria in Excelsis Deo*, & *Capitellum*. Omni Dominicâ sic dicatur. Sydonius Apollinaris, Epist. 17. libri 5. Cultu, ait, peracto vigiliarum, quas alternante mulcedine monachi, clericique psalmicines concelebraverant, quisque in diversa secessimus, non procul tamen, utpote ad tertiam præstò futuri, cum Sacerdotibus res divinâ faciendâ. Simeon Metaphrastes ^f vita S. Theodoræ Alexandrinæ, quæ Zenone imperante virili habitu induta in Monasterio vixit. Docet, inquit, eam Abbas de more psallere debere, vespertinam & matutinam glorificationem quotidie peragere, nec horarum ullam præmittere. Ipsa quoque moritura puerum sic instruebat. Consuetas preces numquam neglexeris, neque horas, quæ sunt constitutæ fratribus ad conveniendum, Matutini, inquam, Tertiar, Sextar, Nonar & Vesperarum. Narrat Nilus Monachus ^t sanctos Patres in Sina à barbaris trucidatos summo mane, cum paulò ante defuissent hymnos cantare. Meminit vespertinæ psalmodiæ in vita S. Serverini Eugippus Abbas ^u. In Monasterio S. Theodosii Cænobiarchæ, septies in die variis linguis hymnodicæ regula peragebatur. Possem alia multa ex vitis Sanctorum, qui hoc sæculo vixerunt, afferre : itemque ex historia Lausiaca Palladii ^x, ex Socrate ^y similiter, &

Sozomeno ^z, qui ad præsens quoque sæculum pertinent ; sed pergo consulens brevitati.

6. Sexto sæculo horarum canonicarum assertor erit & testis, unus pro mille, sanctissimus Monachorum Patriarcha Benedictus ^a, qui omnium iustorum spiritu plenus, quantus fuerit in studio divinorum laudum propagando à capite octavo, usque ad vigesimum suæ Regulæ luculenter ostendit : sed de officii monastici ordinatione fufus infra suo loco. Meminit autem S. Benedictus omnium partium tam majorum, tam minorum cujusque officii, cæterisque horis completorium adjunxit, quod ab ipso institutum est, ut capite undecimo demonstrabimus. Hujus discipulus Gregorius Magnus ^b ad septimum sæculum spectat, cujus laudes in sacramentario, & cantu, quem ab ipso Auctore Gregorianum vocamus, manifestæ sunt. Cæterùm hic sisto gradum. Quid enim adhuc egemus testibus ^c Dicam cum Vario iudice apud Tullium ^e : Aut hoc testium satis est, aut nescio quid satis sit. Paucis annis post Gregorium vixit Isidorus Hispalensis, cujus ingeniosum laborem in explanandis Ecclesiasticis officiis sequuti sunt postea haud contempnenda industria Alcuinus, Amalarius Fortunatus, Rabanus Maurus, Walfridus Strabo, Rupertus Abbas, Hugo de S. Victore, & alii recentiores, qui per latissimum hymnodicæ pelagus plenis eloquentiæ velis spantantur.

7. Sacra igitur psalmodiarum modulatio æquales cum Angelis sortita natales crevit sub Patriarchis, novo vixit juventæ flore, non sub Pelagio secundo, ad quem insigni errore precis horariæ institutionem refert Polidorus Virgilius ^d, sed nascente Ecclesia Apostolorum decretis stabilita. Et quidem nocturnas vigiliis, laudes matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas jam ab ipsis Apostolorum temporibus in usu fuisse ex supracitatis testimoniis constat. Ex veteri quoque testamento multum momenti habet antiquitas illa matutini, & vespertini sacrificii : itemque illud, quod in mundi creatione vesper dumtaxat, & mane commemorantur, ut Rupertus Abbas ^e observat. Prima verò tempore Cassiani, Completorium autem ex Divi Benedicti institutione initium habuc-

^p Vistor Uticensis. ^q Casarius in regula num. 19. ^r 20. ^s Sidonius Apollinaris. ^t Metaphr. apud Suriun 12. Septemb. ^u Nilus Monachus. ^v Eugippus Abbas. Metaphrastes. ^x Palladius. ^y Socrates.

^z Sozomenus. ^a Benedictus. ^b Greg. Magnus. ^c Cic. 2. de senib. ^d Polid. Virg. de inv. rerum lib. 6. cap. 2. ^e Rup. de div. off. lib. 1. c. 9.

habuerunt. Auctor vitæ S. Guduvali Archiepiscopi, & Eremitæ horas canonicas Christi, & Apostolorum auctoritate institutas dicit, quas vir sanctus recitaturus cum dixisset, *Deus in adiutorium meum intende*, Angeli subjunxerunt, *Domine ad adiuvandum me festina*: & sic totum officium alternis vicibus cum viro Dei expleverunt. Porro successu temporum tantum fuit in Ecclesia divinæ psalmodiæ studium, ut nec diminui amplius nec augeri posse videatur. Scribit Palladius *g* oculatus testis civitatem se vidisse, in qua cum plura essent Monasteria, quam profanæ domus, in omnibus vicis, & angulis divinæ laudes cantabantur, ut ex una civitate una facta cermeretur Ecclesia. Metaphrastes apud Surium *b* auctorem Accemerarum fuisse tradit Alexandrum Abbatem, qui, cum prius Byzantii exereretur in templo magi Martyris Menæ, postea in ipso ostio Ponti venerandum statuit Monasterium, in quo novam quidem, sed longè omnino pulcherrimam legem imposuit, ut hymnorum ad Deum nunquam interrumperetur perpetuitas; Sed per vices mutatis ministris hæc nunquam silens, & nunquam conquiescens tribueretur Deo glorificatio. Mortuo verò Alexandro successit Joannes, qui in regione Bythinorum aliud excitavit Monasterium ἀνομιήτων, id est, non dormientium. Joanni successit Marcellus, qui in plura cœnobia idem studium inexit. In regia autem urbe Constantinopoli simile Monasterium constructum fuisse scribit Nicephorus *i*, in quo perpetuis carminibus nunquam non hymni Deo canebantur, fodalitate monachorum eam ob rem in tres cœtus divisi. Nec caruit Occidens hoc instituto. Bernardus in vita Sancti Malachias, postquam de multitudine Monasteriorum Hyberniæ, & Scotiæ loquitur est; Ex quibus, inquit, ad has nostras Gallicanas partes S. Columbanus ascendens Luxoviense construxit Monasterium factus ibi in gentem magnam. Ajunt tam magnam fuisse, ut succedentibus sibi vicissim choris continuarentur solemnia divinorum, ita ut ne momentum quidem diei, ac noctis vacaret à laudibus. Diu etiam viguit in Monasterio Agonensi Thebis Martyribus sacro hæc incessabilis psalmodiæ ratio à sancto Sigismundo Rege & Martyre instituta, ut in

historia Francorum Gregorius Turonensis *k* testatur; Libro quoque de gloria Martyrum assiduum, & quotidianum psallentium à prædicto Rege ibidem institutum afirman. Ab Agauno verò hæc psallendi regula in alias partes diffusa est, nam ut refert Aimonius *l* libro tertio de gestis Francorum, Guntramnus Rex Basilicam ædificavit, in qua monachi jugiter psallerent, prout Rex Sigismundus in Agauno instituerat. Qui videlicet psallendi ordo, ait ille, etiam ad sepulchrum S. Martini antiquitus celebrabatur: & à B. Germano in Monasterio S. Vincentii servari iussus, nec non in Monasterio S. Dionysii à Dagoberto Rege agi præceptus est *m*. Quo Dagoberto regnante S. Amatus Abbas Monasterium Virginum construxit, quas in septem turmas distributas noctu diuque per vices sine intermissione psallere voluit, ita ut semper duodecim Virgines in unaquaque turma essent. Teste item Fulberto *n* apud Surium sub disciplina S. Aichardi Abbatis vivebant in uno cœnobio nongenti monachi divinis laudibus jugiter incumbentes: ex his una die obierunt quadringenti quinquaginta à Deo præmoniti, quorum una pars hora tertia, pars altera hora sexta, pars tertia hora nona, pars quarta hora vespertina decessit. Narrat Hieronymus Emsfer *o* in proœmio vitæ S. Bennonis Episcopi, Clericos Ecclesiæ Misnensis in varias classes distributos jugiter psallere consuevisse die, ac nocte; quam perennem laudationem Ernestus, & Albertus fratres Saxoniarum Principes, & Misniæ Marchiones fundarunt. Sunt & aliæ multæ ejusmodi Ecclesiæ, in quibus olim jugis Psalmodia exercebatur: nam, ut in Orientem regrediar, monasterium S. Publii describit Theodoretus *p* in Philotheo, in quo hymnos matutinos, & vespertinos decantabant monachi primo Græci, deinde Syri, utriusque propria lingua sibi succedentes. Describens quoque monasterium Zozimæ Sophronius *q* Episcopus in vita S. Mariæ Ægyptiacæ, Psallentia, inquit, ibi erat incessabilis totius noctis habens stabilitates. Tum Oxyrynchus dicta est civitas in Thebaide, in qua per omnem partem die, ac nocte hymnos, & laudes Deo referebant viginti

Pppp mil-

k Greg. Turon. histor. Franc. lib. 4. c. 6. *l* de glor. Mart. cap. 75. *l* Aimon. de gestis Franc. l. 3. cap. 80. *m* Surius 13. Septembris. *n* Fulbert. c. 17. vita S. Aichardi, apud Sur. 15. Septemb. *o* Hier. Emsfer. apud Sur. 6. Jun. 1. 7. *p* Theod. Philoth. cap. 5. *q* Sophronius lib. 2. de vita Patrum cap. 4.

f apud Surium 6. Junii. *g* Pallad. in histor. Lausiacæ. *b* Sur. 29. Decemb. *i* Niceph. hist. Eccl. l. 5. c. 23.

millia virginum, & decem millia monachorum. Etiam in ordine nostro Cisterciensi quædam cœnobia fuisse legi, quibus ex hac institutione nomen inditum fuit, nam laus perennis, & jugis laus vocabantur, quod in eis perenni succellione divinæ laudes celebrarentur. Emulabantur nimirum antiquiores monachi supernæ Hierusalem gaudia, per cuius vicos festinum Alleluja nunquam interruptis concentibus cantatur. Nam, ut optimè Augustinus ^z; Cum post istas corruptionis angustias habitabimus in domo Dei, tota vita nostra non erit nisi laus Dei. Recedente necessitate omnia negotia necessitatis intercidunt, quoniam non erit quid ibi agatur. Non dico die, ac nocte, ubi nox non est, sed toto die, cum unus dies est, non erit quid ibi agamus, nisi laudemus quem diligimus, quia tunc & videmus. Modò non visum desideramus, & laudamus: tunc visum quod amamus, quomodo laudabimus? sine fine erit laus, quia sine fine amor.

8. Longum esset retexere quam sublime, quam divinum sit opus divinis quotidie laudibus vacare; hymnis, & canticis spiritualibus exercere seipsum, & beatorum in terris felicitatem imitari, sicut scriptum est *f. Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Placet hic Antiochi sanctissimi monachi verba dedisse ^z. Psalmodia, inquit, est opus incorporearum virtutum Deo administrantium, & indivulsi assistentium, juxta quod dicitur, *Laudate Dominum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.* Hoc opus competit & hominibus, omnis enim spiritus laudet Dominum. Monachis autem peculiari quadam prærogativa, vel in primis convenit, quod institutum vitæ prorsus Angelicæ delegerunt. Suffragatur Antiocho Cyrillus ^a Hierosolymitanus his verbis. Propterea traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam Sanctus, Sanctus, Sanctus recitamus, ut in illa cœlesti hymnodia cum supramundana militia communicemus per hujusmodi hymnos nos sanctificantes. Scribit Philo ^x magis gaudere Deum puris mentibus, quæ hymnos offerant in gratiarum actionem, quam Hecatombris. Ad hoc enim, teste Chrylostomo ^y, creatus est homo, ut laudet Deum. Nihil à nobis, ait ille, æquè requirit Deus, ac laudes, & gratiarum actiones; propterea rationales nos

fecit, & à brutis lingua discrevit, ut eum laudemus, & jugiter glorificemus. Sed de psalmodiæ excellentia ne plura hic scribam, fecit vir omnium literarum gloria illustris Anacletus Siccus ^z, qui universa de genere hoc elegantissimè pertractavit edito insigni opere de Ecclesiastica hymnodia, ejusque usu, & præstantia.

9. Utinam possem, Deus meus, vera jucunditas cordis mei, utinam possem laudare te tam excelsa voce, tam pura mente, sicut unquam laudatus es ab aliqua creatura tua in cœlo, & in terra. Utinam possem omni momento vacare tibi, & à laude tua nunquam cessare. Ubi est enim bonum meum, & lætitia mea, ubi pax, & requies animæ meæ, nisi in laude creatoris mei? Sed quomodo potero te dignè laudare, qui nec te satis mirari dignus sum? Nam fœcundia depressus ad te, qui justus es, ipse non justus erigi nequeo: & cum adhuc simulacra mundi hujus circumferam, vel invitus ad terram alidior; neque speciosa laus esse potest in ore peccatoris. Veruntamen ante te est omne desiderium meum, & multiplex gemitus cordis mei pro defectibus meis. Suscipe igitur ardentissimum desiderium languentis animæ meæ in laudem, & gloriam nominis tui. Suscipe vota cordis mei in holocaustum matutinum, ascendat oratio mea ad te, sicut incensum vespertinum: da sermonem rectum, & bene sonantem os meum, ut placeant verba mea, & hæc qualescunque lucubrationes meæ in conspectu tuo in æternum.

10. Possèm hoc loco acriori stylo adversus quosdam Anonymos invehi, qui ementito Theologi nomine, ut facilius deciperent simpliciores, ausi sunt publicam horarum canonicarum recitationem irridere, & calumniari. Ajunt supervacua esse tot officia, ad honestam duntaxat Religiosorum, alioquin otio & inertia languentium, occupationem adinventam. Nunc in Ecclesiæ utilitatem, in studia literarum, in præstantissima charitatis opera diu noctuque incumbentibus quid opus cantu, & psalmodiæ? Quasi verò omnium Ordinum religiosi viri choro jugiter mancipati non infinita pietatis opera exercuerint, non plura posteris reliquerint doctrinæ monumenta. Nusquam sancti Patres officii divini solemniter recitandi causam designant otiosorum occupationem. Aliæ illis causæ. Nec se

otiosos

^z August. in Psal. 141. ^f Psalm. 83. ^t Antiochus hom. 10, quæ tota est de psalmodia. ^u Cyrill. cat. 1. 5. ^x Philo lib. de vitæ offerenda. ^y Chryst. in Psal. 116.

^z Anaclet. Siccus.

otiosos nuncupari patientur tot Ecclesiæ proce-
res, tot Præsules, & Antistites tot primæ notæ
Theologi, tot sanctitate insignes viri, tot illu-
stres Dominici agri cultores, qui in Deo dicatis
cœnobiis non sine proximi ædificatione, &
animarum fructu vixerunt, & vivunt: non tot
presbyteri, & Ecclesiarum Cathedralium Can-
onici, & scientia, & natalibus illustrissimi,
non ipse summus Pontifex Ecclesiæ Catholice
caput, non Cardinales, non Reges, & Princi-
pes, qui omnes summo studio hunc morem sta-
tis horis publicè psallendi ab ipsius Ecclesiæ in-
conulabilis ad hanc nostram senescentem ætatem
coluerunt, laudarunt, frequentarunt, semperque
laudabunt, & frequentabunt, donec Antichri-
sti tyrannis omnem Dei cultum à fidelibus tollat.
Sectarios tanta intemperie Ecclesiasticum can-
tum irridere non miror: solemne illis est omnem
pietatis speciem, omnem religionis majestatem
evertere. At inter Catholicos, inter eos, qui se
Theologos nuncupant, homines reperiri, qui
antiquissimos Ecclesiæ ritus, qui sanctissimam
psallendi disciplinam, si non omnino tollere,
at saltem dignitatem ejus minuere, præstantiam
obfuscare conentur; profectò non crederem, ni
typis evulgatæ scriptiones id evidenter ostende-
rent. Psalmodiam igitur nihil æstiment fideles,
quæ maximas Dei laudes continet, nostræ Re-
ligionis arcana commemorat, contemplationem
nutrit, gignit amorem, perfectam orandi for-
mam exercet, demones fugat, lætificat Ange-
los, delicias spirituales subministrat, & quandam
in terris cœlestis gloriæ fidelitatem repræsentat.
Væ retroactis seculis, istos Theologos non tulerunt,
ut admonerent Ecclesiam, ne tot canti-
bus, & prolixis precibus fatigaretur. Sed par-
co verbis. Lætant, quia malè agunt, adver-
sarii. Nolo ego cum larvis, aut instar illius
Cyclopi apud Homerum cum nemine lu-
ctari. Porro de ortu, & excellentia sacrosan-
ctæ Psalmodiæ jam diximus: nunc dicendum,
quæ causæ à sanctis Patribus assignentur, ob
quas certæ horæ ad psallendum Deo fuerint
institutæ.

CAPUT II.

Quibus de causis certæ quædam horæ ad
psallendas Deo laudes fuerint
institutæ.

§. 1.

*Varia nomina horarum Canonicarum expli-
cantur. Cur divina mysteria symbolis, &
allegoriis occultarint Antiqui.*

Certos hymnos, certamque rationem
publicè laudandi Deum primi Patres
Ecclesiæ divinum officium nuncuparunt.
Vocant enim officium Latini idiomatis Professo-
res id, quod quisque debet efficere, habita ra-
tione locorum, temporum, & personarum. Inde
titulum de Officiis acceperunt libri tres Ciceroni-
s, totidemque Ambrosii Præsulis Mediola-
nensis. Est etiam officium apud Suetonium^a ho-
nor, vel obsequium: Assidentem, inquit, con-
jurati specie officii circumsteterunt. Dicitur au-
tem officium una immutata litera ob decorem
sermonis, quasi efficium ab efficiendo, ut no-
tat Ambrosius^b. Quia verò in divinis laudibus
id omne continetur, quod nobis faciendum est
erga Deum, easque statim horis persolventes de-
bitum servitutis obsequium supremæ Majestati
impendimus, ideò sub hac duplici acceptione
Dei laudibus officii nomen imposuerunt Anti-
qui. Alii horarias preces cursum divinum voca-
runt, vel à cursu solis desumpto vocabulo; vel
quia legendo, & cantando percurruntur. San-
ctus Columbanus^c Regulæ suæ caput septimum
inscripsit de cursu: S. Bonifacius^d Epistola 17.
speciales horas, & cursum Ecclesiæ custodiant:
Gregorius Turonensis^e, exurgente Abbate cum
monachis ad celebrandum cursum: Fortunatus^f
Pictaviensis Episcopus in vita S. Germani,
S. Germanus iter agens semper nudo capite cur-
sum recitavit, etiam si nix, aut imber urgeret:
Idem in carminibus^g:

Pppp 2

Carminibus

a Suet. in Casare. b Ambr. de off. lib. 1. cap. 8.
c Columban. reg. cap. 7. d Bonifac. epist. 17.
e Greg. Turon. l. 1. de glor. Martyrum c. 11. f For-
tunatus. c. 79. vitæ S. Germani. g Idem lib. 2. ep. 10.

Carmine Davidica divina poemata pangens

Cursibus assiduis dulce revolvit opus.

A Græcis officium canon dicitur: Basilius *h* in regulis brevioribus; Si quis non occurrat adesse canoni psalmodiæ: Jo. Moschus in prato spiritali *i*, post canonem, quod Latinus vertit post officium: S. Antiochus *k* Psalmodia nostra canon appellatur: sicut agricola nisi suum canonem plenum, & bonum reddiderit, in carcerem conjicitur, donec integrum persolvat debitum; ita continget monacho, si per oscitantiam sibi præscriptum canonem transierit. Dicitur etiam synaxis passim apud Cassianum *l*, à verbo *συναγωγή* quod est colligere, seu congregare, quia ad psallendum colliguntur in unum, & congregantur Religiosi. Eodem sensu à S. Pachomio *m* in regula dicitur collecta: & in vitis Patrum narrat Rufinus pulsasse Diabolum aliquando nocturno tempore ad ostium cellulæ Macarii junioris, & dixisse; Surge Abba Macari, & eamus ad collectam, ubi fratres ad vigiliis congregantur: & infra; Nulla sine nobis collecta agitur, nullaque congregatio monachorum. In Concilio Agathensi *n* Missa nuncupatur his verbis, in conclusione matutarum, vel vespertinarum missarum post hymnos capitella de psalmis dicantur. Ab aliis Psalmodia, Agenda, & solemnitas dici solet. Sanctus autem Benedictus *o* dictus insigni prænomine vocat officium divinum opus Dei, opus nimirum, quod erga Deum devota mentis actione præstare debemus, opus illud, de quo scriptum est *p*, *Opus justi ad vitam*, & alibi: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter q*. Et quia majores nostri tempus, & horas, quibus prædictum officium persolvendum est, Ecclesiasticis canonibus dimiserunt; ideo canonicas horas appellamus constitutis horis regulariter celebrandas. Quam institutionem non temere, non inconsulto sanctam secretiores causæ, symbolica rationes, ac solis sapientibus revelata mysteria consecraverunt.

2. Visibilibus enim imaginibus ad divinas intelligentias pro virum nostrarum modo ascendimus, teste Dionysio Areopagita *r*. Neque aliter fas erat infirmitati nostræ lucere di-

h Basil. reg. brev. 147. *i* Prat. sp. cap. 27. & 40.
k Antioch. homil. 105. *l* Cass. lib. 2. cap. 10. & coll. 15. cap. 1. *m* lib. 2. de vitis PP. cap. 29.
n Concil. Agathen. cap. 30. *o* Bened. reg. cap. 43. & 47. *p* Prov. 10: 16. *q* Hier. 48: 10.
r Dion. Areop. de Eccl. Hier. cap. 1. & de Cons. hier. cap. 1.

vinum radium, nisi sacrorum varietate velamentum opertum, & his quæ nobis familiaria sunt vestitum, quia juxta Domini sententiam illicitum est projicere ante porcos mundam, & luciformem venustatem invisibilem margaritarum. Negabat Plato secretiora mysteria his communicari debere, qui animo purificati non essent, ne immunda multitudo eorum sanctitatem contraria, aut falsa interpretatione corrumpere. Hipparchus Pythagoricus, teste Clemente Alexandrino *s*, expulsus è schola fuit, quod magistri præcepta aperte scripsisset, eique tamquam mortuo columnam imposuerunt. Lyfidis hac de re elegantissimam epistolam ad ipsum Hipparchum refert Bessarion Cardinalis *t*, eamque commemorat Jamblicus *u*. Quot fabulæ, & allegoriæ ab Antiquis fuerunt inventæ, ut earum involuero sublimiorem philosophiam occultarent? Metrodorus Lampfacenus, de quo Diogenes in Anaxagora, & Tatianus oratione contra Græcos meminere, totum Homeri poema ad allegorias traxit, quem Proclus, & Eustathius sunt imitati. Strabo *x* autem libro primo Geographiæ adversus Eratosthenem id evincit: idemque prudentissimus Scriptor Plutarchus *y*, & Leo *z* Hebræus eroticus Doctor asseverant. Heraclides *a* quoque initio libri allegoriarum in Homerum; Si quis, ait, citra philosophicam contemplationem, & allegoricum sensum Homeri carmina accipiat, non alius utique fuerit Homerus, quam Salmoneus, & Tantalus, intemperantia linguæ, qui moribus est turpissimus, laborans. Legendus item de hac re Porphyrii libellus de antro Nympharum, quem Latinum fecit vir clarus & abstrusiori sapientia singulariter præditus Lucas Holsteinius. Ænigmatum sunt omnia referata, inquit Tyrius *b*, tam quæ Poætæ, quam quæ Philosophi enuntiant: Quod enim humanæ imbecillitatis captus manifestè percipere non potest, ejus est fabula modestior interpret. Heraclitus Ephesius, ut Laërtius *c* testatur, librum de natura ex industria obscurius scripsit, ne, si à vulgo passim legeretur, contemptibilis esset. Dominus JESUS, cum esset sapientia æterna, loquebatur in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis *d*, ne divina secreta passim

s Clem. Alex. l. 5. Strom. *t* Bess. adv. calumn. Plat. lib. 1. cap. 2. *u* Jamblic. de vita Pythag. lib. 1. c. 17.
x Strabo 1. Geogr. *y* Plut. lib. de aud. Poet. 2. Leo dialog. 2. de amore. *a* Heraclid. lib. Allegor. in Homerum. *b* Max. Tyr. ser. 29. *c* Laert. de vitia Philos. lib. 9. *d* Matth. 13.

sim omnibus paterent, & facile intellecta vile-
 scerent. Scribit Ignatius e ad Trallianos se abstru-
 siora illis non scribere, metuo enim, ait, ne vim
 mysteriorum minimè capientes strangulemini.
 Sacra mysteria, inquit Gregorius Nazianzen-
 sus f, apud abjectos non sunt explicanda: i-
 dem enim est, ac si quis imbecillæ auri to-
 nitruum sonum, & solem infirmis oculis, &
 lacte adhuc utentibus solidum cibum committat.
 Rabbi Moyses Ægyptius g in libro, quem
 Directorem perplexorum inscripsit, sive de du-
 biis perplexis veteris testamenti, docet sapien-
 tes prohibuisse, ne quis arcana legis pateface-
 ret. Nicetas h in fine commentarii ad oratio-
 nem 40. Nazianzeni; Fidei, inquit, myste-
 ria, quæ magis recondita sunt apud profanos ho-
 mines, testæ & occulta habebis, atque inviolata
 custodies non aliter atque ea, quæ impressa si-
 gillo servantur. Ipsi Reges majestatem immi-
 nui, & vulgari olim putabant, ut verbis utar
 Latini Pacati i, nisi eos intra repositum pala-
 tinæ ædis inclusos, tamquam aliquod Vestale
 secretum, veneratio occulta consuluisse: nisi
 intra domesticam umbram jacentes solitudo pro-
 visa, & silentia latè conciliata vallassent. Soler
 nimirum ignorantio addere rebus auctoritatem,
 eaque est humanæ mentis imprudentia, ut quæ
 palam exposita sunt minoris faciat, quæ abstru-
 ta vehementer admiretur. Hinc Phalaris k A-
 grigentorum Tyrannus ad Aripheum scri-
 bens, Opera tua, ait, & his quæ misimus, &
 longè majoribus præmiis digna sunt, mea autem
 perferuntur noli; nihil enim in his potius, quam
 silentium ducimus. Synesius l ex Philosopho
 Platónico Episcopus Catholicus vetustissimum
 institutum esse arbitrat sub vilioris argumen-
 ti specie, quæ sunt in philosophia magna at-
 que præstantia, dissimulare, ut nequequæ dif-
 ficulter inventa sunt ex hominum memoria ex-
 cidant, neque in profanum vulgus edita depra-
 ventur. Fabulis autem veritatem occultare,
 inquit Salustius m Philosophus, insipientes
 prohibet, ne contemnant: studiosos ut philo-
 sophentur compellit. Narrat Julius Firmicus n,
 quod, cum Orpheus sacrorum ceremonias ape-
 rirer, nihil aliud ab his, quos initiabatur in
 primo vestibulo, nisi jusjurandi necessitatem,

& cum terribili quadam auctoritate religionis
 exegit, ne profanis auribus religionis secreta
 proderentur: patiuntur enim hæc omnia ja-
 cturam, cum perditis, & desperatis animis in-
 geruntur. Idem Ægyptii in ingressu templorum,
 teste Synesio o, Sphinges collocarunt, ut
 admonerent mystica dogmata à profana multitu-
 dine inviolata custodire debere. Nam nec lip-
 piens oculis, ait Isidorus Pelusiota p, in solis or-
 bem aciem defigere potest, & si eam defigat, fru-
 stra id agit: nec sordida mens sanctarum rerum
 quicquam utiliter perferuntur potest. Ozias Rex,
 cum sacris rebus profanas manus injicere præ-
 sumpsisset, lepra percussus extra templum ejectus
 est. Gentiles quoque sacris arcere solebant profa-
 nos, ut Poëtæ passim ostendunt. Virgilius enim
 sic canit q:

— — — Procul, o procul este profani,
 Conclamat vates, totoque abstasite loco.
 Et Silius Italicus r:
 Parcite Polluti contingere vincula palmis,
 Et procul hinc, monito, procul hinc quæcumque
 profane.

Titus quoque Calphurnius s:
 — — — Ite procul, sacer est locus, ite profani.
 Ovidius item in Fastis t,
 Innocui veniant, procul hinc, procul impius esto.
 Et Stadius Papinius in Sylvis u;

— — — Procul hinc, procul ite nocentes.
 Quod etiam pertinet illa Miorum vvvv
 Sordere vis divina? vulgo sac palam.

3. Τὸ μυστήριον ἀπὸ τῶν ἁγίων, quod est clau-
 dere, vel cælare, dicta sunt, quod nequaquam re-
 velari debeant his, qui sacris non sunt initiati.
 Omnibus autem mysteriis silentii fidem olim ad-
 hibitam Tertullianus x in Apologetico, & ini-
 tio libri contra Valentinum demonstrat. Aristi-
 des y in eleusinio eos arguit, qui indignè my-
 steria evulgant. Apuleius in Milesis; Sacris
 pluribus initiatus nostri, ait, sanctam silentii
 fidem. Mysteriura, inquit Chrysostomus z,
 est quod nemo novit, quod est admirabile, quod
 est absconditum. Ambrosii a sententia est, ineffa-
 bilibus mysteriis nullam rem magis quadrare,
 quam silentium. Cui adstipulatur Basilius b, sic
 Pppp 3 scribens.

o Synes. de regno. p Pierius lib. 6. Hieroglyph. cap.
 12. p Isid. Pel. lib. 6. ep. 304. * 2 Paralipom. 26.
 q Virgil. 6. Æneid. r Sil. Ital. lib. 17. s Calph-
 urneclog. 2. t Ovid. 1. Fast. u Star. lib. 3. Sylv. x
 Tertull. apol. cap. 7. y Aristid. in eleus. Apul. l. 3.
 z Chryst. ad Coloss. or. 5. a Ambros. lib. 6. de Sacra-
 mentis. b Basili. de Spir. sancto cap. 27.

e Ignat. epist. 5. f Nazianz. or. 44. g R. Moser l. 3. c. 1.
 h Nicet. ad or. 40. Naz. n. 51. i Lat. Pac. Drepanus
 in Paneg. Theodosii. k Phalaris ep. 16. l Synesius
 pref. libri de insomniis. m Sal. l. de Diis. n mund.
 6. 3. o Jul. Mat. Firmicus pref. l. 7. Mathef.

scribens. Qui in primordiis Ecclesiae certos ritus praescripserunt Apostoli, & Patres, in occulto, silentioque suam mysteriis servaverunt dignitatem. Sanctus quoque Joannes Abbas Raythu^c docet, Climacum^d obscure narraffe contemplationem, quia noluit omnibus mysteria revelare. Qui vero ab ethnicis admittebantur ad sacra, mystae, ac mystici dicebantur: unde est illud apud Clementem Alexandrinum^e, & Julium Maternum Firmicum^f; Jejunavi, potum confectum bibi, de cista accepi, factus sum mysticus. Nos autem ut mystae evadamus, JESUM prius invocemus, qui est vera lux, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & sic pergamus ad contuendas pro viribus sacrarum precum intelligentias, pro ut illas à Patribus accepimus; & quas illi nobis vel per signa, vel per intelligentiae sacratio- ris arcana tradiderunt, in quantum possumus, speculemur. Levemus velum, faciem Moysi revelemus, & ingressi sanctuarium videamus spiritum vitae, qui est in rotis. Veniant qui altiori mysteriorum commercio digni sunt, & solutis terrenorum affectuum calcamentis accedant ad videndum, & audiendum Deum: meminerintque scriptum^g, Secretum meum mihi: & *h*, In corde meo abscondi eloquia tua: itemque *i*, Sapientiam loquimur inter perfectos. Sed quo ausu occulta revelare potero ingenio pauper, affectu iners; nisi tu, JESU bone, qui potes omnia, emittas manum tuam de excelsu habitaculo tuo, & introducas me in domum tuam, in locam tabernaculi admirabilis? De- decet enim, ut Arnoldus Abbas^k scribit, corruptum in corrupta contrectare, & purificato- riis muneribus manum apponere impuram. Tu ergo, qui potes facere mundum de immundo conceptum semine, purifica me potenti illapsu gratiae tuae, & clarifica me claritate interni lu- minis, ut supernae tuae lucis splendore perfusus incerta, & occulta sapientiae tuae percipere va- leam, sacrarumque preceationum mysteria ex- plicare. Graecorum quidem scriptores, ait Epiphanius^l, ubi fabulosum aliquod scri- ptum aggrediuntur, Musam aliquam invocant, non Deum. Nos autem invocamus sanctum uni- versorum Dominum, ut adjuvet paupertatem

^c Jo. Rayt. ad. gr. 27. ^d Climaci. ^e Cl. Alex. in Protrepico. ^f Jul. Mat. de errorib. profan. re- ligionum. ^g Isaiæ 24: 16. ^h Psal. 118. ⁱ 1 ad Cor. 2: 6. ^k Arnold. de 7. verbis cap. 3. ^l Epi- phanius initio Panaris.

nostram, & inspiret Spiritum sanctum suum; ut nihil adscititium in promissum scriptum com- portemus; atque hoc ipsum petentes nostrae insufficientiae nobis concilii, juxta fidei mensu- ram, ac proportionem ipsum nobis largiti ob- secramus.

METRUM III.

Mystica sacrarum penetrabilia pandere verum,
Atque adytum referare poli, per jussa superno
Lumine mens gestit. Procul hinc gens vana recedat.
Quae residem, tetraque animum caligine mersum
Tollere nescit humo, scelorum devincta catenis.
Si nihil ad vestros caeli mysteria mores,
Sanctaeque religio, praesaeque, & Numina spectant;
Parcite pollutis haec scripta evolvere dextris,
Parcite vulgus iners, dira plebi conscia culpa,
Cui fixum stas corde nefas, quam vulnere fædo
In Bacchi, Venerisque luem malus impulit error.
Non hic obscuris rerum primordia pando
Naturae claustris: non hic digesta per annum
Tempora, non Thebas, non altis sidera colis
Concino diversos hominum variantia casus;
Non sreta fatidica primum sulcata carina,
Non stygii raptoris equos, non pocula Circes,
Non clarum Aecidem, formidatunque noverca
Amphitryanidem, miser aequae incendia Troiae.
Non rejero hic varias subeunria corpora formas,
Non sylvas, viridesque plagas, Veneresque, jocosque.
Hæc, pereant, quicunque colunt. Mihi splendida ab alta
Lux aitet, & divo jam cor perfunditur astu.
Ecce Deus, Deus ecce venit, procul este profani:
Este procul, nocuos procul hinc averte vultus.
At vos sancta anima, solida pietatis alumna,
Quas amor, & summi perfringit Numinis horror,
Vos precor hic paucas perituræ temporis horas
Conterere, & mecum veterem vestigia Patrum
Certa sequi. Dignas, Deus est, cui pangere laudes
Legibus hic doceo sacris, quem jussa per orbem
Terra colit celebratque polus, manesque tremiscunt.

S. II.

Prima ratio institutionis horarum ex Divo
Cypriano. Secunda ex Amalario For-
tunato, & Honorio Augustodunensi.

Primam rationem mysticam, ob quam
horarum preces sunt institutæ, eloquentis-
simus Cyprianus^m assignat his verbis: In
ora-
m Cyprianus lib. sive serm. de orat. Dominica præp
finem.

orationibus celebrandis invenimus observasse cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captivitate victores horam tertiam, sextam & nonam sacramento scilicet Trinitatis, quæ in novissimis temporibus manifestari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens consummatum numerum Trinitatis ostendit. Itemque ad sextam quarta procedens declarat alteram Trinitatem. Et quando à septima nona completur, per ternas horas Trinitas perfecta numeratur. Quæ horarum spatia jam pridem spiritualiter determinantes adoratores Dei statuerunt, & legitimis ad precem temporibus serviebant: & manifesta postmodum res est, sacramentum olim fuisse, quod ante sic justi precabantur. Nam super discipulos horâ tertiâ descendit Spiritus sanctus, qui gratiam Dominicæ promissionis implevit. Item Petrus horâ sextâ in tectum superius ascendens signo pariter, & voce Dei monentis instructus est, ut omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emundandis Gentilibus ante dubitaret. Et Dominus horâ sextâ crucifixus ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit, & ut redimere, & vivificare nos, posset, tunc victoriam suâ Passione perfecit. Sed nobis, præter horas antiquitatis observatas, orandi nunc & spatia, & sacramenta creverunt. Nam & mane orandum est, ut resurrectione Domini matutinâ oratione celebretur, quod olim Spiritus sanctus designabat in psalmis dicens, *Rex meus, & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine mane, & exaudies vocem meam, mane assistam tibi, & contemplanabor te.* Recedente item sole, ac die cessante necessariò rursùm orandum est. Nam quia Christus sol verus, & dies verus est, sole, ac die sæculi recedente, quando oramus, & petimus, ut super nos lux denuò veniat Christi, precamur adventum lucis æternæ gratiam præbiturum. Et post pauca de nocturnis precibus. Quando mundi lege decurrens vicibus alternis nox resoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, quia filiis lucis & nocte dies est. Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est? Aut quomodo soli ei, & dies non est, cui sol, & dies Christus est? Qui autem in Christo, hoc est in lumine, semper sumus, nec noctibus ab oratione cessamus. Hæc Cyprianus Christianæ eloquentiæ Princeps.

2. Secunda ratio Amalarium Fortunatum o ha-

Psalm. 5. O Amalar. lib. 3. de Eccles. officiis cap. 1.

bet auctorem. Christi enim sanguine, magnò & inestimabili pretio, à diabólica servitute redempti jam nostri non sumus, sed Redemptoris nostri, quotquot Christiano nomine confitemur, quem debitis gratiarum actionibus prosequi, ac jugiter glorificare debemus, ut quoniam singulis horis, ac momentis ejus beneficio vivimus, & sumus; ita etiam, quantum præsentis vitæ necessitas permiserit, ab illius nunquam laude cessemus. Hoc pro modulo nostro præstamus, dum in nocturna synaxi duodecim psalmos cantantes, diurno etiam tempore quolibet horarum ternario tres psalmos modulantes singulis horis per hujusmodi psalmodiarum repetitionem Deo præsentibus viginti quatuor diebus horas divino famulatu consecramus. Sic eniam fit, quod in re simili Sanctus Leo Magnus observat, ut anima, quæ terrenis adhuc desideriis implicatur, & curis sæcularibus impeditur, ex intervallo saltem ad divina respicit. Consonat huic doctrinæ Honorius Augustinus dicens in Gemma animæ 2. Sol totum mundum viginti quatuor horis perlustrat, & stellas quidem sibi in die præsentibus lumine suo obsecurat, absentes verò in nocte illuminat. Sol autem Christum justitiæ solem præfiguratur, qui hunc superiorem mundum quasi in die illustrabat, dum illum præsentibus doctrinis, & miraculis illuminabat. Inferiorem verò quasi in nocte irradiavit, dum morte suâ sedentes in tenebris, & umbra mortis visitavit. Stellas verò præsentibus velat in die, dum sanctos in gloria suæ præsentibus à mundi tenebris cœlat. Stellas in nocte absens illuminat, quia justos in nocte hujus vitæ illustrat. In nocte ergo duodecim psalmos, & in die totidem psallimus, quot horis stellas à sole undique versum illuminari diximus, quatenus nos Christiani in baptismate stellæ facti ab æterno sole in omni hora illuminemur, si Dominum in omni tempore benedicentes veneremur. Optimè S. Eligius: Cui dicendum est, oportet semper orare, & non deficere, nisi ei, qui canonicis horis quotidie, juxta ritum Ecclesiasticæ traditionis, psalmodiis precibusque consuetis Dominum laudare, & rogare non desistit? & hoc est quod Psalmista dicebat, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Septenario enim numero, inquit

Prima-

p Leo serm. 4. de jejun. septimi mensis. q Gemma anima lib. 2. cap. 49. & 50. r Elig. hom. 11. s Psalm 33.

Primus 7, universitas figuratur, propterea canitur; Septies in die laudem dixi tibi: quod a libi dicit, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

§. III.

Tertia ratio ex Hugone Victorino, Quarta ex communi Scriptorum sententia ob Dominicæ Passionis memoriam.

1. **T**ertiam rationem tractat Hugo de S. Viatore u. Octo horas sancti Patres præ cæteris ad laudandum Deum elegerunt, mediam scilicet noctem, diluculum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium. Quia dignum est, ut homo, qui corpus gerit ex quatuor elementis, quater respectu noctis, & quater respectu diei per diem naturalem Deum sibi placare sataget. Et cum omni tempore laudandus sit Deus, potissimum in prædictis horis laudatur ab Ecclesia, in quibus opera præ cæteris insignia dignatus est facere. Nocte enim mediâ natus est de Virgine, diluculo surrexit, horâ primâ mulieribus ab Angelis nunciata est Resurrectio, horâ terciâ Spiritus sanctus inflammavit Apostolos, horâ sextâ crucifixus est Dominus, horâ nonâ emisit spiritum pro salute mundi. In Vesperis commemoramus adventum Domini mundi de Vespere. In Completorio completum erit gaudium Sanctorum in die generalis retributionis. Hæc Hugonis sententia cuiusdam subobscura videbitur, dum orationem à nobis fieri commemorat quater in die, & quater in nocte. Sciendum proinde est, ex his, quæ infra dicentur, Primam dumtaxat, Tertiam, Sextam, & Nonam horis diurnis: laudes verò, Vesperas, & Completorium cum Nocturnis nocturno tempore ab illo assignari. Nam & laudes ante solis ortum, Vesperæ autem & Completorium, vel post vel circa ejusdem occubitus olim celebrabantur, ut suis locis ostendemus.

2. Quarta ratio omnium Scriptorum calculo approbatur, quam eleganter explicant Rupertus Abbas, & Gemma animæ x. Ad conservandam enim copiose Redemptionis memoriam septies in die laudem dicimus Domino, juxta vulgatilimos glossæ versiculos y.

t *Primus lib. 1. in Apocal. c. 1.* u *Hugo c. 3. Speculi de Ecclesia mysteriis.* x *Rup. l. de div. officiis. Gen. l. 2. c. 55.* y *Glos. inc. 1. de celebr. Missar.*

Hæc sunt septies propter quæ psallimus horis. Matutina ligat Christum, qui crimina purgat. Prima replet spiritus. Causam dat Tertia mortis. Sexta cruci necit. Latus ejus Nona bipertit. Vespera deponit. Tumulo completa reponit.

Plurimi Auctores è Canonistarum populo alios recitant versus, sed historicæ veritati non omnino conformes: nam Resurrectio ante primam horam facta est, & quod de hora duodecima dicunt, in Evangelio non legitur.

In matutino damnatur tempore Christus.

Quando resurrexit Primam canit ordo fidelis.

Tertia cum canitur tunc est cruciamina passus.

Sexta sunt tenebræ per mundi climata factæ.

Emissus Nonâ est divinus Spiritus horâ.

Vespere clauduntur Christi sacra mæbra sepulchro.

Christo bisseña custodia ponitur hora.

Hæc potissima ratio est, ob quam his horis divina celebrantur officia: hæc præcipua mysteria sunt, quibus, dum psallimus, insistere debemus: Nihil enim juxta Magni Leonis x. sententiam, inter omnia opera Dei, in quibus humana admirationis fatigatur intentio, ita contemplationem mentis nostræ & oblectat, & superat, sicut Passio Salvatoris. Atque utinam possem omnibus horis, ac momentis vitæ meæ tam beatæ Passionis, tam vivificæ mortis recordari, à qua vita, & resurrectio mea, & omne bonum meum procedit. Plus enim mihi contulit Dominus redimendo, quam creando; creando quippe me mihi dedit, redimendo verò & seipsum dedit, & me reddidit mihi. De nihilo creatus sum, sed non de nihilo redemptus. Flagella, spinas, clavos, & crucem sustinuit amarissimam, totumque sanguinem effudit, ut me vitæ sempiternæ participem efficeret. Vade igitur anima mea ad montem myrrhæ, collige tibi fasciculum ex omnibus amaritudinibus Domini tui, & dic cum anima dilecta, *Fasciculum myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commemorabitur a.* Hunc fasciculum, si semel collegero, nemo tollet à me, inter ubera mea commemorabitur. In hoc Justitiæ consummatio, in hoc scientiæ plenitudo, in hoc divitiæ salutis, & copia meritum. Hæc mea sublimior Philosophia scire JESUM & hunc crucifixum. Nullibi melius discitur quid sit sanctitas, quid sit perfectio, quam in vulneribus Salvatoris. Nulla efficacior medicina ad purgandas animæ sordes; ad curanda conscientie vulnera, quam Christi vulnerum meditatio. Horum non

z *Leo Serm. 11. de Pass. Domini,* a *Cant. 1: 12.*

non obliviscar in æternum, quia in ipsis vivificatus sum.

METRUM IV.

Currite sanguine lacrymarum flumina rivis,
Et corde ab imo tristis exundet dolor.
Erumpant moriente Deo suspiria & intus
Occulta amoris æsuent incendia,
Ite manus nocuæ, sceleratum tundite pectus,
Vindexque aperis sanguis è venis fluat.
O fluat, & rosus detur pro sanguine sanguis,
Measque culpas diluat fusus cruor.
Dicite vos cæli, vos conscia sumeris astras,
Si majus unquam polluis terram nefas.
En jacet exanimis soboles æqueva Tonantis
Damnata ligno, crimina ut mundi luat.
Spinea serata caput præcingunt membra cruentis
Discerpra virgis sanguinis rivos pluuunt.
Omnis abest species notam dignoscere formam,
Notosque vultus ipsa vix posset parens.
Horruit aspectus, densisque in nubibus æther
Phœbique, siderumque condidit facies.
Æternas populi mundo timuere tenebras,
Stravitque mortuus anxias gentes pavor.
Grandia terrificis sum saxa excussa ruinis,
Et ipsa trepido terra subsiluit solo.
Scilicet (O Superi cur non emittitis ignem?
Cur non ferocem armatis in me dexteram?)
Scilicet (ab scelerum nimis improba causa meorum,
Quæ lucis, & vitæ reum Numen facis.)
Scilicet interitum summi genuere parentis
Quæcumque cæli continentur ambitu.
Et vos mortales tantorum causa malorum
Siletis? & non irrigat fletus genas?
Ah fluite ô lacrymæ totoque è corpore sanguis.
Ut sole nix soluta, rivis effluat.
Ecce sitit moribundus Amor, date pocula Aman-
tes,
Amoris haustum Rex amantium sitit.
Nempe sitit lacrymas, lacrymæ ne arefescite: vestro
Sedare fletu fervidam cupit. sitim.

§. IV.

Quinta, & sexta ratio in gratiarum actionem ob divina beneficia. Septima per analogiam ad ætatem humanam. Addita quadam de brevitate vitæ.

1. **Q**uinto septem distinctis horis servitutis nostræ pensum reddimus Deo, ut pro creationis beneficio septem diebus peracto creatori gratias agamus. His accedit

octava nocturnæ vigilia hora pro spe resurrectionis, quam mediâ nocte futuram plerique doctiores sentiunt ^b, tum quia Dominus se venturum ad iudicium tanquam furem in nocte prædixit: tum quia mediâ nocte de adventu sponi excitatum clamorem in parabola fatuarum, & sapientum Virginum legimus. Facem mihi prætulit ad hanc rationem astruendam Rupertus Abbas ^c his verbis: Septem canonicas horas diei non licet à quoquam, qui in conspectu Dei vacuus, & ingratus apparere nolit, negligenter præteriri. Hæ siquidem creatori nostro deferunt laudes, & pro certis, ac magnis ejus beneficiis quasi vectigales sunt gratiarum actiones. Ut enim cecinit Prudentius:

Quod generosa potest anima
Lucis, & ætheris indigena
Solvere dignius obsequium,
Quam data munera si recinat
Artificem modulatu suum?

Gratiarum actio, inquit Laurentius Justinianus ^e, est in intellectu, & cognita gratiæ Dei bonæ voluntatis indeficiens, & irreflexa intentio. Nullum enim officium referenda gratia magis necessarium, quia majora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur delectare. Invitatur ad magna, qui de parvis gratias agere assuescit, & spem de futuris recipit, qui transacta beneficia recognoscit. Ideo S. Maximus ^f, Taurinensis Episcopus, hortatur nos, ut minutissimas aves imitemur, mane & vespere creatori gratias referendo. Et si es, inquit, devotior, imitare Iulciniam, cui, quoniam ad dicendas laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilenâ decurrit. Et tu igitur laudibus tuis diem vincens operi tuo adde nocturna curricula, & infomnem suscepti laboris industriam psalterii ferie consolare. Notat Richardus Victorinus ^g septem esse tentationes, importunam, dubiam, subitam, occultam, violentam, fraudulentam, perplexam, quibus impugnantur fideles, juxta illud ^h: In sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum:

Q999

^b Ambros. Hieron. Chrysost. August. & alii apud Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 30. sect. 10. ^c Rup. lib. 1. de div. off. c. 1. ^d Prudent. Cathin. hym. 3. ^e Laur. Iustin. igni vitæ de orat. c. 7. ^f Max. hom. 2. de non timendis hostibus carnalibus. ^g Rich. in Psalm. 90. h Job. 5. 19.

lum: ad quas illud etiam accommodatur, quod scriptum est, *septies cadit justus, & resurget*. Propterea idem iustus septies in die laudem dicit Domino, nam quoties post lapsum resurget, & quoties tentanti malo resistit, debet sane cooperatori suo gratias referre, à quo utique factum est, ut tentatus resistere, & lapsus posset resurgere. Septies autem oramus in die, ait Ebrardus & contra Valdenses scribens, quia septies in die cadit justus, & resurget per orationem. Addit Petrus Damianus, septem Canoniarum horarum officia, quasi septem baptismatum lavacra in sanctæ Ecclesiæ gremio constituta esse; ut septem offensionum maculas, quas ex quotidiana vitæ hujus conversatione contrahimus, totidem orationis quotidianæ fluentis expiarcuremus, quatenus assiduum corruptibilis vitæ pulverem satisfactionis lutum superfusæ orationis unda frequens detergat.

2. Sextò, sunt qui has temporum præscriptiones ideo censent ordinatas, ut per nocturnum officium tempus tenebrarum ante Christi adventum significemus: Nox enim, ut ait Remigius Antissiodorensis^m, tempus significat ante Christi adventum: Per diurnum vero tempus gratiæ, & miserationis, quo visitavit nos oriens ex alto. Septies igitur Deum laudamus, quia dono septiformis gratiæ lucem, & libertatem adepti sumus. Par esset equidem supernæ Hierusalem imitari custodes, quorum militia est semper esse in Dei laudibus, ut Ambrosiusⁿ scribit, qui super muros æternæ civitatis constituti totâ die, & totâ nocte in perpetuum non tacebunt: sicut & animalia in circuitu sedis providentia requiem non habent, die ac nocte clamantia, & dicentia. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est*. Sed aggravante corpore præpediti à divinis laudibus multoties cessare cogimur, certis dumtaxat intervallis vitulos labiorum nostrorum immolantes. Rectè Primasius^p; Ecclesia circumquaque diffusa in singulis membris, professionibusque diversis, urbibus, regionibus, provinciis, linguis, & gentibus variis Dominum die ac nocte laudare non cessat, manente intellectualis creaturæ perpetua in celestibus laude super Jerusalem, ad cuius se instat, in-

i Prov. 24. 16. k i Prov. 24. 16. Ebrard. cap. 4. l Petrus Damianus opusc. 10. c. 1. m Remig. Antissiod. in cap. ult. Iona. n Ambros. Epist. 27. Isa. 62. 6. o Apoc. 4. 8. p Primas. in Apoc. lib. 2. in fine.

formari peregrina latatur Ecclesia. Hoc est tributum, quod à nobis exigit Deus. *Immola*, inquit q, *sacrificium laudis*. Quæ verba explicans Augustinus, Ara tua, ait, conscientia tua. Securi sumus, non imus in Arabiam thus quærere; non sarcinas avari negotiatoris excutimus. Sacrificium laudis quærere à nobis Deus. Habebat hoc sacrificium laudis Zachæus in patrimonio suo, habebat vidua in sacculo suo, habebat nescio quis pauper hospes in dolio suo. Alius nec in patrimonio, nec in sacculo, nec in dolio aliquid habebat: totum habebat in animo suo. Immola Deo sacrificium laudis, & hæc immolatio, hoc sacrificium laudis est, gratias agere illi, à quo habes quicquid boni habes, & cuius misericordia tibi dimittitur quicquid tuum mali habes.

3. Septima ratio nos ipsos respicit, ætati-que nostræ progressum non inutili significatione repræsentat. Augustinus^s, Gregorius^t, Hieronymus^u, Fulgentius^x Theophylactus^y, & Honorius^z per horas diei ætates hominum, quamvis non omnino simili explicatione interpretantur. Nam quis neget quemcumque hominem profundâ nocte sepultum fuisse, cum adhuc in potentia causarum latitans proprio existentia actu careret? Nox igitur tempus illud indicat, quod nativitatem antecessit. Matutinæ laudes in confinio diei, ac noctis recitandæ, primam ætatem denotant, quam infantiam alii, pueritiam alii vocant. Prima diei hora, cum jam se purior exeret solis radius, adolescentiæ index est. Juventus per Tertiam designatur, cum solis radii longè, latèque diffusi orbem terrarum nitidius illustrant. Per Sextam virile robur intelligo sole in medio cæli, & maxima augis altitudine constituto. Hora Nona inclinatio jam die tarda senectus indicatur. Vesperè ultima ætas decrepita innuitur terram respiciens, in quam mox terrenum corpus resolvitur: quam ætatem eleganter deplorans Cornelius^a, sic cecinit:

*Nec cælum spectare licet, sed prona senectus
Terram à qua genita est, & reditura videt.*

Completorium denique ævi seriem completam, vitæque finem manifestat. Ad eò brevis est

q Ps. 49. & ibid. Augustinus^s Aug. serm. 59. de verbis Domini. t Greg. hom. 19. in Evang. u Hier. in cap. 10. Matthæi. x Fulg. de remiss. pec. libro 18. y Theophylact. in cap. 20. Matthæi. z Hon. Gen. anim. lib. 2. cap. 34. a Corn. Gallus.

est vita nostra, ut unicæ diei omnis ejus de cur-
sus comparetur. Nam diei unius sunt homines,
ait Pindarus ^b, umbræ somnium sunt homi-
nes. Et Rex Ezechias clamabat dicens ^c: De
mane usque ad vesperam finies me. Narrat Plini-
us ^a & Antigonus Carystius ^e avem esse ad
Hypanim fluvium vitæ prorsus diariæ: manè
nascitur: crescit usque ad meridiem, ac soli
tandem morienti commoritur, Hemerobios
dicitur, de qua Cicero ^f; Confer, inquit,
nostram longissimam ætatem cum æternitate,
reperiemur in eadem propemodum brevitate,
quæ illæ bestiolæ, quæ unum diem vivunt. Flos
etiam Hemerocalis ultra diem vivere nequit,
ejus meminere Dioscorides ^g & Plinius ^h: le-
gendus item Suidas verbo Ephemerii botri.
Optimè Job ⁱ, Homo natus de muliere, brevi
vivens tempore, repletur multis miseriis, qui quasi
flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.
Optimè item Isidorus Pelusiota ^k, Mundi hu-
jus gloria Hemerocalis est. Omnia tempus
aliis, inquit Poëta ^l, tempus rapit, usus in
arcto est. Libet itaque exclamare cum san-
ctissimo Abbate Columbano ^m. O tu vita
quantos decepisti! quantos seduxisti! quantos
excecasti! quæ dum fugis, nihil es; dum vi-
deris umbra es; dum exaltaris fumus es: quæ
quotidie fugis, & quotidie venis, veniendo
fugis, quæ fugiendo venis: dissimilis eventu,
similis ortu; dissimilis luxu, similis fluxu;
dulcis stultis, amara sapientibus. Qui te amant,
non te sciunt; qui te contemnunt, ipsi te intel-
ligunt. Te ostendis tanquam veram, te redu-
cis quasi fallacem. Ergo nihil es, o mortalis
vita, nisi vitæ imago, fugitiva ut avis, ut nu-
bes incerta, fragilis ut umbra-

^b Pindar. in Pythiis Ode 8. v. 135. ^c Isa. 38. 12.
^d Plin. lib. 11. cap. 36. ^e Antigon. hist. mirabi-
lium cap. 92. ^f Cic. 1. Tuscul. ^g Dioscorid. lib. 3.
cap. 137. ^h Plin. lib. 11. cap. 21. ⁱ Job. 14. 1.
^k Isid. Pelus. lib. 5. Ep. 363. ^l Aurel. Olympius.
Nemesius Ecol. 3. ^m Columb. homil. de fallacia vitæ
humana.

METRUM V.

Sic nempe velox orbita temporum
Propellit annos: surgit, & occidit
Quicquid polorum continetur
Præcipiti nimum sub axe.
Cæco rotantur secula turbine,
Vesper sequenti vespere traditur.
Mortale nil longum, nec ætas

Præteritam reparat ruinam.
Vitæ quid auras, quid senium miser,
Diesve longos, sultraque somnia
mentiris? heu! puncto futurus
Præda necis, gelidum cadaver.
Quicumque lucis amunere vescimur,
Omnes eodem tramite currimus.
Mors æquat omnes, parquæ sepe est
Nescire una dies senectæ.
Centena quamvis sæcula vixeris,
Æternitatis si numeras diem,
Nil ejus ætatem antecelles,
Unica quem rapit hora vitæ.
Frustra senectæ tempora computes
Ales quæ ad undas nascitur Hypanis,
Quam si videt nascentem Eous,
Decrepitam aspiciet occidens Sol.
Hæc de fugaci sabula luditur
Vita. Quod ortum est vergit ad Hesperum,
Diesque veloces & anni
Pegaseo fugiunt volatu.

S. V.

Octava ratio ex Parabola Evangelica labo-
rantium in vinea. Nona ex mystica sep-
tenarii numeri significatione. Etiam In-
fideles statim horis orare. Errores Caba-
listarum obiter indicantur.

1. **O**ctava ratio ex capite vigesimo Mat-
thæi clarè deducitur. Enimverò cœle-
stis Paterfamilias operarios mittens in vineam
primo mane, tertiâ, sextâ, nonâ, & undeci-
mâ hora, & cum serò esset factum, reddens
illis mercedem has præcipuè horas divino ser-
vitio deputavit, ut docet Cassianus ⁿ. Nam
undecimâ vespertinam synaxim indicat, se-
rotina autem Completorium significat. Cæte-
rùm horâ primâ illud avi denotat spatium,
quod fuit ab Adamo usque ad Noë. Tertia
à Noë usque ad Abraham producta est. Sex-
ta ab Abraham usque ad Mosem. Nona à Mo-
se usque ad Christum. Undecima à Christo in-
cipiens in extrema judicii die finem habebit. Ita
Origenes ^o, Gregorius Magnus ^p, Theophi-
lus ^q, Hieronymus ^r, Chrysostomus Theophila-
ctus, Beda, Hilarius & Fulgentius interpretan-
tur.

ⁿ Cass. l. 3. de instit. cœnob. c. 3. ^o Orig. hom. 10. in
Matth. ^p Greg. hom. 19. in Evang. ^q Theophil. l. 1.
cõmm. in Evan. ^r Hier. Chrysostom. Theop. Beda &
Hilar. ad c. 20. Matth. ^s Fulg. de remiss. pec. l. 2. c. 18.

tur. Sed duo postremi tum inter se, tum à cæteris non nihil discrepant: Hilarius enim horam nonam à Mose ad David, undecimam à David ad Christum producens finem mundi ad illud, *cum serò factum esset*: mysticâ intelligentiâ revocare videtur. Fulgentius autem sextam usque ad David, nonam usque ad transmigrationem Babylonis protrahit, & undecimam complet in Christi adventu. De hac verò Parabola diffusè & doctè differit Paschasius Rabertus Abbas Corbeienfis. Inter cætera autem in rem nostram hæc scribit; Quare quidam operarii manè conducti sunt, & post hoc non circa horam secundam, sed circa horam tertiam exiit, & conducti sunt alii, post quorum conductionem quare non circa horam quartam, vel quintam, sed circa sextam exiit & alios misit in vineam? ita neque circa septimam, vel octavam, sed circa nonam? & novissime non circa decimam, sed ad undecimam exiit, quando invenit stantes totâ die otiosos, eò quod jam in novissima hora essent. Nequaquam igitur absque ratione id factum credo. In his enim quinque ordinibus nescio quid musicum videtur sonare, ut duæ extremitates simplicium habeant numerum, atque unum; duæ verò medietates duplum, ut singulæ medietates duplæ suo respondeant simplo, & faciant quod diapason rectè vocatur. Hæc subtiliter Paschasius, nam inter Primam, & tertiam una tantum hora, nempe secunda, intercipitur: itemque inter Nonam & undecimam media est sola decima. Inter Tertiam autem & Sextam duæ intermediae sunt quarta, & quinta: duæ quoque inter sextam & Nonam, septima scilicet & octava. Ad musicam itaque proportionem refert Domini vocationem Rabertus, quæ horæ deinde divinis laudibus decantandis consecratae fuerunt. Richardus autem Victorinus * per hanc horarum diversitatem varios gradus intelligit, quibus homo perducitur ad integram perfectionis mensuram. Ait enim. Secundum processum diei, & successionem horarum Dominus vineæ egreditur, quia secundam perfectionis profectum, virtutumque promotionem divina cognitio augmentatur. Manè primo lux incipit apparere, ad tertiam dies solet incalere, ad sextam vehementius aestuare, ad nonam constat solem ad inferiora inclinare, caloremque temperare, ad undeci-

* Pasch. lib. 9. in Mattheum, u Richard. tract. 1 de statu hom. interioris. cap. 35.

mam verò contingit calorem cum luce paulatim deficere. Quid itaque est ortus lucis, nisi illuminatio veritatis, & quid est inchoatio caloris, nisi acceptatio bonitatis? æstuatio autem fervor est dilectionis. Temperamentum vero caloris est abominatio vanitatis. Sed & subtractio caloris & lucis quid aliud est quam refrenatio cupiditatis, seu etiam hebetatio prudentiæ carnalis? Manè itaque facit discretio boni & mali, tertiam appetitus veri boni, meridiem desiderium summi boni, nonam fastidium falsi boni, undecimam verò efficit odium, seu etiam oblivio veri mali. Manè illuminatur intellectus, ad Tertiam corrigitur consensus, ad Sextam inflammatur affectus, ad Nonam restringitur corporis sensus, ad undecimam carnalis appetitus refrigeratur. In fine verò denarium percipimus, quia post consummatum laborem ad perfectionis integritatem sublimamur.

2. Nona tandem, atque ultima ratio ex ipsius septenarii numeri mysticâ significatione deducitur. Primasius Uticensis Episcopus x laudans hunc numerum ait; Propterea etiam canitur, *Septies in die laudem dixi tibi*. Non patitur hæc brevis rerum pertractio ea omnia commemorare, quæ ex sacris & profanis Scriptoribus in septenarii laudem colligi possent, cum præsertim hæc numerorum Philosophia levis quibusdam & inanissimè videatur. Iarchas Indosophorum præses interrogatus ab Apollonio, cur sapientes duodeviginti tantum essent, cum hic numerus neque quadratus sit, nec ex iis qui magno honore habentur: Nos, inquit, teste Philostrato, nec numeris servimus, nec nobis numeri. At cæteri Philosophi, nec non & sancti Patres latentia sub numeris mysteria magni semper æstimant. Nam ut scribit Diophantus & antiquus Arithmeticus, ex peritia numerandi Dei imaginem habemus, quæ bestia destituuntur. Ipsos psalmos non secundum rerum gestarum historiam dispositos esse, sed juxta spirituales numerorum intelligentiam diffusè probat Hilarius Pictaviensis *. Ecquis sanctorum Doctorum non evidenter ostendit numerorum rationem passim haberi in sacris Scripturis? Componitur septenarius ex impari, & pari, ex ternario

x Prima. lib. 2. in Apoc. c. 1. y Philostr. vitæ Apollonii lib. 3. cap. 9. z Diophant. initio prima definit. a Hilary. prolog. in Psal.

nario videlicet, & quaternario: cumque omnes numeri vel pares, vel impares sint, sancti Patres hunc numerum ex pari; & impari compositum, numerum universalitatis appellant. Res clara est in sacris litteris, ut cum dicunt, septuplum dandam ultionem de Cain; septies in die cadere justum; septem dæmonia à muliere ejecta, & multa ejusdem modi. Omnes præterea numeri, qui sunt intra denarium, aut generant alios, aut generantur, solo septenario excepto, qui propterea virginitati, & sapientiæ adscribitur, tantaque religione à Pythagoricis colitur, ut eum inter præcipua suorum dogmatum arcana collocarint. Sed & Bassus quidam apud S. Philastrum numero septenario divinitatem tribuebat. Omitto portentosa nomina, quibus hunc numerum insignivit Nicomachus Gerasenus libro secundo Arithmeti-
corum Theologorum apud Phorium e in sua Bibliotheca. Dicitur enim ab eo esse Fortuna, & occasio, Minerva, Mars, Acreotis, Agelia, Attytone, Tritogeneia, *ἡ ἀστυμένη* Alalcomeneia, (de qua voce videndi Pausanias g & Gyraldus o) Panteuchia, Ergana (multis à Pausania in Atticis, & in prioribus Eliacis celebrata) integritas naturæ; Amaltheiæ stirps, Ægis, Osiris, somnus, vox, sonus, & de muliarum numero Clio, Judicium item, & Adraffesia, ac hujusmodi ineptiæ multæ. Urtinam haberemus M. Varronis f hebdomadarum libros, in illis enim solidas septenarii laudes reperiremus. Quæ verò spectant ad hujus numeri perfectionem curioso lectori suppeditabunt sancti Patres Cyprianus g, Augustinus b, Ambrosius i, Hieronymus k, Basilus l, Gregorius Nazianzenus m; Clemens Alexandrinus n, Gregorius Magnus o, Cæsarius p, Bruno q, Chrysologus r, Rupertus Abbas s, Innocentius Papa t, Hugo Victorinus u, Bonaventura v, itemque Philo Judæus libro de mundi opificio y, & de decalogo, Nicolaus

b Philast. de heresibus. c Photius Cod. 187. d Pausan. in Boeitiis. e Gyrald. de diis syntag. 11. f M. Varro. g Cyp. de exh. Martyrii cap. 11. h Aug. lib. 11. de civ. Dei cap. 31. i Ambr. enar. 1. ad Horont. in cap. 1. Gen. k Hierom. ep. 125. ad Damasum q. 1. l Basl. exa. hom. 12. m Greg. Naz. orat. 44. n Cl. Alex. l. 5. o 6. Strom. o Greg. Mag. mor. lib. 1. cap. 7. p Casar. Dial. 4. de fide inter. 192. q Bruno serm. 2. de Pentec. r Chrysol. serm. 139. s Rupert. lib. 1. in Apoc. t Innoc. proem. in 7. Psalmos. u Hugo de quinque septenariis lib. 2. alle. in Matt. cap. 15. x Bonav. in ps. 150. y Philo de mundi opif.

Cusanus z, Girardus Rufus a, Petrus Bonus b, Franciscus Georgius Venetus c, Macrobius d, Gellius e, Chalcedius f, Cenforinus g, Martianus Capella h, Nicetas i, Elias Cretenensis k, Simphorianus Camperius l, Sebastianus Foxius m, Annibal Rosselius n, Leo Hebræus o, & alii multi p, Porro septenarium in mundi opificio à conditore observatum sacra Mosis docet historia. Septem quoque vagantes sphaeras firmamento subiecit ejusdem opificis providentia. Luna ab illis septima septenario movetur numero viginti octo diebus totius Zodiaci ambitum conficiens. Sol ipse lucis, & vitæ dispensator septimo quoque signo eursum varians ab hyemali ad æstivum Solstitium, itemque à verno ad autumnale æquinoctium septimi signi peragratoe pervenit. Oceanus in augmenti, & decrementi sui vicibus, Lunæ Hebdomadas servare dignoscitur. Homo temporis, & æternitatis orizon septenarii vim, & efficaciam in seipso multiplici comprobatur experimento, de qua recitat Solonis elegia apud Clementem Alexandrinum lib. 6. Strom. Septima post partum hora an sit victurus ostendit. Post septimum diem nomen infanti imponebant Antiqui: post decimum quartum ad lumen visus movetur: post septem menses dentes incipiunt emergere: post bis septem fedet sine cadendi timore: post ter septem sonus ejus in verba prorumpit: post quater septem incedit; & lac nutricis exhorrescere incipit. Prima annorum hebdomada primis dentibus alii succedunt ad cibum solidum aptiores. Secunda hebdomada pubescit, tertia finem facit crescendi in longum, ornatque lanugo genas, quarta in latum etiam crescere desinit, quinta virile robur completur, sexta stabili firmitate servantur vires, septima perficitur atas, & completur prudentia, octava diminuuntur vires, nona viget senectus,

Q q q q 3 aus,

z Nic. Cusanus de doctâ ignorantia a Gir. Rufus in Arithmetice Poet. b P. Pongus de mysteriis numerorum. c F. Ven. Herm. mundi cant. 1. tom. 5. cap. 9. o. tom. 8. cap. 7. d Macrobi. lib. 1. in som. Scipion. c. 6. e Gell. lib. 3. cap. 10. f Chalced. in Timæum. g Cenfor. de die natali cap. 11. o. 12. h Mart. Capella de nuptiis Merc. lib. 7. i Nicet. in or. 42. Naz. n. 32. k El. Creten. in orat. 3. Naz. nu. 23. l Symph. Camp. Platou. Symphonie. lib. 4. tr. 3. cap. 8. m Foxius in Timæum. n Rossell. in Primatium lib. 2. comment. 5. qu. 1. c. 1. o Leo Hebr. dial. 3. de amore. p Ficinus in Timæum. Ioachimus Abbas in cap. 1. Apoc.

ctus, decima tandem vitæ spatium terminatur, attestante Propheta. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Faciunt etiam ad septenarii laudem dies critici, & deceptorii, annique climaterici tot dissidentium Philosophorum contentionibus agitati. Quid memorem à sacris Bibliis septem Angelos, septem stellas, septem Ecclesias, septem lucernas, septem Sacramenta, septem tubas, septem vitia, septem virtutes, septem sigilla, septimum libertatis annum, septimum quietis diem, & alia sexcenta ejusdem generis; Puer quem suscitavit Propheta septies oscitavit, septem annis pro dilecta servivit Jacob, septem sunt spiritus qui astant ante Dominum, septiformis denique Spiritus sancti gratia post quadratum septenarium, quinquagesimo scilicet die à gloriosa Christi Resurrectione, in Apostolos & discipulos diffusa est. Tot virtutibus igitur insignitum septenarium merito sancti Patres divinis etiam laudibus decantandis consecrarunt. Adde quod septenarius plenitudinem, & universitatem significat, quare, ut dicit Augustinus, *Septies in die laudem dixi tibi*, nihil est aliud quam *semper laus ejus in ore meo*. Beda etiam dicit eum semper orare qui canonicis horis quotidie juxta ritum Ecclesiasticae traditionis psalmodiis, precibusque consueta Dominum rogare, & laudare non desistit. Septem quoque horas pro majori saltem diei parte usurpassè videtur Satyricus his versibus:

quis deditus autem

Usque adeo est, ut non illam, quam laudibus effert,

Horreat, inque die septenis oderit horis?

3. Hæ sunt præcipuæ rationes, ob quas horarias preces fuisse institutas asserunt Scriptores sacri. Stultum enim fuisset temere, & sine ratione istas potius horas, quam alias sacris preceationibus assignasse. Nam, ut scitissime scribit S. Asterius Episcopus: Nulla res est humana, cujus non aliqua ratio reddi possit, & si quid fortè ejusmodi est, quod rationem, aut scopum non habet, meræ nugæ sunt. Porro certas orationis horas etiam infideles

q. Aug. lib. 3. de doct. Christi. cap. 35. r. Beda in cap. 18. Lucæ. f. Ivoen. Sat. 6. r. Asterius hemil. festum calendarum.

determinarunt. Apollonius Thianæus docuit Athenienses, quæ diei, noctisque horæ sacrificari oportet, ut scribit Philostratus Lemnius in ejus vita. Julianum Apostatam usum statis horis orandi sacerdotibus idolorum indixisse refert Sozomenus. Ipsimet Turcæ distinctionem horarum observant in orationibus. Orant enim in ortu solis, quam orationem vocant Tamzith, item meridie, hora nona, in occasu solis, & hora prima noctis. Laudat Davidicos Psalmos Mehemet eorum Pseudopropheta in Alcorano, jubetque suos surgere ad lectionem circa mediam noctem. Hoc autem loco quorundam errorem dissimulare non possum, qui Cabalistarum mendaciis adhærentes secretiores Theologi vocari volunt. Ajunt isti singulis tribus horis mutari Angelorum custodiam in cælis, statuuntque decem numerationes, veluti decem categorías, quas vocant Sephiroth, quæ virtute nominum divinarum per ordines Hierarchiarum in sphaeras cœlestes, & elementa inferiora suas virtutes statis horis influant, quas si quis rectè intelligat, earumque nomina benè applicet, mirabilia præstare possit. Ideoque Ecclesiam primam horam, & sextam, & nonam, atque duodecimam præ cæteris ad orandum elegisse, quod illis horis talis dispositio in cælis sit, tales Angeli præsideant, talis Sephiroth, si ve numeratio dominetur, qualis necessaria est ut deprecatio nostra exaudiat. Legendus hac de re Archangelus Burgonensis Minorita: Auctor Catholicus, sed Cabalisticus plus justo addictus, libro de dogmatibus Cabalistarum in explicatione hujus Assertionis: per secretum orationis antelucanæ nihil aliud debemus intelligere, quam proprietatem pietatis. Mihi nec libet, nec vacat hanc doctrinam copiosius examinare. Hoc tantum moneo, artem Cabalisticam, quam summis laudibus celebrant, nonnisi meram superstitionem esse, ac theurgicam quamdam Magiam sub fictis Angelorum nominibus Cacodæmones invocantem. Quod si adeo necessaria esset ad Dei cultum, & scripturarum intelligentiam, quemadmodum isti

u. Philostr. lib. 4. cap. 6. x. Sozom. lib. 4. cap. 6. y. Alcoran. lib. 2. azora 25. juxta divisionem orientalium. Item lib. 3. azora. 55. z. Archang. Minor. pag. mibi 167.

isti jactant, Spiritus sanctus, qui repudiata Synagoga docuit nos omnem veritatem, hanc etiam sapientiam Ecclesiæ suæ revelasset. Scio quidem varia esse Cabalistarum genera, de quibus vir doctissimus Martinus del Rio ^a in magicis disquisitionibus differit; Sed scio etiam, horum omnium doctrinam nihil habere soliditatis, nam cum versentur circa principia universalia, & causas maximè remotas, nunquam ad veram scientiam pertinent. Eas verò nugas, quas de horis orandi ingerere simplicioribus conantur, explodit Scriptura, quæ dicit ^b, *Quoniam oportet semper orare, & orantes in omni tempore, & sine intermissione orate.* Ergo illius oratio omni hora acceptabilis erit, qui necessaria sibi ad salutem perseveranti animo postulabit. Utenim scribit Antiochus ^c. In omni re captanda semper est opportunitas temporis, præterquam in oratione. Nunquam enim intempestiva potest esse oratio, sicut scriptum est: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Ipsi verò Cabalisticis clausæ sunt januæ orationis, ut unus ex illis R. Eliezer ^d in libro Berachoth, id est, benedictionum, fatetur: nam à die, inquit, quo templum fuit destructum, orationis portæ clausæ sunt, ut dicit in Lamentationibus Hieremias ^e, *Cum clamavero, & rogavero, exclusit orationem meam.*

^a Del Rio *disquis. magic. lib. 1. cap. 4. qu. 3.* ^b Luc. 18. 1. 1. *Thess. 5. 16. Ephes. 6. 18.* ^c *Antioch. hom. 91.* ^d R. Eliezer apud Hieron. à S. fide lib. 1. de perfidia *Judeorum cap. 12.* ^e *Thren. 3. 8.*

CAPUT III.

De Varia Diei, ac Noctis
divisione.

§. I.

Quid dies, quid nox sit. Prima diei divisione in naturalem, & artificialem. Diei civilis initia varia apud varias gentes. Horæ nomen æquivocum.

Quoniam divinis persolvendis officiis certæ sunt horæ à Sanctis Patribus assignatæ, vidè intelligi poterunt, quæ de illis dicturi sumus, ni prius explicentur varii antiquorum ri-

tus circa diei, ac noctis divisionem. Initio autem mundi facta est diei, noctisque alternatio per præsentiam, & absentiam lucis. Sol oriens diem facit, occidens noctem inducit. Hinc Pindarus ^a in olympiis diem vocat filium Solis, & Hesiodus in Theogonia ^b ex Erebo, & Nocte natum diem asserit, quod post noctem dies sequatur. Non est autem omittendum hoc loco, quod observat Athanasius ^c; A creatione mundi usque ad Christum præcessit dies, sequuta est nox: dicit enim Scriptura ^d, *Fiat lux, & facta est lux, vocavitque Deus lucem diem, & tenebras noctem.* A Christi verò adventu nox diem præcedit: nam à vespera incipientes solemniter celebramus dies sequentes. Ratio discriminis est, quia primò fuit posita lux, at nos à luce defecimus ad tenebras, à Dei scilicet cultu ad errores, & vitia. Ex eo verò tempore, quo Sol justitiæ Christus Deus nosster ex tenebris errorum ad lucem divinæ cognitionis nos reduxit, à tenebris inchoamus, & in luce terminum constituimus. Dies, ait Isidorus ^e, in principio operum Dei lumen habebat exordium ad significandum hominis lapsum. Nunc autem à tenebris ad lucem progredimur, ut non dies obscuretur in noctem, sed nox luceat in diem, quia à delictorum tenebris liberatus homo ad lucem fidei, scientiamque pervenit. Speusippus ^f in Platonis disquisitionibus; Dies, inquit, est solis iter ab ortu ad occasum. Aurora diei principium, primum à sole lumen. Meridies tempus, in quo umbræ corporum quam brevissimæ sunt. Nox umbra diei contraria, solis privatio.

2. Sed tam diei, quam noctis multiplex distinctio est. Vulgus Scriptorum diem dividit in naturalem, & artificialem. Naturalis dicitur esse horarum ^{24.} quibus semel circumvolvitur cælum. Hac diei appellatione etiam noctes intelliguntur, ut cum dicimus ægrotasse aliquè per dies viginti, vel cum hoste pactas inducias dierum decem. Nomen diei accepit à parte meliore. Ideò Heraclitus apud Senecam ^g. Unus dies par omni est. Nam si dies tempus est ^{24.} horarum, necesse est omnes inter se dies pares esse, quia nox habet quod dies perdidit. Mensura viginti quatuor horarum, inquit Ambrosius ^h, unius diei tempus est. Artificialis est,

^a *Pind. olymp. od. 2. vers. 59.* ^b *Hesiod. Theog. v. 124.* ^c *Athan. in qq. sac. Script. q. 54.* ^d *Gen. 1. 3.* ^e *Isidor. lib. de nat. rerum cap. 1.* ^f *Speusippus. g Seneca. ep. 12.* ^h *Ambros. l. 1. exam. c. ult.*

est, qui cursu solis ab ortu ad occasum definitur; cui contraria est nox ab occasu solis ad ortum. Hęc dierum divisio, & observatio communis est apud omnes nationes, sed vocabula diversa sunt. Nam Censorinus ⁱ, & alii veteres ^k, quos quidam recentiores sequuntur, diem ²⁴ horarum civilem, & artificialem vocant; diem vero ab ortu ad occasum naturalem. Ego verba ætatis meæ scribo: quod dictum volui, ne antiquitatem spernere, quæ modesta, & venerabilis est, aut recentiorum voces omittendo quasi cum matre Evandri loqui videar, ut Phavorinus apud Gellium ^l, & Avienus apud Macrobius ^m faceret dixerunt. Repeto. Prima divisio diei est in naturalem ²⁴ horarum, & artificialem ab oriente sole ad eundem occidentem. De hac dierum partitione Geminus Rhodius ⁿ antiquus Auctor, qui vivebat Romæ ætate Ciceronis, & elementis Astronomicis *αἰνιμῆγας* & *ηκβ*: sic scribit: Dies dicitur dupliciter, uno modo tempus illud, quod est ab ortu solis usque ad occasum: altero modo dies dicitur tempus, quod est ab ortu solis usque ad proximum ortum solis. Est autem dies juxta secundum modum conversio mundi, & ortus ejus arcus, quem Sol peragerat, dum in conversione mundi movetur contra mundum. Secundum alterum modum mensem dicimus esse dierum 30. annum vero dierum 365. & unius quartæ. Non sunt autem per omnes regiones, & urbes eadem magnitudines dierum; sed his, qui versus septentrionem habitant, majores sunt dies, minores vero his qui versus meridiem.

3. Romani veteres diem legitimum, & naturalem inchoabant à media nocte, & sequentis noctis media parte terminabant. Id etiã nunc servat ecclesia quoad jejuniã, & ciborum abstinentiam. Ab eodem puncto mediæ noctis diem auspicantur Theologi, qui circa montem Athon versantur, ut scribit Theodorus Gaza ^o, quod credant ea hora Christum resurrexisse. De hoc civili Romanorum die plura Gellius ^p vir elegantissimi eloquii, ut eum vocat Augustinus ^q, & multæ, ac facundæ scientiæ, & Gellii exscriptor Macrobius ^r. Ejus plurimas rationes adducit Plutarchus ^s. Cur, inquit, diei principium sumunt à media nocte? an quia Reip. institutio principio fuit militaris? In re autem

ⁱ Censor. de die natali c. 10. ^k Tiraquel. de utroque retractu §. 1. gl. 11. David Origanus in Ephemeridum introd. par. 1. cap. 5. ^l Gell. lib. 1. cap. 10. ^m Macr. l. 1. n. Geminus cap. 5. ^o Theod. Gaza lib. de mensibus p. Gell. lib. 3. cap. 2. ^q Aug. lib. 9. de civ. Dei cap. 4. ^r Macrobius lib. 1. sat. cap. 3. ^s Plutarch. in 99. Romanis.

bellica multa noctu capiuntur consilia? An, quemadmodum meridiem finis est publicas, & serias res agendi, sic noctem intempestam actionum omnium initium statuerunt? An quia ortu, & occasu solis principium, & finis diei diffiniri non possunt, multa ad huc luce manente post occasum, & multa item incipiente ante ortum? Tamen enim Mathematici diei, ac noctis discrimen in appulsu centri solis ad Horizontem constituent, plerique tamen sensus arbitrio diem protrahunt à primis ad ultima crepuscula. Restat igitur, ut pro principio diei illum temporis articulum sumamus, quo Sol vel in medio caeli est, vel in opposito ejus puncto. Hoc autem posterius melius congruit. Sol enim à meridie versus occasum à nobis fertur: à mediæ noctis puncto versus ortum ad nos. Hęc ille. Athenienses, quos nunc Itali sequuntur, itemque, ut Origanus ^t asserit, Silesii, Bohemi, Austriaci, & Marcomanni, ab occasu solis ad solem iterum occidentem, omne id medium tempus, unum diem esse dixerunt. Babylonii, & Persæ olim, nunc & Noribergenses, inter duos solis exortus diem esse existimant. Umbri, Ægyptii, Arabes: nunc Galli, Hispani & magna pars Germaniæ à meridie in meridiem unius diei spatium constituunt. Hoc initium diei Astronomi sibi sumpserunt, quod à meridiano circulo proficiscatur, qui cum fixus, & immutabilis sit, certum diei principium designat. Sed variant in accipiendi puncto meridiem. Alphonsus ^u Regis tabulæ à meridie diei antecedentis exordiantur, ut primam diem Januarii à meridie postremæ diei Decembris. A sequente inchoat diem Tycho Brahe ^x, ut primum Januarii diem à meridie, quæ ipsas Calendas incurrit. Copernicus ^y Romanorum consuetudine à media nocte ad mediam noctem diei cursum in suis astrologis observationibus usurpat. Ecclesia eundem diem esse dicit ^z, quo ad indulgentias, & festivitates, à primis Vesperis usque ad occasum solis diei sequentis: quo ad judicia, à mane usque ad tenebras. Aliter fictione juris determinatur dies quo ad ordinem collationem. Judæos à Vespere in Vesperam florente eorum Rep. diem computasse ostendit Baronius ^b: quos tamen Chrysofostomus ^c reprehendit tamquam

^t Origan. in eph. introd. pag. 1. cap. 5. ^u Alphons. Rex. x. Tycho Brahe. y. Nic. Copernic. z. Cap. 2. de feriis cap. consuluat, de off. & pot. jud. de leg. a. Cap. literat. de temp. ordin. ^b Baron. anno. 34. num. 33. ^c Chrysof. hom. in Genes.

quam scripturæ prævaricatores, quæ diem dif-
finit ab ortu solis ad ortum, ut ipse colligit ex ca-
pite primo Geneseos. Discrepabant ab aliis
gentibus in dierum computatione Galli veteres
& Germani. Nam de istis hæc scribit Tacitus:
Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium
computant: sic constituunt, sic condi-
cunt: nox ducere diem videtur. De illis Cæ-
sar. Galli omnes ab Dite patre se prognatos
prædicant, ob eam causam spatia omnis tem-
poris non numero dierum, sed noctium fini-
unt: & dies natales, & mensium, & annorum
initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.
Naturalis autem diei constitutio non nisi
quadruplici initio supputari potest. Nam diei
principium ab aliquo puncto secundum natu-
ram maximè noto desumi debet: sunt autem
hujusmodi puncta quatuor totidem anni punctis
correspondentia. Ortus solis ad æquinoctium
vernale refertur, occasus ad autumnale: Me-
ridies solstitium æstivum respicit, media nox
hyemale.

4. Has quatuor anni partes horas vocant
multi Scriptores. Isidorus Pelusiota; Circularis,
ait, est figura temporis, quippe cum
dies circumvolvatur in hebdomadam, heb-
domada autem in mensem, mensis verò
in annum, rursusque in eadem signa, quæ per-
gravit restituitur. Hanc ob causam alibi quidem
coronam anni, alibi verò rotam generatio-
nis Scriptura appellavit; circuli namque,
& coronæ, & rotæ eadem est figura, quod
quatuor horæ, videlicet vernum tempus,
& æstivum, & autumnale, & hybernum
invicem quodammodo manus connectant,
& annum circumvolvant, atque in op-
timam quandam choream ducant. Sanctus
Eustathius Archiepiscopus Antiochenus, &
Martyr, explicans illud Geneseos, ut
sint in signa, & tempora; Tempora, inquit,
horarum, sive temporis ipsius mutationes,
ac vices, hyemis scilicet, veris, æstatis,
& autumnus intelligendas esse censemus.
Flavius item Philostratus, in Iconibus horas
accipit pro anni tempestatibus. Ita passim Po-
etæ Græci. Pindarus, in olympiis horas flo-
ribus abundantes dixit pro vere. Roseam
veris horam lego in Anthologia k. Oppia-

d Corn. Tacitus de morib. Germanorum. e Caesar de bello
Gallico lib. 6. f Isid. Pelus. lib. 4. epist. 1. g Eustath. com-
ment. in hexam. h Flav. Philostr. in Icon. initio l. 1. & in
fig. 2. i Pind. Olym. qd. 13. v. 12. k Anthol. lib. 1. cap. 9.

nus veris horam in Halieuticis, siticu-
losam Syrii horam ibidem hyemis horam in
Cynegeticis m posuit. Æstivam horam dixe-
runt Nonnus n in Dionysiæis, Hesiodus
in operibus pro æstate. Iniquam hyemis ho-
ram scripsit Calaber p in Paralipomenis, item,
que Musæus q in Erotopagnio, & Nonnus,
in paraphrasi Evangelii secundum Joannem.
Est igitur horæ nomen æquivocum. Apud
Suidam s significat venustatem, occasionem,
curam, sollicitudinem, quatuor anni tempe-
states, tempus opportunum, & duodecimam
diei partem. Apud veteres accipitur hora pro
cujuslibet temporis parte. Virgilius r.

— Nunquam te crastina fallat
Horæneque insidiis noctis capere serenæ.

Propertius. u Cam fuerit multis exacta trionibus
hora.

Horatius. v Te flagrantis avrox hora caniculæ
Nescit tangere.

Valerius Flaccus, in Argonauticis introdu-
cit Jasonem sic Medæe jurantem; Per has nostri
juro discriminis horas. Sic etiam apud D. Hiero-
nymum z, captivum se interficere cogitantem
adjuravit mulier. Ego te per Jesum Christum,
per hujus horæ necessitatem rogo, ne effundas
sanguinem tuum in sanguinem meum. Marcus
Antonius Philosophus a, & Imperator, o na-
tura rerum, inquit, quicquid tibi convenit, id
omne mihi convenit; omne id fructuum meum
puto, quod tuæ serunt horæ. Horam quoque
pro die ponit Virgilius in hoc versu b:

Hic alienus oves custos bis mulget in hora.

Legendus item hac de re Julius Pollux e in Ono-
mastico, Agrarius libello de sermone Latino,
& ex recentioribus Petrus Gregorius Tholosanus
f in Præludivi optimi J. C. Ipsos annos prisca
Græcorum lingua horas dictos asserit
Plutarchus g in symposiatis. Alii ad Ægyptios
hanc referunt nominationem, eo quod Solem

R r r r Horum

l Opp. Halieut. lib. 1. v. 459. ibid lib. 3. v. 47.
m Cyneget. lib. 3. v. 308. n Nonn. Dionysiac. l. 12. o Hesi-
od. v. 282. p 2. Calab. Paralip. lib. 8. v. 51. q Musæus
v. 293. r Nonn. in Io. 10. v. 81. s Suid. v. Hora. t Virg. 1.
Georgic. u Propert. lib. 3. eleg. 10. x Horat. lib. 3. od.
13. y Val. Flacc. lib. 7. Argonautis z Hieron. in vita
Maschi monachi. a M. Anton. lib. 4. de seipso. b Virg.
ecl. 3. c Jul. Pollux lib. 1. d Theolofan. lib. 4. 4. c. 1.
e Plutarch. lib. 5. qu. 4.

Horum vocent *f*. Est & Dea Hora apud Romanos, quam dicunt fuisse Herfiliam Romuli uxorem, quæ post mariti apotheosim in cælum translata Hora vocata sit, ut Ovidius fabulatur *g*, de qua Ennius,

Teque Quirine pater veneror, Horamque Quirini.

f Macrob. lib. 1. c. 21. *g* Ovid. metamor. lib. 14. in fine.

S. I I.

Hora unde dicta. Figmenta Poetarum de Horis. De usu Horologiorum apud veteres. Hora olim nunciata à seruis. Verus dies Christus est.

Sunt qui horas à Sole dictas putent. Ægyptii enim, ut dixi, Solem Horum vocabant. Alii à luce, quæ Hebraicè אור Hor vocatur, horas quasi lucis partes denominant. Quidam malunt à πῶς ἕως quod terminum significat, deduci: sive ab ἀειζῆς quod est terminare, dividere, dissimulare. Porro de Horis multa suo more fabulantur Poetæ. Fingit Ovidius *h* Horas puellas esse, quæ Soli ministrant, easque Homerus *i* cæli janitrices facit, quia tempora moderantur è cæli, solisque motu pendentia. Chrysippus apud Senecam *k* ait Horas Gratiarum sorores esse, sed natu maiores. Nascenti Auroræ inservire Horas canit Smyrnæus *l* in Paralipomenis. Easdem futurorum nuncias esse, Bacchum coronasse, & cæli phalanges adversus Typhæum armasse tradit Nonnus in Dionysiacis *m*. Item Horas dedisse ubera Serenæ uxori Stiliconis fabulatur Claudianus in ejus Panegyrico. Apud Apulejum *n* in nuptiis Psyche Horæ ministrabant. Rursum Homerus *o* in hymnis Horas vocat sapientes, Soli assistentes, & quæ natam è mari Venerem susceperint, & ornarint. Orpheus elegantissimum de Horis hymnum conscripsit, castas easdem appellans, floribus abundantes, omnis coloris, multi odoris, semper virentes, circulares, suaves, faces habentes, vestibus roscidis indutas, cælis, ter-

h Ovid. lib. 2. met. *i* Hom. Iliad. 8. v. 393. Id. Il. 5. v. 750. *k* Senec. de benef. lib. 1. cap. 3. *l* Coim. Smyrn. lib. 1. Paralip. v. 48. *m* Non. Dionys. lib. 1 v. 224. & initio lib. 9. *n* Apul. lib. 6. ubi quedam Philippus Berroaldus. *o* Hom. hymn. in Apoll. v. 194. & hym. 2. in Terem.

risque gratificantes; & inculpatas. Panyasis Poeta apud Athenæum *p* primam in mensa portionem Gratiis, Horis, & Baccho tribuebat: atque ibidem commemorat Athenæus in Horarum facello aram Dionysio erectam, quod horæ fructus vitis nutriant; & ad maturitatem perducant. Hesiodus *q* in Theogonia dicit Horas Themidis filias esse, & maturitatis auctrices. Ut enim notat Suidas, illud temporis punctum significat hora, quo res matura, & perfecta est. Ita passim in Evangelio *r*, *Nonnum venit hora mea: sciens Jesus, quia venit hora ejus*, Theocritus horas tardissimas nuncupat, caras tamen, & exoptatas, semper aliquid novi ferentes hominibus. Philostratus *s* in Iconibus horarum imaginem graphicè pingit hoc modo. Horæ corporea specie in terram profectæ manus contingentes annum volutant, & tellus sapiens existens bellè cum ipsis fert annua omnia: sublatum autem brachium, comæque demissæ libertas, fervensque præ cursu gena, & una salientes oculi fabulari fortasse aliquid super pictore permittunt. Horas autem intelligit quatuor anni tempora, de quibus in Cosmurgia sic Georgius Pisides *t* concinit:

*Hæc vicibus alternis, cursu annuo,
Instar puellarum choros agitantium,
Digi totque conferentium inter se suos,
Vite decoræ ut choram agant pulcherrimam.*

Apud Pausaniam in Atticis Horæ in Jovis capite insident, nam ejus nutu temporum vices decurrunt. Olen Poeta apud eundem in Corinthiacis ab horis educatam Junonem scriptum reliquit *x*. Horas quatuor, & Vesperis imaginem in pompa Ptolomæi Philadelphii describit Athenæus libro quinto *descriptio 156*. Iphis horis divinos honores habitos ab Atheniensibus narrat iterum Pausanias *y*, unamque vocat Carpon, alteram Thalloten: tertiæ nomen non dixit. Phorutus *z* libro de natura Deorum; Ab horis, inquit, omnia bona, quæ nobis adsunt, custodiuntur, & servantur. Una Eunomie dicitur ob æquam rerum distributionem: altera Dice, id est justitia, quod jure contententium lites dirimat: Tertia Irene, id est Pax, quasi ratione, &

p Athenæus initio lib. 2. dipnosoph. *q* Hesiod. Theogonia v. 900. *r* Ioan. 2. 4. *s* Ibid. 13. 1. *t* Theocrit. Idyl. 15. v. 104. *u* Philost. in Icon. in fine lib. 2. *v* Georg. Pisid. Cosmurg. v. 286. *x* Est de Horis Regula quinta Tychonii Africi. *y* Pausan. in Bæoticis. *z* Phorn. de natura Deor. cap. 29.

ne, & non armis lites confopiat. Alia horarum nomina Hyginus ^a, & ex eo Lilius Gyraldus ^b recentent. Nunc communiter accipitur hora pro his spatiis, in quæ dies dividitur. Ante Palamedem nec horas, nec horologia fuisse Philostratus in Heroicis commemorat; Cæterum Claudius Salmastus ^c in Plinianis exercitationibus proluxa, & odiosa disputatione conatur ostendere, nullum apud veteres horologii usum, nec diem in horas tributum ante Magni Alexandri tempora fuisse. Confutat ejus conjecturas doctissimus vir Dionysius Petavius ^d in Auctario operis omni laude dignissimi de doctrina temporum, monstratque florente Græcia divisionem diei in horas communiter adhibitam. Hanc ad Græcos ab Ægyptiis manasse scribit Herodotus in Euterpe.

2. Illa tamen fractio dierum in 12. partes non statim horarum nomine processit; sed aut partium, aut signorum, ut Julius Pollux ^e refert ex Menandro. Congessit Plinianus exercitator quæcumque de horis, & horologiis apud præcos Scriptores reperiuntur. Ipsum legat, qui hæc fufus scire, ejusque loquacitate patientiam exercere desiderat. Scioterici horologii primus inventor in Græcia celebratur à Plinio f Anaximenes Milefius: sed Lærtius, & Suidas Anaximandro ejus præceptori hanc inventionem tribuunt. His tamen antiquior ducentis ferè annis fuit Achaz Rex Judæorum, cujus solare Horologium commemorat Scriptura ^f. Romæ indiscreta lux diu fuit, donec Scipio Nafica horologia introduxit anno Urbis 595. si vera Plinius ^g refert. Ctesibium Alexandrinum horologia hydraulica mira ratione reperisse narrat Cicero ^h, & Vitruvius ^k, itemque Athenæus ^l ex Aristocle libro de choris. Usus verò Clepsydrarum in Urbe Achanta trans Nilum incepisse docet Pierius ^m in Hieroglyphicis. Meminit Clepsydræ Plato in Theæteto his verbis. Illi verò in occupatione semper dicunt, urget enim illos aqua fluens. Cum Apollonius ⁿ Thya-

neus coram Domitiano causam dicturus esset; Quantâ aquâ, inquit Scriba, orationem tuam metieris? hoc enim ante causam dicendam scire me oportet. Cui Apollonius, si quodcumque causa exigit, dicere me finas, non ipse Tyberis ad metiendum sufficiat. Plinius junior ^o cum causam cujusdam Proconsulis egisset in Senatu; Dixi, inquit, horis penè quinque, nam decem clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additæ quatuor. Qualis autem fuerit antiquæ clepsydræ forma, eleganter Petavius ^p docet in notis ad Dionem Synesii. Eandem sic describit Apuleius ^q: Præconis amplo boatu citatus accusator quidam senior exurgit, & ad dicendi spatium vasculo quodam in vicem colli graciliter fistulato, ac per hoc guttatim defluisa infusa aqua, populum sic adorat. Sinenses ingentibus clepsydris ex aqua, vel cinere odorifero horis metiendis usos refert Matthæus Riccius ^r in historia Sinarum. Extat non inelegans Symposii ^s ænigma de clepsydræ minus rectè à quibusdam de ratione explicatum.

*Lex bona dicendi, lex sum quoque dura tacendi,
Fus avidæ linguæ, finis sine fine loquendi,
Ipsa fluens dum verba fluunt, ut lingua qui fcat.*

Narrat Saccus ^t in Historia Ticinensi Severinum Boetium primum fuisse, qui horologia libratis ponderibus Romæ componi curavit. Cassiodorus ^u libro primo variorum duo horologia mirabilis structuræ describit; unum, ait, in quo humana solertia videtur colligi, quod totius cæli noscitur spatia pervagari. Alterum ubi Solis meatus sine Sole cognoscitur, & aquis guttantibus horarum spatia terminantur. Alexis Poeta apud Athenæum ^x in quodam convivio patinam superbam adjectam dicit, quæ horas redoleret, & tempora; quæ scilicet cæli cursum, & signa ostenderet: quale apud Petronium Arbitrum ^y Trimalcionis repositorium describitur, quod habebat 12. signa Zodiaci in orbem disposita, & super illa convenientem materiæ cibum. Simile fuit tentorium,

R r r r 2 torium,

^a Plin. lib. 2. ep. 11. ^p Petav. pag. mibi 20. ^q Apul. initio lib. 3. ^r Riccius hist. Sinarum lib. 1. ^s Sympos. n. 69. ^t Bernardin. Saccus hist. Ticin. lib. 7. ^u Cassiod. lib. 1. var. epist. 45. & 46. ^x Athenæus lib. 2. cap. 18. ^y Petronius Arbitr in Satyrice.

^a Hygin. fabul. 183. ^b Gyral. de Diis gent. synt. 13. ^c Clau. Salmastus in Plin. exercit. pag. 632. usque ad 658. ^d Petav. lib. 7. variar. dissertationum cap. 7. 8. 9. ^e Jul. Pollux. lib. 1. Onomast. cap. 8. ^f Plin. lib. 2. c. 76. ^g 4. Reg. 20. & Isai. 39. ^h Plin. l. 7. c. 60. ⁱ Cic. 2. de natura Deor. ^k Vitruvius l. 9. c. 9. ^l Athen. lib. 4. c. 24. ^m Pier. hierog. lib. 6. cap. 4. ⁿ Philostr. de vita Apollon. lib. 8. cap. 1.

rorium, quod à Sultano Babylonie Friderico secundo Imperatori dono datum refert Spondanus *z*, in quo Sol, & Luna cursum suum debitis spatiis observabant: & horæ diei, & noctis citra errorem indicabantur. Chromatius quoque Præfatus in actis S. Sebastiani; Habeo, inquit, cubiculum ex toto vitreum, in quo omnis disciplina stellarum, ac mathesis mechanica est arte constructa; in quo mensium, & annorum cursus certo numero per horarum spatia distinguuntur; & lunaris globi plenitudo, vel diminutio digitorum motu rationis ministerio, & calculi supputatione prævidentur. Jam multa fabricantur Horologia non solum horas, Solisque motus, & siderum indicantia, sed quæ diversis librata ponderibus varii generis musica instrumenta sonantia, & multiplices exhibeant statuarum saltationes. Bernardinus Carovagius bove capitosior, oculis emittitis, ore exprorecto, & lingua blæsus si Sacco *a* Ticinensium Historico credimus, unum composuit in gratiam Andreæ Alciati, eo artificio, ut qua quisque statuisset hora noctu ære sonante expergilci possit, eademque opera lucernæ lumen accenderetur. Ignis enim scintilla ab inserto silice in subiectum sulphur excussa in flammam ibat, quæ repente ardentis sulphuris ministerio, & lychnorum continuatione lucernæ fila accendebat. Etiam in annuli gemma narrat Cardanus *b* horologium fabricatum fuisse, quod mola circumagebatur, & horas indicabat non solum sagitta, sed ictu. Olim Hebræi tubarum sonitu ad horas indicandas utebantur, ut scribit Josephus *c*. Idem nunc faciunt Turcæ clamore à turri sublato. Antiquiores monachi, teste Cassiano *d*, ex aspectu siderum nocturnæ synaxis horam explorabant. Quod etiam Cluniacenses observasse ex relatione de miraculis S. Hugonis colligitur, quæ habetur in Bibliotheca Cluniacensi *e*. Diurnarum verò precum horam ut dignoscerent, Sole sereno aut proprii corporis, aut Gnomonis in Sciotherico Horologio umbrarum projectiones inspiciebant: celo autem nubilo clepsydris veterum more utebantur, sicut tradit in Divinis lectionibus Cassiodorus *f*. Porro modum difficillimum noscendi horas ex quantitate Psalmi ostendit Pe-

z Spondan. an. 1232. Apud Bollandum 20. Ian. c. 16. *a* Saccus hist. Ticin. lib. 1. *b* Cardan. de subtilitate. *c* Josephus de bello Iud. lib. 5. cap. 9. *d* Cassian. lib. 2. cap. 17. *e* Biblioth. Cluniac. pag. 448. *f* Cassiod. di v. lect. cap. 30.

trus Damianus *g*; Ut quodcumque, inquit, Solis claritas sive stellarum varietas nubium densitate non cernitur, in quantitate Psalmi, quam tenuerit Monachus, quoddam sibi velut horologium metiatur. Horologii vero mechanici primum inventorem Silvestrum Secundum fuisse ex Monacho Floriacensi Pontificem Summum tradunt nonnulli *h*, sed mala historiæ fide; nam Persiæ Regem dono misisse hujusmodi horologium Carolo Magno Imperatori ducentis circiter annis ante Silvestrum refert Aimoinus; de gestis Francorum. S. Verius videtur quod Polidorus Virgilius scribit, primum auctorem mechanici horologii ignotum esse.

3. Apud Romanos servi erant, quorum munus esset horas dominis nunciare. Martialis *k*, de hac re hi versus sunt:

*Horas quinque puer nondum tibi nuntiat,
& tu
Iam conviva mihi, Ceciliane, venis.*

Satyricus quoque de hoc ritu sic canit; *l*

Quem dicat venisse puer, quot nunciet horas,

Eandem consuetudinem commemorant Seneca *m*, Marcus Varro *n*, Suetonius *o*, & alii. Artemidorus *p* Daldianus actiones, impetus, & motus ab horologio significari asserit. Homines enim omnia faciunt ad horas respiciendo. Semper autem melius existimat horas ante sextam, hoc est antemeridionales, numerare, quam eas, quæ post sextam sequuntur: quod etiam Hesiodus in fine dierum asseverat. Verus autem, & clarus dies Christus est, verè dies æternus, & sine nocte, ut ait S. Zeno *q*, cui duodecim horæ in Apokolis, duodecim menses serviunt in Prophetis, quem Evangeliorum salutaria quatuor tempora prædicant. Hic est dies, quem nullæ temerant nubes, nulla interpolat nox, dies fulgentissimus, qui nescit occasum. O splendor lucis æternæ, cuius claritas illuminat mundum, veni, & illumina animam meam splendoribus Sanctorum, ut in lumine tuo verum lumen videre possim, quod illuminat omnem hominem sedentem in tenebris

g Petr. Damian. opusc. 13. cap. 17. *h* Vincen. spec. hist. lib. 24. cap. 98. *i* Arnold. wvion. ligni Vitæ lib. 5. cap. 72. *k* Martialis. lib. 4. cap. 95. *l* Martialis. lib. 8. l. Inven. sat. 10. *m* Senec. de brev. vitæ cap. 10. *n* Varro lib. 5. de ling. Latina. *o* Suet. in Domitiano. *p* Artemidor. de interpret. somniorum lib. 3. cap. 67. *q* Zeno serm. 1. de Pascha.

nebris, & umbra mortis. O quando veniam, & apparebo Domine, ante faciem tuam! O quando videbo diem illum, diem jucunditatis, & lætitiæ; diem quem tu fecisti, ut exultemus, & lætemur in eo! O præclarum diem illum, diem verum, diem æternum, diem voris omnibus expectandum! Caret horis, & tenebris dies ille, jugis in eo meridies est, quia claritas Dei irradiat illum. Atque utinam ad diem illum post tenebras hujus mundi perducatur citius merear, tunc enim gaudens, & exultans non per temporum, & horarum momenta; sed sine intermissione cantabo tibi, qui me vocasti in admirabile lumen tuum.

METRUM VI.

Temporæ præcipiti glomerantur concita cursus,
 Et refluant gyris noxque, diesque suis.
 Atque ut bisseis finitur mensibus annus,
 Sic totidem spatii dividit hora diem.
 Dividit hora diem, justis & partibus æquat,
 Dum subeunt proprias cuncta creata vices.
 Uda prius siccos signavit cephysdra soles,
 Et secuit calidos frigidam meta dies.
 Scilicet impulsis agitatur solibus orbis,
 Et refluxus annus præcipitatur aquis.
 Tum caput tenues percurrere tempus arenas,
 Omnia nam rabido frangere dente solet.
 Mox, quia sunt umbris humana simillima, gnomon
 Innuit umbroso tramite lucis iter.
 At nunc ad ferrum postquam migrastis ab auro
 Secula, ferratis aufugit hora rotis.
 Aufugit, & sese per ferrea puncta trucidans
 Admonet ad duram nos properare necem.
 O quicumque dies docuisti hac arte sicari,
 Scito: non omnis hæc monumenta juvant.
 Nam cur tam lentum tempus remoratur amantes,
 Aut cur dissimili mobilitate viget?
 Flet quidam longo sua duci stamina filo,
 Dum cupit æternæ Regis amore frui:
 Alter ait, faciem si quando cernit Amantis,
 Cur mihi contractis præterit hora rotis?
 Nempe licet motum mensuret temporis hora,
 Non tamen affertus queis agitatur amor.
 Credite: dilato cruciantur tempore Amantes,
 Estque illis anno longior una dies.
 O igitur quando fugitivi temporis expers,
 Lux mea, Christe Deus, te sine fine fruam!
 Illa dies tenebris, horisque, ac sine carebit,
 Unica si quando fulserit illa dies.

§. III.

Secunda divisio diei naturalis antiquo Romanorum more; Tertia divisio diei, & noctis artificialis. Cur divisæ dies in 12. horas. De horis equalibus, & inæqualibus. In vicissitudine diei, & noctis relucet mirabiliter Dei providentia.

I. **S**ecunda divisio diei plura noctis, & diei tempora subnotat, propriisque discernit nominibus, quæ apud Poetas, aliosque Scriptores passim observata inveniuntur. Ea omnia suo ordine Macrobius, & Censorinus exponunt. Incipiunt autem à media nocte, quod tempus principium, & postremum est diei Romani. Tempus, quod huic proximum est, vocatur de media nocte, sive mediæ noctis inclinatio. Sequitur Gallicinium, primus galli cantus post mediam noctem. Deinde Conticinium, cum & galli silent, & homines quiescunt. Tum primum diluculum, sive crepusculum matutinum, diei clarescentis exordium. Secundum diluculum vocatur manè, cum Sol videtur, & dies jam clarus est. Sol post hoc ad meridiem vergit, facitque meridiem, quod est mediæ diei nomen. Inde tempus occiduum, sive pomeridianum, vel de meridie. Hinc suprema tempestas novissimum diei tempus. Post supremam dicitur Vesper, ante ortum scilicet ejus stellæ, quam Plautus Vesperuginem, Ennius Vesperum, Virgilius Hesperon appellat. Inde porro crepusculum vespertinum. Post sequitur tempus, quod Antiqui primæ facis dicebant, vel prima face; sive quia, tunc primum accendebantur faces, & luminaria: sive quia, ut observat vir reconditæ eruditionis Joannes Brodæus, tunc Venus fax cœlestis incipit lucere. Deinde concubium dicitur, cum itum est cubitum. Postea nox intempesta, quam Varro noctis meridiæ vocat, tempus minimè idoneum rebus gerendis. Tum ad mediam noctem, & sic media nox. Hæc est diei civilis à Romanis observata divisio. Noctis partes eleganter describit Philosophus Medaurensis, Ecce, ait, crepusculum, & nox provecta, & nox altior, & de

R r r r 3. inde

r Io. Brodæus l. 4. miscell. c. 33. s Varro in Macrobius. t Apuleius libro 2. metamorph.

inde concubia altior, & jam nos intempesta. Tum noctis inducias cantus perstrepebat cristata gallorum cohortis. His vocibus *ἡ νύχξ-στρυγγει*, ut ajunt Græci, hoc est spatium lucis, atque noctis, à præfiscis Auctoris passim describitur.

2. Tertia divisio diem, ac noctem artificialem in suas quoque partes distribuit. Diem artificialem intelligo præsentiam Solis super terram, à reali ipsius ortu usque ad occasum. Possunt equidem tam matutina, quam vespertina crepuscula, cum sint media inter diem, & noctem, ad utrumque referri, de qua re disputant Theologi ^u, Jurisque civilis, & Canonici Interpretes ^w. Sed ut omnis controversiis clarè, & distinctè in hoc tractatu procedam: ego diem artificialem cum Mathematicis definitum ab illo puncto, quo Sol realiter secundum corpus, & substantiam suam super Horizontem emergens nobis exoritur, ad illud punctum, quo Horizonti nostro absconditus hemisphaerium istud suo corpore deserit, etiam si radius suis, & virtute adhuc illuminet. Noctem similiter esse dico ab occidente Sole ad orientem, omne id medium tempus ipsa vespertina, & matutina crepuscula comprehendens. Et dies quidem secundum quosdam ^x in mane, & vespere dividitur; in tempus scilicet antemeridianum, & pomeridianum: quo sensu horam pomeridianam pro vespertina, & ferotina; & Janum Consullem pomeridianum nuncupatum reperies apud Adrianum Turnebium ^y in Adversariis. Vel secundum alios, in mane meridiem, & supremum. Mane usque ad horam ante tertiam proceditur; meridies usque ad horam ante nonam; supremum usque ad Solis occubitum. Omnes verò Antiqui tam diem, quam noctem in duodecim horas dividere consueverunt. Hujus partitionis rationem affert Galenus ^z, quem laudat, & explicat Hieronymus Magius [†] multæ antiquitatis homo in variis lectionibus. Porro, inquit, numerum hunc duodenarium tamquam omnium utilissimum delegerunt. Di-

^u Theologi in 4. sent. distin. 13. D. Thom. 3. p. q. 51. art. 4. ad 2. ^w qu. 83. art. 2. ^x Legiste ad l. more Romano ff. de feriis, §. l. 2. §. 1. ff. de verborum signific. Canonice cap. si perfodiens, de homicidiis, & cap. consuluit. de off. & potest. jud. delegati. Ripa de noct. temp. c. 2. M. Ant. Natta consilio 469. ^y Suidas v. Hōξ Censorin. de die nat. Aegid. in exam. p. 2. c. 2. ^z Turneb. l. 18. c. 13. [†] Isidor. l. 5. orig. Beda l. de rat. temp. c. de die. [†] Magius l. 1. c. 15. ^z Galen. l. de cujusque animi peccatorum noxia.

midium enim continet, & duplum, & quartum, & sextum, & duodecimum, quæ nullus alius post ipsum numerus usque ad vigesimum quartum continere videtur. Hunc etenim tamquam longiorem repudiarunt, & duodenarium numerum veluti commoderatum judicantes, in tot particulas totius diei tempus dividerunt. Hanc autem partitionem ex usu esse alii multi, & Romani ipsi experientia comprobantes, atque utentes ostendunt. Si quidem hæreditatem omnem, cum testamentum condunt, in 12. portiones distribuunt: & pondera, ac mensuras, quibus in vita opus est, in 12. partes dividunt. Hæc Galenus. Quod autem de 12. partibus hæreditatis dixit, habetur in Institutionibus Justiniani Imperatoris libro secundo ^a. Alii sectionem diei in horas 12. constitutam referunt à Mercurio illo Trismegisto, quem fuisse Jetro Madianitarum Sacerdotem, & Regem, atque Philosophum, socerum Moysis contendunt Hebræi apud Franciscum Georgium Venetum ^b. Hic cum observasset quoddam animal, de quo Horus Apollo ^c, & Pierius ^d in Hieroglyphicis, & Damascius in vita Isidori apud Photium ^e, duodecies in die, (sit pax naribus) lotium emittere, ex illo duodenario midium in totidem partes diem distinxit. Mihi fabulam redolere videtur hæc foetida horarum institutio, quam tamen tacitus prætereire nolui, quod eam primi nominis Auctores referant, & probent. Ajunt autem Cynocephalum in æquinoctiis tantum, ælurum singulis diebus duodecies mingere, & horas hæc ratione indicare. Nec minus ridenda, & inter fabulosa figmenta numeranda videtur hac parte subtilior quorundam observatio, qui ex cæli dimensione in 12. partes, secundum musicas proportiones horas item 12. adinventas existimant.

3. Solidior ratio petenda à Mathematicis. Hi ex circuli æquinoctialis conversione, itemque ex ortu, & occasu signorum horarum constitutionem desumunt. Sunt autem signa 12. Zodiacum circulum, quem ideo signiferum vocant, in 12. partes æqualiter dividunt. Horum nomina poetici fictionibus celeberrima hæc sunt. Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Pisces. Quod-

^a Instit. de hæreditibus instituendis §. Hæreditas. ^b Fr. Venet. tom. 1. probabilem. sac. Scripturæ sec. 6. prop. 256. ^c Hor. Apollo lib. 1. hierog. l. 15. ^d Pierius lib. 6. cap. 4. ^e Phot. C. od. 242.

Quodvis signum in 30. gradus dividitur, quare cum signa sint duodecim, in toto Zodiaco 360. gradus continentur. Hinc circulus obliquitate sua dierum, ac noctium inæqualitatem, omniumque temporum vicissitudinem causat: dirimit totum cœlum in duo hemisphæria, & est regula, & mensura motus planetarum, qui fit ab occasu in ortum. Alium item circulum describunt Astronomi in sphaera, quem vocant æquatorem, sive æquinoctialem ab utroque mundi polo æqualiter distantem, & in gradus etiam 360. divisum. Hujus officium est diem artificialem nocti adæquare, cum Sol per illum transit, quod bis in anno contingit, initio scilicet Arietis, & Libræ: Tempus quoque, primumque motum ab ortu in occasum spatium 24. horarum dirigere, & mensurare. Ex his duobus circulis duo genera horarum constituuntur, quorum unum ad æquatorem, alterum ad Zodiacum refertur. Primi generis horæ dicuntur æquales, & æquinoctiales, & unaquæque earum est vigesima quarta pars diei naturalis, continens illud temporis spatium, quo 15. gradus circuli æquinoctialis oriuntur, qui circulus, ut diximus, est graduum 360. & semel in die totus ascendit, & circumagitur super Horizontem. Æquales vocantur, quia semper ejusdem sunt quantitatis: æquinoctiales, quia ex motu uniformi dicti circuli defumuntur. Secundi generis horæ inæquales, planetariæ, naturales, & temporariæ nuncupantur. Harum intelligentia difficilior est; dupliciter enim accipi possunt. Primo pro eo spatio temporis, quo medietas unius signi super Horizontem emergit. Semper enim sex signa oriuntur in die, & totidem in nocte, sive dies brevissima, sive longissima sit. Ea signa, quæ rectè oriuntur, tardiores habent motum: ea quæ oblique, velociorem. Quæ verò signa rectè, quæ oblique oriuntur, ex his verbis cognosci potest.

*Rectæ meant, obliqua cadunt à sidere Cancræ.
Donec finitur Chiron: sed cætera signa
Nascuntur prono, descendunt tramite recto.*

Quam doctrinam Scotus f Poeta æterodoxus hoc carmine conclusit.

*Ergò via surgunt flexa caper, hydria, pisces,
Dux ovium, taurusque minax, geminique puelli.*

f Georg. Buchanan. lib. 4. Sphære.

*Ast cancer, Nemeseque pavor, virgoque malignæ
Desertrix terræ, spectesque bilancis, & acer
Scorpio, Centaurusque truci spectabilis arcu.
Conscendunt recto calum sublime meatu.*

Sex itaque signa à Cancro ad Capricornum, quæ in sphaera obliqua rectè oriuntur, & oblique occidunt, dies longos faciunt, & noctes breves: reliqua sex signa, quæ oblique oriuntur, & rectè occidunt, dies breves faciunt, & noctes prolixas. Non igitur oriuntur quolibet die plura, vel pauciora signa quam sex, quantumvis longa, vel brevis sit dies. Excipitur ab hac regula ea sphaera obliquitas, in qua poli elevatio excedit gradus 66. cum dimidio; nam ibi quædam signa nullo modo oriuntur. Non loquor hic etiam de sphaera recta, quia in ea semper æquales sunt ascensiones. Hora autem inæqualis accepta pro eo temporis intervallo, quo medietas cujusque signi oritur, inæqualis omnino est, seu cum ejusdem, seu cum alterius diei horis comparatur, quia non omnes medietates æqualiter ascendunt. Ideo Hipparchus Bythynus g libro secundo enarrationum ad Arati, & Eudoxi Phænomena, Arati, & Attali sententiam refellit existimantium ex ortu signorum horam noctis dignosci posse, quia videlicet inæquali temporis spatio ipsa signa oriuntur. Atque id etiam Manilius h in Astronomicis eleganti carmine explicuit.

*Nec me vulgatæ rationis præterit ordo,
Quæ binas tribuit signis surgentibus horas,
Et paribus spatiis æqualia digerit astra.
Ut parte ex illa, qua Phœbi cœperis orbis,
Discedat numeris, summanque accommodet
astris,*

*Donec perveniat nascentis tempus ad ipsum;
Atque ubi subsiterit, signum dicatur oriri.
Sed jacet obliquo signorum circulus orbe,
Atque alia instæcis oriuntur sidera membris:
Ast illis magis est rectus surgentibus ordo,
Ut propius nobis aliquod, vel longius astrum est.
In tam dissimili spatio: variisque dierum,
Umbrarumque modis, quis possit credere in horas
Omnia signa pari mundi sub lege manere?
Adde quod incerta est horæ mensura, neque ullam
Alterâ pars sequitur, sed sicut summa dierum
Vertitur, & partes surgunt, rursumque recedunt:
Cum tamen in quocunque dies deducitur astro,
Sex habeat supra terras, sex signa sub illis:*

Quo

g Hipparch. l. 2. c. 1. & 2. h Manilius l. 3. Astron.

*Quo fit ut in binas non possint omnia nasci,
Cum spatium non sit tantum pugnantibus horis,
Si modo bisseñae servantur luce sub omni,
Quem numerum debet ratio, sed non capit usus.*

Et quæ sequuntur satis diffusè. Secundo modo, qui communior est, & à nobis deinceps usurpandus, accipitur hora inæqualis pro duodecima parte cujuslibet diei, vel noctis artificialis: & tunc istæ horæ sunt æquales inter se, quia sunt omnes duodecima pars diei; sed dicuntur inæquales, quia horæ unius diei non æquantur cum horis alterius, neque cum horis nocturnis, nisi tantam bis in anno, initio Arietis, & Libræ. Exemplo res erit manifesta. Sit dies longior æstivi temporis, cum Sol oritur hora nona horologii Italici, hanc diem in 12. horas inæquales distinguamus, quælibet hora continebit minuta 75. horam scilicet integram æquinoctialem, & insuper quadrantem ejusdem horæ. Rursum sit dies brevior hyemalis, cum Sol oritur hora 15. hic dies in horas 12. inæquales divisus dabit singulis horis minuta dumtaxat 45. tres nimirum quartas partes horæ æquinoctialis. Hora enim 60. minutis constat. Ecce quomodo isti dies ad invicem sunt inæquales, æstivi namque horas multò longiores habent, quàm hyemales. Idem de noctibus dicendum est, quarum horæ 12. similes æstate breves, hyeme longiores sunt. Hinc Vitruvius Architectus horas solstitiales in Cancris signo amplissimas vocat, brumales verò horarum brevitates. Et Augustinus libro de vera Religione: Hora brumalis, inquit, æstivæ comparata minor est. Sic passim apud Poetas hora æstiva pro longiori, hyberna pro breviori posita reperitur. Martialis æstivam horam pro longissima posuit in hoc Epigrammate.

*Osia Priscæ brevi poteris donare libello,
Hora nec æstiva est, nec tibi tota perit.*

Apud Plautum *m* cum Simo senex dixisset Pseudolo ebrio;

*Credo equidem potesse te, scelus, Massici montis
uberrimos quatuor
Eructus ebibere in hora una. Hyberna addito.*

Respondit Pseudolus, id est brevissima. Seneca *n* item in Agamemnone sic canit,

i Vitruv. lib. 9. cap. 9. *k* August. de vera Relig. c. 43. *l* Martialis lib. 12. *m* Plaut. in Pseudolo, act. 5. sc. 2. *n* Seneca in Agamem. v. 53.

*Sed cur repente noctis æstivæ vices
Hyberna longa spatia producant mora?*

Severinus quoque Boeth. *o* æstivæ noctis agiles horas vocat, dicens,

*Tu, cum fervida venerit æstas,
Agiles noctis divides horas.*

Ex his perspicuum est, cur istæ horæ dicantur inæquales. Planetariæ autem vocantur, quia per tales horas distinguuntur dominia Planetarum, ut ex Chaldaeorum observatione tradit Joannes Stofferinus *p*. Naturales item, & temporariæ appellantur, quia ductu naturæ didicerunt homines juxta temporum variationes ipsas quoque variari.

4. Hæ sunt horæ, quibus olim omnes ferè gentes utebantur. De Hebræis constat ex Evangelio cum Christus dixit *q*, *Nonne duodecim sunt horæ diei?* De Græcis testatur Galenus loco citato. Extat & luculentum Achillis Tati Alexandrini de hac re testimonium, qui post erotica scripta de Clitophonte, & Leucippe factus est Christianus, & Episcopus, teste Suida. Hic in Isagoge ad Arati Phænomena de horis disserens ait; Roget aliquis, cur dixerimus Solem in æstivo solstitio constitutum horarum 15. facere diem, in hyberno 9. cum tamen mechanicis horologiis, & hydrologiis dies perpetuò horis 12. constare videatur. Huic ita respondemus. Quemadmodum quilibet homo tam puer, quàm vir quinos in manu digitos habet, non tamen æquales: sic eandem habent horæ in diebus, ac noctibus magnitudinis, & celeritatis rationem; adeò ut magnarum magnæ sint, parvarum parvæ. Igitur æstivi dies hybernismajores intervallo constant horarum 15. æquinoctialium, quæ in 12. proportionem dividuntur. Idem de majoribus, & minoribus tam diebus, quàm noctibus judicium est. Eundem morem viguisse semper in Græcia ostendunt Constantinus Cæsar / cognomento Pogognatus, qui libro primo de re rustica diem, & noctem in horas 12. perpetuò dividit: & Secundus Atheniensis Sophista, qui in sententiis diem definit duodecim horarum decursum. De Romanis præter alia liquet ex eo Martialis *t* Epigrammate,

S S S quo

o Boetius lib. 1. met. 5. *p* Stoffer. de usu Astrolabi par. 2. propos. 27. *q* Ioan. 11. 9. *r* Achill. Tattus, sive Statius Isag. cap. 25. circa finem. *s* Constantinus Cæsar lib. 1. Agricul. cap. 7. *t* Martialis. l. 4. Epigr. 8.

*Prima salutantes, atque altera continet horâ,
Exeret raucos tertia caustidicos.
In quintam varios extendit Roma labores,
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palestris,
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme meorum,
Temperat ambrosias cum tua cura dapas.*

Hanc denique horarum distinctionem sequitur Ecclesia in horis Canonicis. Sic horam primam dicimus, cum post solis ortum duodecima diei pars exacta est: tertiam, cum quarta pars: sextam, cum media. Idem proportionaliter de aliis horis dicendum est. Marcellus Francolinus vir accuratissimè doctus in fine celeberrimi operis de tempore horarum Canonicarum tabulas universales composuit totius Europæ usui accommodatas ad cognoscendam veram, & exactam horam cujusque officii quotidie celebrandi reductis horis inæqualibus ad communes, & æquinoctiales.

5. Sed quoniam de horis sermo est, præteriri nullatenus debent præclaræ quædam sanctorum Patrum sententiæ de diei, & noctis necessaria vicissitudine, deque admirabili providentia Dei, quæ in ea relucet. Theophilus Patriarcha Alexandrinus * ; Dies, inquit, & nox certis horarum sibi succedunt spatiis, paulatimque decrecentes, quod amittunt, recipiunt, & quod recipiunt tribuunt ad eandem mensuram bis in anno convenientes: nec manent in eodem statu, sed brevitate, & longitudine horarum momenta discriminant, ut utilem mundo faciant temporum diversitatem. Namque dies ordine, & circulo suo de noctis temporibus mutuatur, & rursus nox recipit, quod largita est: dumque vicissim & tribuunt, & accipiunt, & orbem quodam quod paulatim amiserant decrecentes, sensim crescentes accipiunt, creatoris interpretantur sapientiam. Titus * Bostrorum Episcopus hanc diei, & noctis alterationem ideo necessariam fuisse scribit, quia nox communis est requies omnium animantium. Deinde si semper esset dies, non possemus metiri tempus non divisum in partes: non posset in multis ratio vitæ iniri, & constare: quodque majus est, non esset voluptas luminis fruendi, si non essent tenebræ; lumen

u Theophil. Alexandrinus Epist. 3. Paschali, x Titus Bostr. lib. 2. adv. Manicheos.

enim continuum, neque quod lumen esset, cognosceretur. Extra culpam igitur, & querelam est nox, nec quod multa noctu scelera committantur, criminis rea illa est; animus enim accusari debet non tempus: nam si maleficus nocti pareret, dormiret sanè, hoc enim jubet nox. Dracontius, Christianus Poëta fidem probans resurrectionis ex hac diei, & noctis succellione desumit argumentum. Sic autem canit:

*Mortua nox sub luce cadit, perit aurea luna,
Atque per ascensus, & cornua colligit ignes,
Et dum cæca latet, reparato lumine fulget,
Mentiturque diem lux frigida, solis imago.
Lucifero redeunte polo moriuntur & astra.
Nuncius auroræ subductus morte diurna
Lucifer extinctas rescit per sidera flammâs,
Ex hinc nocturnum jubar emicat igne corusco,
Roscida punicum spargens aurora ruborem
Ducit ubique diem periturum noctis ab umbris:
Et tamen hæc de sole perit, quo missa rubebat.
Sol oculis cæli, famulus super astra Tonantis,
Cujus ab immensis languescunt sidera flammis,
Ne gelidis animetur aquis per cœrula Ponti,
Occidit ipse dies super æquora sole cadente,
Et quo demersus, novus æquore manè resurgit
Vespere nocturno hunc radiata luce rubentem.
Purpureis abscondit aquis, redditque diurnè
Depositum naturæ suæ sub nocte sepulchrum
Manè resurgentem de fluctibus orbe recepto.*

Sed de hac re nil verbis Tertulliani * doctius, nil elegantius. Dies, ait, moritur in noctem, & tenebris usque quaque sepelitur. Funestatur mundi honor; omnis substantia denigratur. Sordent, silent, stupent cuncta: ubique justitium est, quies rerum. Ita lux amissa lugetur. Et tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum Sole, eadem & integra, & tota universo orbi reviviscit, interficiens mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam tenebras, hæres sibi existens, donec & nox reviviscat cum suo & illa suggestu. Agnovit & Dei mirabilem in die, ac nocte providentiam Theodoretus a: Et sanè, inquit, diem, & noctem veluti sorores quasdam videre est, quæ temporis spatia ad hominum usum invicem mutantur, simul & benevolè reddunt. Deficiente enim jam

Sff hyeme,

y Dracontius in Examer. c. 6. prope finem. z Tertul. de Resur. carnis cap. 12. a Theodoret. serm. 1. de providentia.

hyeme, & novo illucescente vere, quando mul-
ti admodum hominibus circa sua opera labores
exoriuntur: ut potè profectioes, & peregrinationes,
naviumque è portu deductiones, quando
& mare stratum, & hyberni frigoris rigore li-
berum est, terraque segetibus superbiens agri-
colam ad culturam vocat, & plantæ hortulanum
ad putationem, purgationem, rigationem, &
farritionem invitant: tunc, inquam, dies ope-
rationis tempus hominibus augens à nocte ho-
ras mutuò sumit; & paulatim quidem eas re-
cipit, ne nimio augmento iis noceat, qui ejus
opera ad res suas conficiendas utuntur. Ubi ve-
rò ad medium ætatis perventum est, definit
quidem mutuò sumere, mox verò debiti solu-
tionem aggreditur, adeò ut hanc nec vel in uni-
ci diei moram procrastinando rejiccat. Paulatim
autem, & sensim, quemadmodù ante acceperat,
ita quod acceptum est, reddit. Deinde ubi autum-
ni tempore nocti æqualis factus est, se hac mi-
norem fieri non pudet longam quietis opportu-
nitatem conficiens. Cum enim frigoris, pluvia-
rum item, luti, & cœni molestia domi deside-
re cogimur, nox ipso die multò nobis jucundior
est. Et sic quidem omnis vitæ nostræ cursus his
spatiis absolvitur, nec minorem quam dies, nox
hominibus utilitatem confert. Nam si lux quæ-
dam perpetua nullo alio intercedente medio
permanisset, certè nec annorum orbis, nec
mensium numerum discere, vel edocere potuif-
semus: sed unica illa dies continua totius præ-
sentis sæculi mensura fuisset, qualem nimirum
futuri illius sæculi conditionem fore credimus.
Illum quippè diem sine vespero fore, & omni
alia successione cariturum esse, edocti sumus.
Hæc, & alia plura elegantissimus Theodoretus.

§. IV.

*Dies in quatuor precipuas partes divisa ab
Antiquis. Item nox. Quid stationes, quid
vigilia sint. Quota hora quodlibet Offici-
um celebrandum. Quot sint partes Officii.*

Rursum Antiqui diem, & noctem in
quatuor partes æquales inter se dividere
solebant, quarum singulæ ab ultima hora in-
clusa nomen acciperent. Prima enim pars ho-
ram primam, secundam & tertiam continens,
Tertia dicebatur: Secunda horarum etiam tri-
um quartæ, quintæ, & sextæ, Sexta: Ter-
tia septimæ, octavæ, & nonæ, Nona: Quar-

ta à decima usque ad duodecimam ultima,
& duodecima appellabatur. Cornelius Janse-
nius ^b, Victor Geselinus ^c, & alii aliter expli-
cant hanc diei partitionem in quatuor sectiones,
sed errant toto calo, ut ostendit eruditissimus
Francolinus ^d, quem consulat curiosus lector:
nolo enim actum agere. Porro istæ horæ insig-
niores præ cæteris erant in rebus humanis, nam
teste Tertulliano ^e, diem distribuere, negotia
distinguerè, & publicè resonare solebant; Sem-
per, & ubique, ait ille, & omni tempore o-
randum, tamen tres istas horas Tertiam, Sex-
tam, & Nonam, ut insigniores in rebus huma-
nis quæ diem distribuunt, quæ negotia distin-
guunt, quæ publicè resonant, solemniores fe-
cerunt in orationibus divinis. Quare & frequen-
tior earum mentio in sacris, & profanis Au-
ctoribus habetur: & his duntaxat utebantur
Antiqui in designando tempore non solum
orationis, celebrationis Missæ, solvendi je-
junii, sed & aliarum rerum. Illud autem
hoc loco notandum est, quod jam dicta
trium horarum intervalla communiter olim
pro una hora accipiebantur. Sic quæ de ho-
ra tertia à priscis Scriptoribus notantur, non
præcisè de hac hora, sed de prima etiam,
& secunda intelligi debent, ita ut sub ter-
tiæ nomine totum tempus ab ortu solis ad
ipsam tertiam comprehendatur. Censorinus
^f de die natali, Veteres, inquit, diem qua-
drupartito, sed & noctem similiter divide-
bant. A Græcis quoque usurpatam hanc di-
stinctionem constat ex Pausania in Messe-
nicis, Suida verbo ^g & Onofandro ^g in
strategico. Etiam Levitas apud Hebræos ser-
vasse noctis vigiliæ, quas Græci ^h vocant,
& ternarum horarum observationem
habuisse, Divus Augustinus ^h asseverat. Le-
gendus Baronius ⁱ, qui tomo primo Anna-
lium hanc doctrinam luculenter confirmat.
Favent & plurimæ sacrorum Canonum san-
ctiones ^k. Marcus Varro ^l, quem refert,
& probat Carolus Sigonius ^m, Cosconius, in-
quit, scribit in actionibus Prætores Ac-
censo

^b Cornel. Iansenius in Conc. Evang. c. 143. ^c Victor
Geselin. in notis ad hym. 1. Prudentii Cath. ^d Francolin.
de temp. hor. Canonic. cap. 21 ^e Tertull. de jejuniis. cap. 10.
^f Censorin. c. 10. ^g Onofand strateg. c. 10. ^h Aug.
l. 4. qu. 4. sup. Num. i Baron. an. 34. nu. 162. ⁱ seq.
^k c. nocte. c. solent. c. de hoc, de consecr. dist. 1. item c. fin.
dist. 44. ^l c. 1. dist. 75. ^m Varro, l. 5. de lingua Latina,
m Sig. l. 1. de jud. c. 9.

censo jubere solitū, horam esse tertiam, Accensum in clamare horam esse Tertiam, Meridiem, & Nonam. Erant autem Accensi administri magistratuū ab acciendo, id est vocando, dicti. Duodecim tabulis, ait Plinius ⁿ ortus tantum, & occasus nominantur: post aliquot annos adiectus est & meridies, Accenso Consulū id pronunciant. Id verò quo ritu fieret Barnabas Briffonius ^o in doctissimo opere de formulis ostendit. Docet Chrysoſtomus ^p quod Monachi in quatuor partes diem dispertiti, dum singulæ partes implentur, Psalmodiis, & Hymnis Deum venerantur. S. Benedictus ^q in Regula iis, qui levioris culpæ rei sunt, poenam excommunicationis imponens, non illius quæ censura Ecclesiastica est; sed alterius Monasticae, & regularis, qua Monachus solius mensæ participatione privatur: Refectionem, inquit, solus accipiat mensurā, vel hora, qua præviderit Abbas ei competere: ut si verbi gratia, fratres reficiunt sexta hora, ille nona; si fratres nona, ille vespertina. En quomodo refectionem fratris, qui peccavit à sexta ad nonam rejicit, nulla facta mentione septimæ, vel octavæ horæ intermediae. Talis enim erat apud veteres consuetudo, ut iis solummodo solemnioribus horis ut plurimum uterentur. Horam quoque tertiam, & sextam nulla intermedia invenies apud Senecam ^r. Consentit huic divisioni Prudentius ^s his versibus:

*Nona submissum rotat hora Solem
Partibus vix dum tribus evolutis,
Quarta de vexo superest in axe
Portio lucis.*

Princeps Apostolorum ^t post acceptum Spiritum sanctum suspicionem ebrietatis diluit, quod esset hora diei tertia, cum minimè probabile videretur, viros Religiosos tribus primis horis diei ebrios fuisse. Ex hac horarum observatione sunt item qui conciliant Evangelistas circa horam crucifixionis Christi, cum Marcus hora tertia crucifixum dicat, Joannes sexta: de qua controversia legere oportet subtiliter disputantem Marcellum Francolinum ^u post Doctores scholasticos, & Interpretes Evangeliorum ^x.

ⁿ Plin. lib. 7. cap. ult. ^o Briffon. de form. lib. 5. ^p Chrysoſt. ho. 59. ad pop. Antioch. ^q Bened. Reg. cap. 24. ^r Senec. ep. 122. ^s Prudent. Kathim. hym. post jejun. ^t Ath. 2. 16. ^u Francolin. cap. 22. 23. ^x Theologi in 3. p. q. 46. art. 9.

2. Porrò hæc divisio diei, & noctis in quatuor partes, quæ singulæ ternas continent horas, apud milites, teste Vegetio ^y, diu quidem stationum, noctu autem vigiliarum nomine censebatur. Quod etiam Græci observabant, ut ex *Ænæa* ^z vetustissimo Scriptore in Commentario tactico de toleranda obsidione colligitur, in his capitibus, quorum titulus est, *τῆς ἡμέρας ὀργάνου* de diurnis speculatoribus, & *τῆς νυκτὸς ὀργάνου* de constitutione vigiliarum. Docet Lipsius ^a diligentissimus antiquitatis rimator Romanum morem fuisse totas cohortes, & turmas ponere in stationibus; non unum, aut alterum militem, ut quo s hodie à sentiendo sentinellas vocamus. At Modestus ^b de singulis centurijs quaternos equites, & quaternos pedites excubitu fecisse scribit. Plura de hac re Antonius Valtrinus ^c libro quarto de re militari, & Wolfgangus Lazius ^d libro item quarto commentariorum Reip. Romanæ. Nocturnos autem vigiles dictos Tesserarios adverte, quod tesseram, vel signum à Tribunis, sive Præfectis legionum acciperent, & per militum contubernia nunciarent, ut Polybius ^e docet. Ipsæ excubiæ, dante buccina signum, singulis tribus horis mutabantur. Augustinus ^f Vigiliæ spatium, ait, non habet amplius quam tres horas. Eradius ^g Presbyter apud eundem Augustinum ^h; Vigilia una tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigiliis habet, ternis horis per singulas vigiliis distributis. Lucanus:

Tertia jam vigiles commoverat hora secundos.

Hunc autem versum Ludovicus de la Cerda ^k ad librum nonum *Æneidos* Virgilianæ sic interpretatur, ut existimet ex eo colligi primos vigiles durasse primam, & secundam vigiliam; secundos tertiam, & quartam. Audis enim, ait, in Lucano secundos vigiles surrexisse ad tertiam vigiliam. Miror viri docti oscitantiam in re clarissima: Tertia etenim hora, non tertia vigilia surrexisse vigiles secundos scribit Lucanus, ut patet. Sed pergo. Silius Italicus ^l:

Siff 2 Me-

^y Veget. de re militari l. 3. c. 8. ^z *Æneas* de re tact. c. 6. ^a 22: ^a Lipsius l. 5. de militia Romana dialog. 8. ^b Modestus l. de vocabulis rei milit. ^c Valtrin. l. 4. c. 6. ^d Lazius l. 4. c. 3. ^e Polybius lib. 6. ^f Aug. in Ps. 39. ^g Eradius creditus. ^h Aug. serm. 14. de verbis Domini. ⁱ Lucan. lib. 5. ^k Cerda in Virgil. lib. 9. *Æn.* v. 164. ^l Silius lib. 7.

*Mediam sonitu cum buccina noctem
Divideret, jamque excubias sortitus iniquas
Tertius abrupta vigil iret ad arma quiete.*

Propertius *m*;

*Et jam quarta canit venturam buccina lucem
Ipsaque in Oceanum sidera lapsa cadunt.*

Seneca *n* in Thieste;

*Nondum in noctem vergente die
Tertia misit buccina signum.*

Frontinus *o*, Sulla, inquit, bello sociali nocte profectus relicto buccinato, qui vigilias ad hanc remanentium divideret, & quarta vigilia commissa eum sequeretur, incolumes suos perduxit. Stationum quoque, & vigiliarum vocabula invenio in sacris libris *p* Arnobius *q* junior, Custodia una, ait, quarta pars noctis est: ergo prima custodia à vespere incipit, secunda ad medium noctis ascendit, tertia pullorum cantus transit, quarta vigilia matutina in ortu lucis adimpletur. Eadem ratione Euthymius Zigabenus *r* Auctor Græcus, & Paschasius Ratbertus *s* noctis vigilias distinguunt. Moschus *t* item Poeta Venerem somnum immisisse Europæ fingit, cum tertia pars noctis stat, & aurora propè est. Sic inter se partiri solebant milites diu, nocturne vigilandi laborem, ut singulis trihorii mutarentur excubiæ. Prima diei statio hora tertia terminabatur, secunda, hora sexta; tertia, hora nona; quarta hora duodecima. Hac incipiebat prima vigilia noctis, & hora tertia finem habebat. Lucianus Presbyter in historia Inventionis S. Stephani, Hora, inquit, tertia, quæ est prima custodia vigiliarum. Secunda durabat usque ad mediam noctem, de qua Livius *u*; Signo secundæ vigiliæ convenistis, quod tempus mortales somno altissimo premit. Tertia usque ad horam nonam protrahabatur, de cujus initio sic canit Seneca *x*:

*Partes serè nox alma transferat duas,
Clarumque septem vertent stellas jugum.*

Quarta, quæ dicebatur matutina, usque ad

m Propert. lib. 4. eleg. cui tit. est, *Tabule Tarpeie.*
n Seneca Thiest. vers. 799. *o* Frontin. lib. 1. cap. 5.
p 1. Reg. 10. 13. & 14. Esdr. 13. Isai. 22. Exod. 14.
q Judic. 7. 1. Reg. 11. Matth. 14. Luc. 2. *r* Arnob. in
Ps. 129. *s* Euthy. in Ps. 129. *t* Pasch. l. 7. in Matth.
cap. 14. *u* Mosch. Idyl. 2. *v* Livius lib. 7. dec. 1
x Sen. Troad. v. 437.

ortum solis durabat: & de hac sic cecinit Statius *y*:

*Quarta soporiferæ superabant tempora noctis;
Cum vacuæ nubes, & honor non omnibus agris.
Assistatque jugit curru majore Bootes.*

Solus Euripides & præter aliorum morem noctem in quinque vigilias partiri videtur: nam in Rheseo quintæ vigilie meminit circa auroram viderint doctiores. Magister *a* Historiæ scholasticæ, nescio quo fundamento, scribit primam vigiliam conticinium dici, in qua omnes simul vigilant: Secundam intempestum, in qua adolescentes: Tertiam gallicinium, in qua viri: Quartam antelucanum, in qua senes. Has Dominus noster aliis nominibus insignit, dum nos exhortans ad vigilandū dixit *b*. *Vigilate, nescitis enim quando Dominus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.*

3. Olim Christiani diebus jejuniorum tota nocte in Ecclesia vigilabant, & die sequenti usque ad Nonam, & in Quadragesima usque ad Vesperas in eadem Ecclesia sine cibo, & potu perseverabant orantes, & psallentes. Hinc vigiliarum, & stationum nomen apud Ecclesiasticos emanavit, ut docent Isidorus *c*, Rabanus Maurus *d*, & antiquissimus Tertullianus *e*, apud quem solvere stationem idè est, ac jejuniū solve- re, qua loquendi formula utitur etiā Cassianus *f*. Sanctus autem Gregorius certas Urbis Ecclesias stationibus assignavit, & diebus quoque; solem- nioribus stationes fieri usque ad Sextam jussit; atque ad has Ecclesias istis etiam temporibus statis diebus fidelium concursus fieri solet: quamvis nocturne vigilantium excubiæ, & diurnæ stationes refrigerente charitate sublatae nunc sint, solâ jejuniis abstinentiâ permanente. Gabriel Albaspinæus *g* Episcopus Aurelianensis in suis observationibus de veteribus Ecclesiæ ritibus, adversus Pamelium conatur ostendere, stationes à jejuniis differre: cum tamen vix aliud probet, quam multa olim à Christianis in stationibus facta esse præter jejunia; cujusmodi sunt ad Ecclesiam convenire, & in ea commorari usque ad horam statutam, precibus incumbere, contemplationi vacare, operibus penitentiae corpus affligere, ac denique sumere Euchari- stiam.

y Statius l. 11. Theb. *z* Euripid. in Rheseo. v. 543. & 563. *a* Magist. cap. 75. Hist. Evang. *b* Marc. 13. 35. *c* Isid. lib. 6. origin. *d* Raban. l. 2. de instit. Cleric. 18. *e* Tertull. lib. de jejuniis cap. 10. de orat. ult. ad uxorem, & alibi. *f* Cassian. coll. 21. cap. 29. *g* Albaspin. lib. 1. observat. 10.

stiam. Clarius de hac re Dionysius Petavius in notis ad Epiphanium, ubi de veteribus Ecclesiasticis, ad expositionem fidei pag. 356. Nam quaedam stationes cum jejunii conjunctæ erant, quando videlicet fas erat fidelibus soluta statione, quæ durabat usque ad Nonam, cibum sumere: quando verò jejunium prorogabatur usque ad Vesperam, sicut in Quadragesima, tunc aliud erat jejunium, aliud statio; quia videlicet statio hora nona, jejunium ad Vesperam solvebatur. Et priora quidem Tertullianus semi jejunia vocat, lib. de jejunii cap. 13. ac si plenum jejunium usque ad solis occasum producendum foret. De vigiliis verò, quod attinet ad historicam veritatem, legendus Baronius ^b in Annalibus Ecclesiasticis, & in notis ad Romanum Martyrologium. Hæc è veterum monumentis deprompta necessario prænotanda fuerunt, ut sciret lector quid dies, quid nox sit, quæ horæ æquales, & inæquales; quid Prima hora Canonica, quid Tertia, quid Sexta, quid Nona; quale Matutinum tempus, quale Vespertinum, quid Vigiliæ nocturnæ, quid diurnæ stationes. Ut igitur paucis verbis colligamus, quænam sit hora legitima cujusque officii celebrandi, dicimus regulariter; Primam prima diei hora, Tertiam tertia, Sextam sexta, Nonam nona, Vesperas undecima; Completorium duodecima persolvi debere: Verumtamen adhuc amplius dilatari posse hæc tempora existimamus, ita ut Primæ prima dumtaxat diei hora, Tertie secunda, & tertia; Sextæ quarta, quinta, & sexta; Nonæ septima, octava, & nona; Vesperis decima, & undecima; Completorio sola duodecima assignentur. Hujus extensionis exemplum patet in Regula S. Benedicti ^k; Nam S. Pater æstivo tempore Nonam agi temperius præcipit mediante octava hora; hyberno autem diei Tertiam jubet hora secunda. Laudum verò celebrandarum legitima hora est initium crepusculi matutini: & nocturnæ synaxis, vel media nox, vel hora secunda post mediam noctem, sive hora una ante lucem, ut clarius ex dicendis infra constabit.

4. Cæterum in fine hujus capituli obiter examinandum occurrit, quot sint partes divini Officii. Potest autem multiplex responsio dari pro varia quæstione acceptione. Et primò qui-

^b Baron. 10. 51. Ann. a. 51. nu. 68. & seqq. 10. 2. an. 590. n. 36. 37. ⁱ & in Rom. Martyrol die 5. Ianuarii. ^k Bened. reg. cap. 48.

dem dividitur Officium in duas partes, majores, & minores. Majores sunt Nocturnum, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium: Minores Psalmi, Hymni, Cantica, Versus, Antiphonæ, Lectiones, Responsorialia, Collectæ, & aliæ res ejusdem generis, ex quibus unumquodque officium coalescit. Secundo dividitur totum Officium in Nocturnum, & Diurnum. Nocturnum secundum quosdam quatuor partes comprehendit, Vesperas, Completorium, Nocturnos, & Laudes. Hæc enim quatuor Officia vel absente sole, vel circa ejus occasum antiquitus persolvi solebant. At nunc cum Prima, Tertia, Sexta, & Nona, etiam Vesperæ, & Completorium ad diurnæ servitutis pensum; Nocturni autem, & Laudes ad Nocturnam synaxim pertinent, sive unum dumtaxat Officium, sive duplex efficiant, quam controversiam initio capituli quinti solvemus. Dico tertio, diurnas preces in Matutinas, & Vespertinas distribui. Et quidem abusus, & vulgi acceptio Primam, Tertiam, Sextam, & nonam Matutino, Vesperas, & Completorium vespertino tempore assignant. At peritiorum sensus, sacrarumque Canonum sanctiones ad pomeridianum, & vespertinum tempus etiam Nonam adjungunt. Aliæ Officiorum divisiones à varietate temporis desumuntur: quo pacto dicimus aliud esse Officium feriale, aliud festivum: aliud Quadragesimale, aliud Paschale, quorum omnium rationem, & causam Durandus in Rationali, & antiqui Patres Isidorus, Alcuinus, Rupertus, Amalarius, Rabanus, & alii in suis Tractatibus de divinis Officiis doctè, & eruditè explicarunt.

CAPUT IV.

De Nocturnis Vigiliis.

§. I.

Cur nocte orandum sit. Etiam Ethnicos nocturnas vigilias celebrasse in honorem Deorum. Exhortatio ad vigilandum. Oratio ut mysticæ fugentur tenebræ.

BEnè se res habet, ut verba usurpam Salviani ^a viri sanctissimi, jacta sunt fundamenta operis pia molitione capti, & di-

^a Salvian. initio l. 3. de gub. Dei.

& divini Officii amore suscepti. Jam ipsius Officii majores partes explicare aggredior à nocturnis vigiliis incipiens. Tamen enim à primis Vesperis Ecclesiastica dies, quoad solemnem horarum Canonicarum recitationem, initium ducat; à nocturna tamen synaxi juxta diei naturalis ordinem ordiri libuit. Antiqua est autem vigiliarum devotio, familiare bonum omnibus sanctis, teste Isidoro ^b, hoc enim tempore vastator Angelus transiens Ægyptiorum primogenita percussit. Quare nocturnis vigiliis orandus est Dominus, inquit Drogo ^c Abbas, ut gladio verbi sui invisibiliter penetrantis opera vitæ nostræ prioris tenebræ in nobis percutiat, & annihilat, quæ per Ægyptiorum primogenita ^d significari novimus: in quibus etiam Pharaoni, id est Regi tenebrarum captivati servivimus. Qui enim facit peccatum, servus est peccati. Dum enim propriis obediremus voluptatibus (sicut ait Apostolus ^e, *fuisstis aliquando tenebræ*) malignis spiritibus excæcati obedivimus: nunc autem conversi, & facti lux in Domino, ante ipsum vigili intuitu pernoctantes id etiam postulemus, ut ipsum fide cernamus, qui per Israelis primogenita signabatur, quia prima est, & fundamentum omnium virtutum. Ab Angelo autem vastatore tuti esse poterimus, si Passionis Dominicæ in sanguine Agni designatæ imitationem ubique teneamus, cujus signa si diabolus in nobis prospexerit, exterritus disparebit. Hoc etiam tempore dum medium silentium teneret omnia: & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Dei Sermo à regalibus sedibus veniens ^f pro salute nostra de Virgine nasci dignatus est: atque ipso eodem tempore, qui judicandus venit in primo adventu, in secundo cum gloria judicaturus adveniet, sicut fur in nocte: quocirca ad vigilandum ipse pro nobis sollicitus nos exhortatur, beatos ^g fore promittens quos invenerit sic facientes. Noctē itaque, ait Cælius Lactantius ^h, vigiliis celebramus propter adventum Regis, ac Dei nostri, cujus noctis duplex est ratio, quod in ea & vitam tunc recepit, cum passus est; & postea orbis terræ regnum recepturus est. Unum quoddam est de magnis Christi præceptis, ait Gregorius Nyssenus ⁱ, debe-

re nos somno minimè addictos esse, quicumque ad vitam supernam respicimus. Nocturno enim tempore acrius prosperunt invisibilium hostium insidiæ, fervent carnis illecebæ, viget tenebrarum potestas, subrepunt animo impuræ cupiditates. Vita hæc nostra, clamat S. Leo ^k, in medio insidiatorum, in medio præliorum est: si volumus non decipi, vigilandum est: si volumus superare, pugnandum est. Media nocte surgebam, ait Propheta, ad confitendum tibi. Multa enim in illo tempore, inquit Ambrosius ^l, tentamenta prosperunt. Tunc fervet carnis illecebæ, tunc tentator illudit, coquitur cibus, potusque digeritur. Stomachus ager, mens somnolenta, animus occupatus est. Itaque aut quiescenti calor soporis augetur, aut vigilantium nondum plenior refusus est vigor, qui errorum cavere possit incurfus. Tunc igitur tentator afficit, tunc retia jacit, quibus turbare possit mentem improvidam. Tunc spiritales nequitie tenebras offundunt, tunc omne nefas fudere contendunt, quando nullus arbiter culpæ, nullus criminis conscius, nullus potest esse erroris testis. Tunc varias disceptationes pectori dormitantis infundunt, ut primò de statu mentis dejiciant reluctantes, & impellant ad erroris assensum. Ideò nocturno tempore sancta mater Ecclesia, ut castrorum acies ordinata, Deo dicatis viris excubias agendas instituit temporalis militiæ studium æmulata. Rectè Hieronymus ^m, Bona est diurna meditatio, sed efficacior nocturna, quia per diem necessitates variæ obstrepunt, occupationes distrahunt mentem, sensum duplex cura dispergit. Nox quieta, nox secreta opportunam se præbet orantibus, apertissimam vigilantibus, dum carnalibus occupationibus expeditum, collectum sensum, intentum hominem divinis conspectibus sistit. Rectè item Chrysostomos ⁿ. Non ideò facta est nox, ut per totam dormiamus, & otiosi simus. Testantur hoc opifices, nautæ, negotiatores. Ecclesia Dei mediis surgit noctibus; Surge & tu, & vide astrorum choream, profundum silentium, magnam quietem. Obstupesce Dei tui miram dispensationem. Purior tunc est anima, levior, subtiliorque tunc est, sublimia videt, & expedita est.

^b Isidor. lib. 1. de Eccl. offic. cap. 22. ^c Drogo tract. de hōis Canonicis. ^d Exod. 12. ^e Ephes. 5. vers. 8. ^f Sap. 18. 14. ^g Luc. 12. 37. ^h Lactant. div. instit. lib. 7. cap. 19. ⁱ Greg. Nyss. or. 11. in Cant.

^k Leo. ser. 1. Quadr. 1. Ambros. in Ps. 118. v. 62. ^m Hiero. Ephes. 36. de observ. vigiliarum tom. 4. ⁿ Chrys. ho. 26. in Act. Apost.

Tenebræ ipsæ, silentiumque multum in compunctionem inducere sufficiunt. Si autem & cœlum videris quasi innumeris, interpunctum oculis, omni voluptate frueris statim concepta opificis sapientia. Inſeſtitur Deus nocturnis precibus, si quando tu quietis tempus facias lamentatorum tempus. Hæc Chryſoſtomus.

2 Ipsimet Ethnici nocturni temporis religionem agnovisse videntur. Nocti enim divinos tribuebant honores, eique gallum immolabant, ut ex antiquis Scriptoribus ostendit Natalis Comes in Mythologiis. Orpheus p quoque Theologus, & Poeta celeberrimus, Noctis apotheosim hymno elegantissimo celebravit, quem hic transcribere non gravabor è Græco Latino factum nulla habita metri ratione, quod Græci carminis elegantiam Latino assequi despondeam. Sic autem inscribitur ΝΥΚΤΟΣ ἡμετέρα δαλοῖς, Noctis suffimentum lampades.

Noctem Deorum, atque virorum generatricem cantibus celebrabo.

Nox omnium generatio, quam & Cyprum vocabimus.

Audi beata Dea, nigrum splendorem habens astris lucens,

Quiete gaudens, & quiete multi somnii:

Læta, delectabilis, pernoctationes amans, mater somniorum,

Oblivioni iradens curas, laborum quietem habens,

Hymnorum datrix, unica omnium, equis vesta, noctu splendens,

Semipfecta, terrestris, & cœlestis rursum ipsa, Circularis, ludens, & cursibus per aera iens:

Quæ lucem emittis ad inferna, & rursum fugis In infernum: gravis enim necessitas omnia vincit.

Nunc verò beata nox, valde dives, omnibus desideranda,

Et obvia, audiens sermonum supplicatoriam vocem

Veniâ benevola, timoresque dimitte splendore victos.

His versibus noctem celebrat in nocte superstitionis seputus Orpheus. Nocturnas autem pervigilationes in colendis Diis laudat Cice-

o Nat. Comes Mythol. lib. 3. cap. 12. p Orpheus in hymnis.

ro 9: sacras item pernoctationes canit Critias Poeta Græcus apud Athenæum, Festum nocturnum Ægyptiorum Herodotus s commemorat: & Diis nocturnis libationes fieri solitas recenset in Æthiopicis Heliodorus t. In honorem Veneris pervigilium trium noctium olim fiebat, de qua re antiqua quædam carmina refert Lipsius u in Electis. Eiusdem pervigilii meminit Plautus in Curculione hoc versu: Quid? tu Veneri pervigilare te vovisti Phædrome? & in Aulularia de vigiliis quoque Cereris mentionem facit: de quibus scribens Nazianzenus x; Pudet me, inquit, nocturnum sacrum in lucem proferre, ac turpitudinem mysterium facere. Idem honor vulgatus in ceteros Deos. Fortuna pervigilium lego apud Suetonium in Galba. Aliis Diis apud Livium y, & iterum apud Suetonium in Caligula, & in Vitellio. Apollinis quoque sacrum media nocte factum idem in Augusto commemorat. Sabazia sacra in honorem Bachi noctu celebrata Oppianus z canit in Cynægeticis. Quædam alia nocturna sacra ab Ethnicis frequentata describit, & irridet Julius Maternus Firmicus a libro de erroribus profanarum religionum ad Constantium, & Constantem Augustos. Media nocte surrexisset Indos, ut laudarent Solem, scribit Philostratus b in vita Apollonii. Nocturnum cultum Micibus Diis, quos Milichios vocabant, à Myonenſibus olim exhibitum docet Pausanias in Phocicis propè finem. Vigiliis item nocturnis cultum ab Ægyptiis Minervam Themistius c recenset. Seneca d Vestales virgines commendat, quæ ad sacra facienda noctibus excitabantur. Et hæc quidem Dæmonum latræ tribuerunt Infideles: Christianos autem summi Dei veros cultores in hoc vigilandi studio haud segnes fuisse demonstratum est supra e.

3. Propter nocturnos cœtus quod olim calumniis Christiani primo, & secundo post Christi nativitatem sæculo ab Ethnicis exagitati fuerint, notissimum est ex Tertulliani, Athenagoræ, Arnobii, Justini, & Minutii Felicis Apologeticis. Natio enim lucifugax, & latebroſa vocabatur, tum promiscui incestus, infanticidii,

q Cic. 2. de legibus Athen. r Dipnosoph. lib. 13. cap. 8. s Herodot. lib. 2. t Heliodor. l. 3. u Lipsius lib. 1. elect. cap. 5. x Nazian. or. 39. y T. Liv. li. 23. z Oppian. de Venat. lib. 1. v. 25. a I. Firmicus cap. 23. b Philostr. lib. 3. cap. 10. c Themist. orat. 13. d Senec. de Provid. c. 5. e cap. 1. §. 3. & 4.

ticii, idololatriæ, & impiatæ religionis acufabantur. Ignorabant videlicet quid in his antelucanis congregationibus fieret, summo studio occultantibus Christianis nostræ fidei sacramenta. Ab ipsis itaque Apostolis sacrarum vigiliarum origo fuit. Nec desunt in veteri testamento huius pietatis exempla. Abraham *f* de nocte confurgens filium immolaturus ascendit in montem, Jacob *g* noctu scalam mysticam videre meruit, & luctatus cum Angelo usque mane cœlesti benedictione repletus est. Noctu eduxit Dominus filios Israel de Ægypto *h*. Samuel Propheta *i* oraturus pro Rege clamavit ad Dominum tota nocte. Judith *k* exhibat nocte, & orabat. Regius Propheta *l* lavabat lachrymis lectulum suum per singulas noctes, media nocte surgebat ad confitendum Domino; quæsitum Deum nocte, & non est deceptus: nocte visitatus est à Domino, & probatus: Et quia in nocte lucis opera peragebat, sancti Spiritus ignem misit Dominus in cor eius, ut luceret ei per noctem, cuius fulgore nox illustrata illuminatio facta est illi in deliciis: quare fugatis peccatorum tenebris, & principe tenebrarum debellato, alios etiam ad tanti luminis participationem invitans ait; *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* O si scirent homines quam sanctæ, quam gratæ Deo, quam salutare sint sacræ Vigiliæ; non solum Monachi, & alii Ecclesiastici, sed & fideles singuli, simul in unum dives, & pauper noctem verterent in diem nocturnis precibus summo studio insistentes. Ut vivas igitur, vigilia: hoc age, inquit Horatius *m*. Et Cassiodorus *n*, Quotidie triumphas, si bene vigilas. Nestor item apud Homerum *o*, sic suos hortatur ad vigilandum.

*Vigilate viri, atque insistite curæ,
Ut facitis, somnumque oculis arcete nocentem;
Rebus in afflictis servo ne forsitan hosti
Ludibrium, risumque invidia nostra pararit.*

Proverbium Græcorum est *εὖ νύκτε βυρῆ*. In nocte consilium: ad quod Suidas *p*, & Clemens Alexandrinus *q* respicientes noctem vocarunt *εὐφροσύνη*, quod bene provideat, quoniam anima tunc cessans à sensibus convertitur ad se-

f Genes. 22. 28. *g* & 32. *h* Exod. 12. i 1. Reg. 15. *k* Iudith. 12. *l* Psal. 6. 118. 21. 76. 104. 138. 133. *m* Horat. lib. 2. sat. 3. *n* Cassio. lib. 7. var. ep. 8. *o* Homer. Iliad. 16. *p* Suid. v. *εὖ νύκτε βυρῆ* *q* Clem. Alex. lib. 4. Strom.

ipsam, & est magis prudentiæ particeps. Præclare Cyrill. & Hierosolymitanus; Quid nocte ad sapientiam utiliùs? nam in ea sæpè de Deo cogitamus: in ea divinorum oraculorum lectiorem, & contemplationem meditatur. Quandonam majori mens nostra contentione psalmos canit, & preces fundit? nonne nocte? Quandonam sæpius ad nostrorum peccatorum recordationem venimus? nonne nocte? Heladius Bezaninus apud Photium *r* noctem, quæ græcè *νύξ* dicitur, à *νύξ* id est stimulo, dictam per apocopen arbitrat; stimulamur enim in tenebris offendentes; & ut Antiochus *s* Monachus in Pandectis asseverat: Si in observandis excubiis attentè, ac prudenter vigilaverimus; vulnere atrocissimo consauciabitur adversarium. Docet Climacus *u*, nequissimos hostes mille nocendi artibus instructos vigilare in exitum nostrum, ut somnolentiâ nos opprimant, & oppugnent: At Vigilia, inquit Antiochus *x*, scutum miræ magnitudinis est, & eleganti decore conspicuum nobis indultum à Deo adversus diabolum ejusque milites, nimirum contra spiritus totius artifices malignitatis. Ipsimet Angeli, ut observat Hieronymus *y*, vigiles nuncupantur, quod semper vigilent, & ad Dei imperium sint parati. Unde & nos, ait ille, crebris pernoctationibus Angelorum imitamur officia. Quod si institores aurifices, ut docet S. Cæsarius *z*, maturiùs vigilant, quatenus possint corporis necessaria providere: nos non debemus ante lucem ad Ecclesiam surgere, ut peccatorum indulgentiam mereamur accipere? Verùm in hanc sententiam super aurum, & topazion pretiosa verba Ravennatis Archiepiscopi *a* audiamus. Semper, & ad omnia vigiliæ esse salutare nullus ignorat, quia reverà plus vigilare, plus vivere est. Quæ ars, quod opus, quod tempus, quæ potestas, quod officium non vitæ lucra lucubratione perquirat? Rex in prociñctu pervigil callidi hostis præcavet, & evitat insidias. Miles in castris supervenientes nocturnos impetus cautâ pernoctatione propellit. Nauta vigilando diffusi itineris incertas vias intrat, & calles transit invios, & vestigio furtivo ad lucrosi portus votivam pervenit mansionem. Pastor adjun-

r Cyrill. catech. 9. *s* Photius cod. 279. *t* Antioch. hom. 104. *u* Climac. gr. 18. & 19. *x* Antioch. loco citato. *y* Hieron. in cap. 4. Daniel. *z* Cæsar. hom. 33. *a* Chrysolog. serm. 24. de servo vigili.

git noctes diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi, ne qua lupis, suffragante somno, grassandi in gregem præbeatur occasio. Viator solers per auras noctis æstus solis prævenit, ætuncque diem providentius deputat mansioni. Hoc Propheta sciens non die solo, sed & nocte totâ clamabat ad Dominum: *Domine Deus salutis meæ in die clamavi, & nocte coram te.* Quid plura? Ipse Dominus pernoctat in oratione Dei, ut ante nos oratione liberet, quàm redimat Passione. Et si pro servis Dominus vigilat, merito pro seipsis servos vigilare jubet. Hæc Chrysologus.

4. O superna claritas, lumen verum, æterna lux, vae cœcitati meæ, vae tenebris meis, ni tu descendens illumines noctem meam. Vae torpori meo, vae somnolentiæ meæ, quæ caligare facit oculum mentis meæ, ut non videat lucem tuam, & veritatem tuam. Dormitavit anima mea præ tædio, & involvitur in tenebris filius tenebrarum ambulat ad tenebras in loco tenebroso, nisi tu desuper intonans in virtute tua dicas in auribus meis, Fiat lux, & discedat nubes magna, & caligo tenebrosa, quæ operuit superficium cordis mei. *Anima meâ defideravit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te b:* Audivi enim vocem tuam per Prophetam præcipientem mihi c; *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini, leva ad eum manus tuas.* Et dixi, *ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte d?* Verè enim Domine tu dedisti carmina in nocte, ponens in ore meo cantica lætitiæ, & exultationis, qui me de tenebris & umbra mortis eduxisti, & vocasti me in admirabile lumen tuum. Vae præteritæ nocti meæ, vae somnolentiæ meæ, quando dormiebam, & non vigilabam ad te. Et nunc gratias ago tibi, quoniam illuminasti me, & jam incipio videre in nocte fulgentissimum radium lucis tuæ, quæ nescit occasum. Tu radians in me potenti virtute reverberasti infirmitatem aspectus mei, & vidi me longè esse à te in regione dissimilitudinis, in tetra & horribili nocte. Illuminasti tenebras meas, & ecce video lumen cœli, & facta est mihi nox in deliciis, utinam vigilando inveniam, quod amiseram dormiendo, inveniam scilicet amando, amem inveniendo.

b *Isaia 26. 9.* c *Thren. 2. 19.* d *Iob. 35. 10.*

§. II.

Laudes vigiliarum. Exempla vigilantium.
Nocturnum tempus maxime opportunum ad orandum.

1. **D**Ivo Bernardo familiare dictum erat, dormientem Monachum Deo mortuum esse, nec sibi, nec aliis utilem. Idem de reliquis hominibus cujusque ordinis & conditionis asseverat Plato e. Turpe est, inquit, totam noctem somno indulgere. Quapropter noctu omnes excitari convenit; & civilium, ac domesticarum rerum pleraque partes obire: magistratus quidem per civitatem, cæteros in propriis ædibus. Somnus enim multus neque corporibus, neque animis nostris, neque actionibus competit. Nemo enim dum dormit utilius pretii est, nihilo magis quam qui non vivit. Quare quisquis vitæ & sapientiæ curam gerit, plurimo tempore vigilat, quod ad valetudinem suam commodum est solum observans. Est autem hoc non multum, si rectè in consuetudinem assumptum fuerit. Hanc magistri doctrinam sequitur Aristoteles f: Ante lucem surgere ad valetudinem, & ad curam rei familiaris, & ad studium Philosophiæ prodest quam plurimum. His accedit Romanus sapiens g: Extendamus vitam, circumferibatur nox, & aliquid ex illa in diem transferatur. Docet Pythagoras h, ne vestigium quidem corporis in lecto relinquendum: nullus enim est usus viri dormientis, ut neque mortui. Silius Italicus i de eadem re sic cecinit:

*Vigil ille, nec ullam
Ad requiem facilis, credensque abscedere vitæ,
Quod sopor eripiat tempus.*

Homerus & Hesiodus frequentissimi sunt in vigiliarum laudibus celebrandis, Cleanthis, & Aristophanis lucernæ toto orbe decantantur. Aristoteles, teste Lærtio k, cum se ad quietendum componeret, grues imitatus æneam sphaeram brachio extra cubile protenso tenebat, ut cum nervorum rigorem sopor laxasset, pila delapsa in suppositam pelvim strepitu suo

T t t t dor-

e Plato 7. de leg. f Aristot. in æconomicis. g Seneca ep. 122. h Pythag. in Symbolis. i Silius lib. 11. k Diog. Lærtius in Aristotele.

dormientem excitaret. Simile quid de Alexandro Macedone ejus discipulo narrat Ammianus Marcellinus^l. Artaxerxem, Epaminondam, & alios eximios Duces semper vigilantes describunt Historici. Virgilius Æneam suam aliis dormientibus vigilantem facit.

At pius Æneas per noctem plurima volvens.

Etiam filios Imperatorum Constantinopoli vigiliis servasse refert Gorgius Codinus^m Caropolita libro de officiis magnæ Ecclesiæ, & aulæ Constantinopolitanæ. De Principe oratorum Demosthene celeberrimum circum fertur elogium quod plus olei, quam vini consumeret: non solum quia abstemius erat, & *ὀδύνητος*, sed quia fabros omnes antelucanis vigiliis superabat: quare Pytheas, ut Plutarchusⁿ asserit, ipsius Enthymemata lucernam olere dicebat. Et Cicero^o in Tusculanis; Cui non sunt auditæ, ait, Demosthenis vigiliæ, qui dolere se agebat, si quando officium antelucanæ victus esset industriâ. Dio Cassius, & Joannes Xiphilinus monachus narrant in vita Commodi, quemdam Marcellum Strategum & assiduo scribendi exercitio, & victus tenuitate tantam sibi vigilantiam comparasse, ut omnibus esset admirationi. Plinius, & Seneca scribunt, tribus annis integris insomnem permansisse Meccenatem. Joannes Schenckius^p in medicis observationibus compertos esse scribit, qui novem dies connivis oculis egerint. Nizolius ille Ciceronianus decennio somnum non vidit. Nobilis matrona per annos 35, insomnis fuit sana, & citra noxam. Mulier Patavina 15. diebus insomnis nullâ re ad somnum perducipoterat. Hæc Schenckius. Addi potest S. Liduina, quæ per annos 38. nunquam dormivit. Sed hæc prodigii, monstrique loco habenda sunt. Ut enim scribit Theophylactus Simocatta^q, perpetuo vigilare immortalitatis est proprium, dormire verò mediocriter nostrum est, & humanum; at ultra dormire quàm satis est, mortuis potius, quàm viventibus convenit. Notabile est quod S. Epiphanius^r refert de studio vigilandi, quo Pharisei utebantur. Nam quidam eorum, ait, asseres sibi ipsis parabant dodrantis tantum latitudine, in his se ad vesperam locabant, ut si quis

^l Amm. Marcellin. lib. 10. & 16. ^m Codinus cap. 16. ⁿ Plutarch. in vita Demosth. ^o Cic. Tuscul. 4. ^p Schenck. tom. 1. lib. 1. observ. 125. ^q Simocatta ep. 55. nomine Parmenidis ad Chrysosthenem. ^r Epiphani. lib. 1. Panar. cap. 16.

dormisset, in pavementum decideret, & rursus excitaretur ad orationem, per hoc quod vigilantem vitam haberent, quantum fieri posset. Alii lapillos ex aquis collectos sibi ipsis sternebant, ut, dum his pungerentur, non in profundum somnum deferrentur, sed vigilantiam sibi ipsis parare cogerentur. Alii spinas prostrato habebant ob eandem causam.

2. In Proverbium abiere versus Homeris.

Perpetuam noctem dormire haud principe dignum est, Cui populi, cujus commissa negotia curæ.

Quos Oppiani; Commentator, sive Scholiastes ita eleganter mutavit:

Non debes somno totas impendere noctes, Cui libri commissi, & cui sapientia curæ est.

Scopeliano more vigilare adagium est, cui locum fecit Scopelianus Sophista somni parcillimusⁿ. Hic solitus est exclamare: ô nox, nam tu sanè maxima ex parte confors es sapientiæ Deorum. Habet enim hominis mens in alto silentio quidpiam Divinitatis, si se intendat ad rerum sublimium speculationem. *Mandavit enim Dominus*, ut Vates divinus cecinitⁿ, *in die misericordiam suam*, opera scilicet vitæ activæ: sed *in nocte canticum ejus*, opus videlicet contemplationis. Hinc præclarissimos quosque homines quotquot doctrinâ vel sanctitate floruerunt, vigilantia maximoperè studuisse adeo manifestum est, ut eorum exemplis plura volumina impleri possint. Notissima sunt magni Antonii pernoctationes, dulcesque cum sole querimonie, quod eo ex oriente amabilis cum Deo lucta cessaret, & internæ suavitatis manna liquefceret. Theophylactus^y Bulgariæ Archiepiscopus; Noctè ait, secedebat Christus ad montem, monstrans nobis quod oporteat nocte quidem per quietem colloqui cum Deo, diè autem morem gerere, & prodesse hominibus: congregare nocte, diè autem distribuere congregata. Noctè igitur accipiamus orationis fluxum è spiritualibus venis, diè verò effundamus hausta his, qui opus habent. Phornutus^y libro de natura Deorum; Opus est, inquit, lucubrationibus nocturnis, si quid in disciplinis proficere volumus: omnia enim præclara, ut

ⁿ Homer. Iliad. 2. t. Schol. Oppian. l. 5. Halienticon. 70. 616. ^y Philostratus in vitis Sophistarum. x. Psalm. 41. ^y Theophil. ius, 21. Lucæ, 2. Phornut. de nat. Deor. 6. 14.

testatur Epicharmus, melius noctu, quam diu cogitando reperiuntur. Usq; adeo necessaria vigilantia est, ut sine illa nullum opus laude dignum confici possit. Sapienter Comicus ^a:

Vigilare decet hominem,

*Qui vult sua temporibus conficere negotia,
Nam qui dormiunt libenter sine lucro, & cum malo quiescunt.*

Pastor ille centoculus, quem deceptum à Mercurio fingunt Poëte, cum vigilare desit desit vivere. Vellus aureum infomnis Draco servabat, ut Apollonius Rhodius, & Valerius Flaccus in Argonauticis fabulantur. Aurea poma in hortis Hesperidum pervigil quoque Draco custodiebat. His nimirum figmentis docuerunt Antiqui sine vigilantia nullum animi bonum servari, nullam posse virtutem custodiri. Leo fortissimus bestiarum, ut fortitudinis, sic & vigilantia symbolum ab Horo ^b Apolline dicitur esse, quia minimo somno contentus etiam apertis oculis dormire videtur. Quid gallum memorem leonis hostem, quod magis solaris sit, teste Proclo ^c; Hunc, ait Plinius ^d, excitandis in opera mortalibus, rumpendoque somno naturam genuisse. Ejus autem exemplo hortatur nos ad vigilandum Petrus Chrysologus ^e: Ut quod nobis gallus impendit hospitibus, nostro nos Creatori exhibeamus.

3. Occurrit hinc mihi, quod de Pantarba narrat Hiarchas apud Philostratum Lemnium ^f. Lapis est pulchritudine insignis, & virtute admirabilis; ardet enim suavi quodam fulgore, & radiis perstringens oculos, diem, vel mediã nocte accendit. Verum natura, ne tam pretiosum munus vilesceret, non modò oculis terræ visceribus abdidit, sed quamdam quoque facultatem misidit, qua ex capientium manibus esslueret, n provida ratione teneretur. Hæc omnia nocturnæ orationi mirificè conveniunt. Si lux quaeritur, quid illustrius? & nox sicut dies illuminabitur. Si latebræ, quid occultius? hæc est enim multitudo dulcedinis, quam abscondit Deus timentibus se. Si vis, quid potentius? Qui vigilaverit, ait Sapiens ^g, securus erit & inveniet sapientiam. Habent terreni Principes certas horas audiendis subditis, eorumque

^a Plantus in Rudente act. 4. sc. 2. ^b Horat. lib. 1. hierogl. 18. ^c Proclus lib. de Magia. ^d Plin. l. 10. c. 21. ^e Chrysolog. serm. 21. ^f Philostratus vita Appol. lib. 3. cap. 14. ^g Sap. 6. 16. & Proverb. 8. 18.

supplicationibus expediendis destinatas: Deus autem, tametsi audiat omni horâ clamantes ad se, nocte tamen promptior esse videtur ad audiendum de qua forsitan scriptum est: *Orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno* ^b. Media nocte venit Sponsus, & qui posuit tenebras latibulum suum, in tenebris quaeri vult, & in tenebris se ostendere. Ad immolanda enim orationum sacrificia, ut scribit Faustus Regiensis ⁱ, amica sunt fruentibus nocturna silentia. Nam si omne tempus æquè idoneum est ad quaerendum in oratione Deum, Quare dicit Propheta ^k, *Quærite Dominum dum inveniri potest*? vis autem scire quanta sit noctis opportunitas ad quaerendum, & inveniendum? Audi Bernardum ^l: Tempus feriatum commodius, aptiusque est, cum profundum nocturnus sopor indicit silentium. Tunc planè liberior exit duriorque oratio. Quam secunda ascendit solo arbitro Deo, sanctoque Angelo, qui illum superno altari suscipit præsentandam! Quam grata, & lucida verecundo colorata rubore! Quam serena & placida nullo interturbata clamore, vel strepitu! Quam denique munda, atque sincera, nullo resperfa pulvere terrenæ sollicitudinis; nullâ aspicientis laude, seu adulatione tentatâ! O insignem nocturni temporis prærogativam! ô sacras noctes omni luce splendidiores.

^h Psalm. 31. ⁱ Faustus epist. ad Felicem. ^k Isai. 65. 6. ^l Bernard. serm. ult. in Cant.

METRUM VII.

O Nox purpureo splendidior die,
O Nox delirii omnibus affluens,
O Nox, que radios prodiga cœlicos
Spargis divite copia.
Huc te ser tacito, cœrula nox, pede,
Nox duris requies grata laboribus:
O curas animi, diraque comprime
Tripsis murmura pectoris.
Jam non Thessalicis diceris artibus
Præses, vel scelerum mater, & horridi
Inferni soboles, Eumenidum parens,
Altrix sæda cupidinum.
Hæc de te veterum fabula sinxerit:
At nunc Angelici conscia luminis,
Nunc solâ rutilâ luce serenior
Nigris in tenebris nites.
Tu nunc paciferum mentibus otium
Insurgens superum munerâ dividis;

T t t t 2

T 2

Te nunc sollicitio quaerit anhelum
 Sanctis iustus amoribus.
 O Nox combibii promba mystici,
 Consort aetherae nox sapientiae,
 Cujus per tenebras sal novus emicat
 Sponsi vultus amabilis
 Salve, & cum patrie perdita gaudia
 Marens hic recolo, praecipitem polo
 Cursum ne acceleres. Da veniam, tua
 Si nunc turbo silentia.
 Urit sidera me patriae decor,
 Cum fulget tenero Cymbia lumine,
 Urit me nitidis pervigil ignibus
 Stellati tholus aetheris.
 O celsi placidas excubias poli,
 O noctis choreas, o tremulas faces,
 O veras superae lucis imagines
 Aeterni thyasos chori.
 Cur me jam nimio tempore corporis
 Vinculum compedibus cernitis exilem?
 Haec! terrena nimis desipiunt mihi,
 Si summum intueor polum.

§. III.

A Sectariis damnari Vigiliis. Quota hora nocturna synaxis persolvi debeat. Somnus post vigiliis Monachis interdictus, & cur? Oratio ad Deum ut excitet nos.

1. **H**As noctis delicias, hunc splendidissimum fulgorem carnalis, & obscura Serenariorum caecitas sustinere non potest, eorum praesertim, qui à quibusdam somniculosi, ab Isidoro ^m Nyctages nuncupantur. Irrident enim, & damnant impudenti temeritate nocturna sacra, sicut & alios Ecclesiae ritus, superstitiosum esse dicentes jura temerare divina, quae noctem ad quietem tribuerunt. Horum antesignanus fuisse videtur sui nominis everfor Vigilantius, quem D. Hieronymus ⁿ confutat, & per jocum Dormitantium appellat. Hujus haeresim ab inferis revocavit Joannes Wicleff, contra quem stetit murus aeneus, & columna ferrea pro domo Dei Thomas Waldens. o fidei Catholicae eximius propugnator. Recentiores omitto, qui ventrem pro Deo colentes, non

^m Isidor. lib. 8. orig. cap. 5. ⁿ Hieronymus epist. 53. ^o Thomas Waldensis tom. 3. de Sacramental. tit. 2. cap. 25. & seqq.

solam nocturnas vigiliis, sed ipsam Dei legem gravem, & intolerabilem existimant. Quamvis autem, teste Phœbadio Agennensi Episcopo, destruenda sint aliena, ut nostris credatur; hi tamen à viris doctissimis toties divicti, hi bellati fuerunt, ut nequaquam expediat, aut necessarium sit novum cum illis certamen inire: cum praesertim verissimum sit, id quod olim Sanctus Irenaeus ^q scripsit, univertae terrae eleborum non sufficere haereticis, ut evomant stultitiam suam. Atque utinam istorum pervicaciam, & mollitiem, etiam inter Catholicos, & Orthodoxos non imitentur quidam, qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt. Polidorus Virgilius ^r Scriptor in plerisque inutilis, ac temerarius nocturna sacra semper fuisse damnata tradidit ob periculum impudicitiae. Sed error tam supinus exhibitari potius debet, quam confutari. Quod enim frequentius exercitium, quae magis vulgata pietas in primis Christi cultoribus, quam sacrae pernoctationes & pervigilia, ad quae passim utriusque sexus fideles in Ecclesia convenisse sancti Patres, & Historiographi commemorant? Lego quidem in Concilio Eliberino ^s sub Marcello primo, tertio post Christum saeculo, vel ut alii malunt, sub Silvestro, veritum, ne scemine in cœmeteris pervigilarent, eo quod saepe sub obtentu orationis scelera latenter committerent. At sublatas ab Ecclesia vigiliis apud antiquos Scriptores nusquam lego. Nunc autem in hac senescentis saeculi face, refrigescente charitate, sublatae sunt quoad laicos vigiliae: cujus tamen Pontificis decreto hoc factum sit, non invenio. Tomo tertio Conciliorum ^t editionis Coloniensis extat de hac re canon Concilii Palentini, quod in Hispania celebratum est anno 1322. sed quia Oecumenicum non fuit, universalem Ecclesiam obligare non potuit. Fictus Auctor ^u sermonum ad fratres in eremo, S. Ambrosium hortatu S. Monice vigiliis abstulisse ait, quod plurimi Christianorum illud noctis tempus ludendo, ac choreas agendo traderent. At hi sermones nullà fide digni sunt, & perperam adscribuntur Augustino, multum licet reclamantibus quibusdam, & ex ipso Augustino libro 9. Confessionum liquet, eo tempore propensiori studio iisdem vigiliis Orthodoxos in-

^p Phœbad. initio lib. adv. Arianos. ^q Irenaeus l. 2. cap. 58. ^r Polid. Virgil. de inv. rerum l. 6. c. 4. ^s Concil. Elib. can. 35. ^t Tom. 3. Conc. pag. 2. ^u Ad fratres in eremo serm. 25.

incubuisse, occasione Arianicæ persecutionis: imo in Africa etiam cytharæ introductæ iue- rant, & additæ sacris hymnis, quas tamen se agente pulsas scribit Augustinus *.

2. Olim Christiani tribus primis vigiliis tres nocturnos divisim, quarta verò vigilia laudes recitabant. Tantus erat ardor charitatis, ut quater in nocte surgerent ad orationem, prima vigilia ad primum nocturnum, secunda ad secundum, tertia ad tertium, quarta ad laudes perfolvendas, vel omnes simul, vel divisi in cohortes: de qua re legendus D. Thomas 7 in Epistolam primam ad Corinthios, Baronius 2 tomo primo Annalium, Suarez 2 tomo secundo de religione, & doctissimus Francolinus b. Nunc tres Nocturni simul cum laudibus recitantur, & quidem à multis Religiosis mediâ nocte, ab aliis prima vigilia, ab aliis tertia circa galli cantum: à Clericis autem secularibus circa finem quartæ vigiliæ matutinæ. Monachi verò sub Regula Sancti Benedicti c militantes aliis ritibus utuntur. Sanctus enim Pater annum dividit in duas partes, æstivam scilicet à Paschate usque ad Calendas Novembris; & hyemalem ab ipsis Calendis usque ad Pascha. Tempore æstivo ita præcipit horam vigiliarum temperari, ut nocturnis decantatis incipiant matutina crepuscula: ita quod parvissimo intervallo post Nocturnos custodito mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur. At hyemis tempore juxta considerationem rationis. Octavâ, inquit, horâ surgendum est, octavâ nimirum planetariâ, & inæquali. Quæ sanè octava expleta esse debet, ut explicat Smaragdus 4 Abbas Scriptor fide dignissimus, quod Monastici spiritus purissimos latices in ipso fonte potârît. Ejus verba sunt ista: Hora septima noctis tota, & octava dimidia pulsato signo omnes pariter surgant, & sic illa quæ restat dimidia hora de octava inter signorum explicetur intervallo, ut ab hac hora nona noctis inchoetur Psalmi laus ipsa nocturna. Talis mihi videtur esse sensus positus, ut post sex horas noctis pausetur adhuc septima tota, & octava hora dimidia: & intervallo signorum factò quasi horâ dimidia incipientes à nona hora noctis, alacres animo, & corpore non pigro di-

vinæ laudis officium reddant Domino Jesu Christo. Hactenus ille. Ex quo redarguere possumus neotericum Benedictinæ Regulæ explicatorem Antonium Perez e cæcutientem hoc loco in hujus octavæ horæ explicatione. Porro hæc hora noctis octava ferè coincidit cum secunda post mediam noctem horologii astronomici, quo Galli, Hispani, & Plerique Germanorum utuntur. Et hanc esse horam competentem nocturni officii decantandi, circa finem videlicet tertiæ vigiliæ, probat Francolinus ex communi Doctorum sensu, & ex antiqua consuetudine Ecclesiæ Romanæ. Basilius Monachus f Lauræ Maleini præfectus; Audita inquit, horâ octavâ surgendum est: hunc terminum transilire Monachos non decet. Nec obstat huic assertioni illud Psalmographi: Mediâ nocte surgebam ad confitendum tibi. Media enim nox non mathematicè, sed moraliter: non per æqualem terminorum distantiam, sed per solam intra dictos terminos inclusionem accipi debet. Sanè Chrysostomus g vitam Monachorum describens eos ad galli cantum surrexisse assererat his verbis: Postquam gallus cantavit statim veniens Prælati, & pede solum simpliciter cædens omnes excitavit, mox statim surgentes stant, hymnos canentes Propheticos multa cum vocis consonantia, cum aptè compositis concentibus. Nec aliter intelligendus mihi videtur Simeon h Monachus, quem Græci juniorem Theologum vocant ad differentiam Nazianzeni, dum ait: Oportere Monachum nocte mediâ ante diluculum surgere, ad doxologiam congregari, ad principium Hymnodi e attentum esse, ad Hexapsalmum, ad versiculos, ad lectionem. Nam & hic medianox in latiori significatione accipienda est. Hæc autem assignatio temporis ad publicam pertinet recitationem: nam privata aliam esse rationem nullus est qui ignoret. Veteres antelucanam incubationem non nisi sub finem Autumni incipiebant, ut ostendit Muretus i rei antiquariæ scientissimus. Ita Satyricus k:

Post finem Autumni mediâ de nocte supinum
Clamofus juvenem pater excitat: accipe cervas;
Scribe puer.

Ad hunc morem respexisse videtur S. Pater
Tttt 3 Bene-

e Ant. Perez in cap. 8. regulæ. f Basil. Monachus in asceticis. g Chrys. hom. 59. ad pop. Ant. h Simeon orat. 23. de fide & moribus. i Muret. l. 18. var. lect. cap. 13. k Juvenal. sat. 14. vers. 190.

x Aug. conc. 1. in Psal. 32. y D. Tho. in ep. 1. ad Cor. cap. 14. lect. 6. z Barou. an. 51. nu. 69. & seqq. a Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. c. 4. b Francolin. c. 1. 2. & 5. & alii apud ipsos, contra Azorium p. 1. l. 10. c. 2. c Bened. reg. cap. 8. d Smaragd. comment. ad cap. 8. regulæ.

Benedictus. A sancto enim Paschate, quod circa veris æquinoctium esse solet, usque ad Calendas Novembris, circa finem scilicet Autumni, sic horam surgendi temperavit, ut persoluta nocturnâ synaxi jam dies illucescat. A prædictis verò Calendis usque ad Pascha tali horâ surgendum esse præcepit, ut corporibus necessariâ quiete jam relictis, quod post vigiliâs restat tempus, non iteratæ dormitioni, sed rerum divinarum meditationi, sacrisque studiis impendatur.

3. Hoc institutum, ne dormiant Monachi post vigiliâs, semper antiquis Monachis inviolabile fuit, illudque commendat Cassianus ¹ duplici ex causa: Prima ne purificationem nostram nocturnis orationibus acquisitam invidus hostis somni illusionem contamine; Secunda, ne somnus ille inertiam Monacho parturiant, ac per totum diem vigorem ejus obtundat, cordis pinguedinem exhauriat, & debilem reddat eum adversus insidias inimici. Obijciunt pigri Endymiones, se ideò post vigiliâs somni quietem repetere, ut valetudini consulant, corpusque validum servant diurnis exercitationibus. Verùm hanc ridiculam inertiam excusationem eludunt Medici, qui & dormiendi spatium septem horis diffiniunt, & longiorem somnum non parùm officere valetudini asseverant. Somnus enim multus, ut monent Hippocrates ^m, & Avicenna ⁿ, laxat membra, calorem nativum hebetat, gravat caput, stupidum facit & obliviosum, multorumque morborum fons & origo censetur. Quidam quoque medicus animarum in vitis Patrum ^o dicebat: Satietas somni mentem, sensumque hominis stupidum, & pigrum reddit, vigiliâs autem tam sensum, quam mentem subtiliorem ac puriorem efficiunt. Marfilius item Ficinus ^p inter primarios studiosorum hostes somnum recenset matutinum. Quamquàm stultum sit medicorum doctrinam illis proponere, qui carnem suam crucifigere, & animam perdere debent, ut servant. Scriptum est enim, quia prudentia carnis mors est: itemque sapientia carnis inimica est Deo, & sapientia Dei non invenitur in terra suaviter viventium. Et qui eam invenit, super salutem, inquit, & omnem pulchritudinem dilexi sapientiam. Hanc quærebat ille Monachus apud Petrum Damianum ^q, qui post solemnes

¹ Cass. lib. 2. cap. 13. ^m Hipp. 2. aph. 3. ⁿ Avicenn. 2. ^o 3. primi. ^o Vita PP. l. 3. c. 2. ^p Ficin. lib. 2. de sanit. studiosorum cap. 7. ^q Petr. Damian. lib. 9. ep. 17.

vigiliâs somnolentiâ oppressus hostem vincebat dicens: Accidietur cor, palpitent oculi, os per crebra balaustra gannire non cesset, caput etiam nutet, & ad ima devertat; sed quia hæc omnia ne perimere nequeunt, ad contentionem hujus temporis somno nullatenus superabunt. Sanctus autem Romualdus ^r somnum post vigiliâs ad eò exosum habebat, ut, si quis ei confiteretur, se illo tempore obdormisse, nequaquam posset eo die cum ejus licentia sacra Missarum solemnia celebrare. Grodegandus Metensis Episcopus in Regula Canonicorum, quam edidit tomo primo Spicilegii vir C. L. Lucas Dacherius capite 15. vetat sub pœna excommunicationis, ne in intervallo post vigiliâs nocturnas quis dormiat, nisi quem infirmitas cogit, & hoc cum licentia. Christianus Pædagogus rectè nos instituens apud Clementem Alexandrinum ^s; Tædia, inquit, dormitationes, pandulationes, & oscitationes sunt instabilia animæ fastidia. Non est anima, quæ somno indiget, ipsa enim est semper mobilis, sed corpus, quod quieti traditur, resolvitur, dum anima non amplius corporaliter operatur. Et ideo Deum mente semper versans per continuum consuetudinem corpori vigiliam inferens exæquat hominem Angelicæ gratiæ, vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ suscipiens. Ea porrò intervalla, quæ post nocturnam psalmodiam usque ad ortum diei protenduntur, beatissima vocat Sanctus Abbas Ælredus ^t, quia tunc magna fit in cordibus nostris multitudo dulcedinis, suavitas devotio. nis. Eadem spatia commendans Gilbertus ^u Abbas, exclamat; Deus bone! hora illa noctis quàm sine nocte est, quàm nox illa illuminatio in deliciis! Orationes illæ privatim fiunt sed privata non petunt. Submissior quidem vox sed mens intensior, & preces tacite multum habent acuminis. Sed quo fortius erubescas, vade piger ad Epicuri sectatores & vel ab ipsis discite vigilantiam;

*Ut jugulens homines surgunt de nocte latrones,
Ut te ipsum servas non expergisceris? atqui
Si nolis sanus, curres hydropticus; & ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis, & rebus honestis,*

In.

^r Idem in vita S. Romualdi. ^s C. L. Alexandr. l. 2. ^t Pædag. cap. 9. ^u Ælred. bom. de duob. discip. euntibus in Emaus. ^v Gilbert serm. 23. in Cantic. ^x Horat. lib. 1. Ep. 2.

*Invidia, vel amore vigilare: nam cur
Quæ ledunt oculos festinus decimere, si quod
Est animum differi curandi tempus in animum.*

Sic canit qui se unum Epicuri de grege fatetur. Verum hujus & aliorum sapienter cantantium, & incantantium carmina aspides surdæ, viles animæ, somni mancipia obturatis auribus aspernantur. Ut enim magnus Orator ait, Non possunt audire stulti vocem clamantis sapientia. Plura de vigilantia Crescivius tomo 2. Anthologie cap. 4. Observat autem Petrus Roverius in illustrationibus Historiæ Monasterii Reomaensis num. 34. quod officii cursus ferè ibi peragebatur nocturnis horis ex Regula S. Marci, nam dicto Matutino meditationi vacabant Monachi usque ad horam secundam, deinde usque ad nonam opus manu exercabant, more scilicet Ægyptiorum, de quo Cassianus lib. 3. instr. cap. 2.

4. Suscita nos Domine, ut vigilemus, & oremus, ne incidamus in tentationem, quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adjuvet. Quam citò clauditur oculus, ne te videat, collabitur pes noster in hoc mare magnum, & spatiosum manibus, ubi sunt reptilia, quorum non est numerus, quæ somniorum suorum phantasiis intentam ludificant animam, & trahunt in cor maris, unde non facilis ad superiora reditus est, nisi tu emittas manum tuam de alto, & libera nos de aquis multis. Suscita nos Domine, ut tecum vel una hora vigilemus, & oremus. Quis autem est qui tecum vel una hora vigilet? Etiam in cælo non est factum silentium, nisi quasi mediâ hora: quanto minus in terra unâ horâ vigilabimus tecum? Quoties redis ad nos, & invenis dormientes, & tamen benignè suscitans nos, & iterum abis secundo, & tertio eundem sermonem dicens? Statim autem ut recesseris, iterum somnus occupat nos, nec vigilare possumus, nisi quandiu nobiscum es, & suscitans nos. Venis in secunda, & tertia vigilia; Sed beatus ille, quem tunc inveneris vigilantem 2.

Y Demosthenes 1. olympiaca. z. Drogo Abbas lib. de Sacram. Dominicæ Passionis.

§. IV.

Amor vigilare facit. Quomodo vigilandum sit. Quæ sint vigilia mystica.

1. **V**igilare non potest, qui non amat. Jacob ille, cui tam facilis erat somnus, ut etiam in arena procumbens, duroque filici innixus inter hostium appropinquantium insidias suavi posset sopore demergi, cum tamen amori deditus esset, omnino dormire non poterat, & somnus fugiebat ab oculis suis. Ita quicumque diligit, dormire non potest: quicumque amator sapientiæ est, mane vigilabit ad eam, quoniam qui vigilat, inveniet illam. Vigiliæ inducit amor, ait Gilbertus a noster, amantis anxietas illum dormire non sinit, somnolentiam excutit. Amor de quiete ipsa redditur inquietior. Tunc magis vires exercet dulce incendium, & flamma vorax de latibulis evadens vacuo liberius evagatur in animo, altius possidens, & avidius depascens. Occasione accepta suum nescit amor non exercere negotium. Verus enim, & perfectus amor, ut Laurentius Justinianus b docet, semper studet prævenire dilectum, non parcat sibi, non corpori requiem, non somnum oculis, non præstat palpebris dormitionem. In sui latitudine corporis corporales quæritat latebras, fugit publicum, hominum consortia devitat, notorum facies declinat, ut licentius suspensus, gemitibus inerrabilibus, singultibus, & quibusdam amoris nutibus suum, quem diligit, valeat advocare dilectum.

M E T R U M VIII.

S Virgit amor, jaclatque faces, & spicula vibrat,
Mergit ut æquor est lumina Phœbus aquis,
Cumque serenato lucefcunt sidera cælo,
Cæcæque nocturno frigore terra riget:
Tunc amor arcanis populatur viscera flammis,
Pectora tunc rapidis ignibus usta calent.
Lumine nempe novo nox ambitiosa resulget,
Gaudet & occulta luce referre diem.
Flammescunt gelidæ tremulis splendoribus umbræ,
Et polus ætherea mittit ab arce faces.

Squa-

a Gilbert. ser. 8. in Cantic. b Laur. Justinianus de casto conu. Verbi, & animæ cap. 13.

*Squamigerum stupet omne genus, luditque per
midas*

*Dum natat in vitreo pendula flamma mari.
In tenebris ardens scintillat pectus amantis,
Nocte vigent flammæ, nocte triumphat amor.
Quod si fessa iuvat componere membra sopore,
Tunc magis ardenti fulminat ille manu.
Fulminat, & tantis languescunt pectora flam-
mis,*

*Languet ut in calidis flosculus ustus agris.
Nuper nocte meas urebat flamma medullas,
Atque non potuit seuior esse rogius.
Dumque ardens jaceo, dum languco multa volu-
tans,*

*Dormio sub vili tegmine stratus humi.
Tunc mihi languenti misit bona somnia Numen,
Somnia formoso candidiora die.
Constitit ante oculos species veneranda puellæ,
Et Superum facies prodidit esse choro.
Induerat Tyrio distinctam murice vestem,
Textili & intactas cinxerat igne nives,
Stellantes oculi, miseri duo fulmina cordis,
Fætabant rapidos frontis ab arce rogos.
Dextera fulgebat viridi stellata smaragdo,
Ornabat niveum plurima bacca sinum.
Prætereo gemina radiantes aure pyropos,
Albaque purpureis lilia picta genis.
Mitto quod Eois certarent labra corallis,
Et rutilas premerent aurca serâ comas.
Hærebam tanta plectus imagine formæ,
Fundebamque humiles, ore tacente, preces.
Nec mora: jam lacrymas, jam mollia verba pa-
rabam,*

*Quis mihi tantus erat conciliandus amor.
Illa sed insolitus spargens furibunda favillas,
Hos mihi terrificos edidit ore sonos:
Gloria summa poli, soboles primæva Tonantis,
Non soleo ignavos sacra docere viros.
Delicia, fateor, mihi sunt humana propago,
Ni inficerent animum, & primerentque solo.
Dixi etiam quondam, Nox est mea sola voluptas,
Nec nisi qui vigilans me reperire queunt.
Nocte micat mea lux, mihi sidera lumine cedunt,
Ataque fit radiis Cimbrica victa meis.
Ipse meo fulgens Titam aspirat honori,
Et recreo flamma splendidiore polum.
Cum mea lux fulget, cum spargo per æra flammæ,
Vertitur in clarum nox tenebrosa diem.
Cumque meo humanum perfundo lumine pectus,
Dignus homo est Superum conditione frui.
Vix ea, cum subito tenues dilapsa per auras
Aufugit, heu! lacrymis non revocanda mei.*

*Tunc votis frustrata suis mens excidit, omnis
Me virtus liquit, desinitque sopor.
Et dixi recolens felices gaudia somni,
Solutus erit Sophiæ dignus amore vigil.*

2. Verè autem vigil est, qui soli Deo jugiter
vigilat: qui cor suum sedulo præparat ad ape-
riendum illi quacunque hora pulsaverit. Ideò
vigilias noctis custodimus in quatuor partes
nocturnum officium dividentes, in tres videli-
cet Nocturnos, & Laudes, quia, ut observat
Innocentius Papa e, munire cor debemus con-
tra quatuor hostes animæ, contra fallacias dæ-
monum, contra versutias hominum, contra
carnales concupiscentias, contra sæculares il-
lecebras, ut sic semper parati simus, cum vo-
cem sponsi pulsantis audierimus. Cæterum vi-
gilat Domino, ait quidam doctus, & pius
Scriptor d, qui ad ipsum de luce fidei, atque
veritatis suspirat, & ad ipsum tota intentione
se tollit. Vigilat Domino, qui omnem animæ,
atque corporis beatitudinem in ipso sitit habe-
re. Domino solum vigilat, qui propter ipsum
segregatur à mundo, & animæ similiter, &
corporis solitudinem quærit, & devitat hu-
mana consortia, ne vigilia præpediatur divina.
Hoc enim dicebat David orans oratione pauperis,
dum ejus anima anxietur coram Domino:
*Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius
in tecto.* Notissima est illa Domini nostri exhor-
tatio: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentatio-
nem.* Et quis hoc dixerit, scitis, scribit mellito
calamo Bernardus e, & tempus scitis: Domi-
ni enim est verbum illud, instante Passione sua.
Vigilate, & orate, ut non intretis in tentatio-
nem, quoniam undique circumdati estis tenta-
tionibus: unde & legistis quia tentatio est vita
hominis super terram. Itaque si tot tentationi-
bus plena est vita nostra, ut non immeritò tota
ipsa tentatio debeat appellari, pervigili circum-
spectione opus est, & oratione, ne inducamur
in eam. Ipsa vigilantia omnia reddit facilia,
carnem spiritui subijcit, vitia comprimit,
mentem elevat, divini amoris ignem accen-
dit, & nutrit. Nonnè Patres nostri in custo-
diendis vigiliis supra modum solliciti admiran-
da potius quam imitanda vigilantia relique-
runt exempla? Homines erant similes nobis,
passibiles: Unde ergo, rursus Bernardi f mel
pro-

e Innocent. III. serm. 3. de Apostolis. d Simon de
Cassia. lib. 1. de gestis Salvat. cap. 23. e Bernard. ser. 53
in Pf. Qui habitat. f Idem serm. 2. de S. Andrea.

propino, unde in tanta fragilitate tanta constantia? Unde in hominibus tam spiritualis mens? tam fervens charitas, animus tam robustus? Planè spiritus erat, qui adjuvabat infirmitatem eorum, per quem diffundebatur in cordibus ipsorum fortis charitas ut mors, imò & fortior morte. Cujus o si & nos participes inveniamur! Ecce enim molestus est nobis poenitentiae labor, corporis afflictio gravis; abstinentia onerosa, in vigiliis dormitat anima nostra præ tædio, non ob aliud sanè, quam propter inopiam spiritus. Ipse enim, si adesset, adjuvaret sine dubio infirmitatem nostram. Hæc ille, qui deinde hortatur nos ad quærendum hunc spiritum, ut spiritum suum in nobis auget, qui jam primitias dedit: & quem per Dei gratiam jam nos habere confidimus, abundantius habeamus. Modus verò quærendi, & inveniendi hanc spiritum, ipsæ vigiliæ sunt. Et quoniam cœpimus inter Bernardi flores spatari, ad aliam areolam te duco, mi carissime lector. Aude Doctorem inclytum interrogare, ut olim Christum adolescens: Quid faciendo Spiritum sanctum possidebo? Audi nunc respondentem. Custodiendæ sunt vigiliæ noctis super gregem cogitationum, & actionum nostrarum, ut, si in prima vigilia, vel secunda, vel tertia Dominus venerit, paratos nos inveniat. Benè profectò. Nam spiritus ubi vult spirat, & nescis unde veniat, aut quo vadat. Sed quænam sunt istæ vigiliæ, quas custodire debemus?

3. Prima vigilia, ait ille, est recitudo operis, ut ad hanc quam jurasti Regulam omnem vitam exæquare coneris, nec transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui in omnibus viæ, & vitæ hujus exercitiis, non declinans ad dexteram, neque ad sinistram. Secunda vigilia, puritas intentionis, ut simplex oculus totum corpus lucidum faciat, ut, quidquid feceris, propter Deum facias, & ad locum unde exeant gratiæ revertantur, ut iterum fluant. Tertia est custodia unitatis, ut in congregatione positus voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas, ut non solum sine querela, sed & cum gratia inter fratres maneat portans omnes, orans pro omnibus. His tribus vigiliis ita peractis veniet manè, & videbis gloriam Domini: Veniet dies, quæ melior est in atriis Domini super millia. De quatuor item vigiliis mysticè Claudius Seifellus diffusè agit in libro de tri-

g. Idem serm. 3. in vigil. Nativ. Domini.

plici statu viatoris p. 2. tr. 2. ubi de singulis earum horis egregiè. Hic sisto: & ad matutinas Laudes edisserendas propero, si prius hoc caput aurea sententia S. Isaaci Presbyteri, consignavero, quem utinam omnium Religiosorum cordibus inscribere, imò inculpere possem. Is in libro de contemptu mundi; Noli, inquit, putare o homo, quod inter omnes operationes Monachorum sit alia, quamlibet sancta, conversatio major vigiliis nocturnis. Monachum perseverantem in vigiliis cum mentis discretionem, ne respicias illum sicut carne ferventem. Hoc utique Angelici ordinis opus est, non humanum. Impossibile est autem quod illos, qui semper in hujusmodi continentia versantur, dimittat Deus sine magnis bonis propter eorum vigilantiam. Anima, quæ in vigiliis laborat, & perseverat, quasi Cherubim oculos habet, quibus semper intueatur cœlestem contemplationem. Qui somno obstat, & naturæ violentiam infert, singulisque noctibus preces offert, ille solus novit virtutem. Hæc, & alia plura Sanctus Isaacius, quem de Syriæ partibus ad Spoletanam urbem venisse, ibique mirabiliter vixisse Magnus Gregorius asseverat.

h. Isaac de contemptu mundi cap. 31. i. Greg. lib. 3. dialog.

CAPUT V.

DE LAUDIBUS.

§. I.

An Laudes sint officium distinctum à Nocturnis. Matutini nomen æquivocum. Laudes incipiente crepusculo persolvende sunt. Quid sit crepusculum, quæ ejus duratio.

1. **D**E matutinis Laudibus verba facturis illud imprimis examinandum se offert. An officium nocturnum ab ipsis Laudibus distinguatur: quod sub aliis terminis quæsitum ab aliis est; An horæ Canonice sint septem tantum, vel octo. Si enim Nocturnos à Matutinis sejungimus, ita ut integram horam per se constituent, clarum est octonario numero preces horarias distinguere: sin autem ex utroque officio unum facimus, septem

VVVV

septem

septem dumtaxat esse concludimus. In utramque partem multas congerunt auctoritates, & argumenta Franciscus Suarez ^a, & Joannes Azorius ^b, quos, cum passim obvii sint, consulat lector. Cæterum utraque sententia sine lite, & strepitu sic potest conciliari, asserendo videlicet apud Monachos, quibus D. Benedicti Regula sacrosancta est, octo omnino horas supputari, cum id clarissimè constet ex dicta Regula capite decimo sexto. Integrum caput, quoniam breve est, & controversiam manifestè dirimit, transferibo. Ut ait Propheta, *septies in die laudem dixi tibi*. Qui septenarius sacratu numerus à nobis sic implebitur, si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completoriique tempore nostræ servitutis officia persolvamus: quia de his horis dicit Propheta: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Ergo his temporibus referamus laudes Creatori nostro super judicia justitiæ suæ, id est Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nonna, Vespera, Completorio: & nocte surgamus ad confitendum ei. Hactenus Regula, quæ diem juxta vulgi acceptionem determinat à primis ad ultima crepuscula, septemque Officia diei, unum nocti assignat. Hinc apud omnes Monachos nocturnæ vigiliæ propria oratione concluduntur; atque etiam apud plerosque Laudes à Nocturnis, & tempore separantur, & distincto æris campani sonitu significantur. At verò secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ septem sunt horæ Canonice, quoniam nocturnæ preces simul cum Laudibus conjunctim, & per modum unius decantantur, unica conclusione clauduntur, & in unum rediguntur. Quicquid sit de antiquo ritu ejusdem Romanæ Ecclesiæ, quo hæc olim Officia distinguebantur, de quo legi possunt Hugo à S. Victore ^c, & Marcellus Francolinus ^d. Imò antiquitus plures fuisse quàm octo Divinæ Psalmodiæ horas constat ex his, quæ diximus supra. Si enim tres Nocturni tribus vigiliis seorsim dicebantur, ut præter Auctores citatos S. Columbanus in Regula clarissimè ostendit, patet fanè non octo, sed decem distinctis horis ad Dei Laudes decantandas Clericos, & Monachos convenisse. Verba autem S. Columbanus hunc morem explicantia hæc sunt. Quidam Catholi reperiuntur, quibus idem est Cano-

^a Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 6. ^b Azor 1. p. lib. 10. cap. 1. qu. 1. ^c Hugo Vict. lib. 2. de Eccl. offic. cap. 2. ^d Francolin. cap. 6. ^e Columban. in Regula cap. 7.

nicus duodenarius Psalmorum numerus, sive per breves, sive per longas noctes, sed per quaternas in nocte vices hunc Canonem reddunt, ad initium noctis, ad mediumque ejus, pullo- rum quoque cantus, ac matutinum: qui cursus sicut in hyeme parvus aliis videtur, ita in aestate fatis onerosus, & gravis invenitur, dum crebris in noctis brevitate expeditionibus non tam lassitudinem facit, quàm fatigationem.

2. Quia verò matutinæ Laudes à quibusdam conjunctim cum Nocturnis, ab aliis separatim recitantur: hinc factum est, ut matutini nomen æquivocum sit. Accipitur aliquando pro Solis Nocturnis à Laudibus separatis, quæ acceptio erronea est, & nullo modo admittenda. Quæ enim conventio lucis ad tenebras, ut nocturnæ orationes Matutini nomine insigniantur? Accipitur secundo pro aggregato ex Nocturnis, & Laudibus, quatenus in unum coaluerunt, quæ acceptio vulgatissima est, & communi Scriptorum calculo approbata, non falsa, non abusiva, ut contendit Radulphus Tungrensis ^f. Accipitur tertio pro solis Laudibus, qua acceptione, cum sit maximè propria, perspicuitatis gratia nos deinceps utemur. Hujus rei monitum lectorem volui, ne vocis ambiguitate laboraret. Porrò hoc officium incipiente diei crepusculo persolvi debet. Est autem crepusculum tempus medium inter diem clarum, & noctem obscuram:

Quod teneat lucis, teneat confinia noctis: g

Quasi crepera, id est dubia lux. A crepusculo enim, teste Varrone ^h, res dubiæ dictæ sunt creperæ, accepto à Sabinis vocabulo, quod crepusculum diei finis sit, an nox, multis est dubium. Cum sit igitur medium inter diem, & noctem, ob affinitatem, quam habet cum utroque, & diei, & nocti adscribi potest. Nos tamen cum Mathematicis crepuscula nocti attribuimus, diem à primo Solis aspectu supra finitorem ad ejusdem occasum definites. Memini me olim legisse, quod hic prætermittendum non sit, crepusculum, apud quosdam, illud dumtaxat tempus significare, cum noctesce- re incipit: manè verò diluculum dici. Adam de Persenna Ordinis Cisterciensis Abbas, sermone de partu Virginis, loquens de extrema judicii

^f Radulph. lib. de Canonum observ. prop. 14. ^g Ovid 7. Metam. ^h Varro lib. 2. de lingua Latina,

dicii die; Nescimus, ait, utrum dies illa nobis futura sit lucis æternæ diluculum, an, quod Deus avertat, crepusculum æternæ noctis. Sed hæc distinctio à Scriptoribus communiter negligitur: confundunt enim crepusculum cum diluculo. Legendus Suidas verbo *δῆρον*, & *ἀποδύξων* itemque Julius Pollux; in Onomastico. Lucræti, sive Lactantius Placidius & ad hos versus Statii Papinii.

*Sed nec puniceo rediturum crastina celo
Promisere subar, nec rarefcentibus umbris
Longa repercusso nituere crepuscula Pho. bo.*

Crepusculum, inquit, dicitur, quod inter finem diei est, & exordium noctis: unde & decrepiti senes dicuntur jam propè occasum salutis, & initium mortis: utrumque enim tempus ostendit & diei initium, & extremum noctis. Ovidius 1:

*Qualia sublucent fugiente crepuscula Pho. bo,
Aut ubi nox abiit, nec tamen orta dies.*

Calpurnius Siculus ^m.

Sed fugit ecce dies, revocatque crepuscula vesper.

Rutilius Rumaninus Gallus ^m, ille hostis Monachorum:

*Roscida puniceo fulsere crepuscula celo,
Pandimus obliquo lintra flexa sinu.*

Nos communem scribentium usum sequimur, dicimusque matutina, & vespertina crepuscula. Et Matutina sanè, de quibus nunc sermo est, quando incipiunt, explicant Astronomi libro de crepusculis, & ad sphaeram Joannis de Sacrobosco ^o, & in libris de fabrica, & usu Astrolabii. Fingunt isti lineam crepusculorum distantem aliquot gradibus ad Horizonte, in qua existens Sol primos lucis radios spargere incipiat. Quamvis autem scripserint aliqui prædictam lineam distare ab Horizonte gradibus 30. Communis tamen sententia non nisi per 18. gradus talem distantiam diffinit, qui gradus 18. lumi debent in portione altius arcus, qui dividat finitorem ad angulos rectos sphaerales, &

i Jul. Pollux lib. 1. cap. 7. k Lucr. Placidius ad lib. 1. Theb. Statii v. 340. l Ovid. Amor. lib. 1. Eleg. 4. m Calpurn. Eclog. 2. in fine. n Rutil. lib. 1. Itinerarii. v. 277. o Io. de Sacrobosco sphaer. cap. 3.

procedat ad punctum oppositum Zenith, ut vocant, sicut Meridianus, & alii circuli verticales, quos Astronomi Arabica nomenclatura Azimuth appellat. Hujus rei demonstrationem omitto, ne commune vulgi proloquium extra chorum saltantem irrideat. Legant curiosi Christophorum Clavius p. lib. 1. Gnomonices.

3. Incipiunt hæc prima lucis rudimenta, cum Sol incipit tangere eam lineam, quam diximus distare ab Horizonte gradibus 18. Durant quamdiu Sol in dictis gradibus conficiendis immoratur. Et quidem in sphaera recta, in qua uterque polus Horizontem contingit, & circulus æquinoctialis super verticem capitis directè imminet, eos gradus conficit spatio integræ horæ æquinoctialis, & quintæ insuper partis alterius horæ. At in sphaera obliqua, in qua unus polorum mundi supra Horizontem elevatur, alter infra deprimatur, semper horam unam, & quintam partem horæ excedit, prout sphaera magis, vel minus obliqua est: nam quo magis attollitur polus supra Horizontem, eo tardior est Sol in 18. gradibus percurrentis, ita quod non solum per multas, sed etiam per dies, per mensem, & amplius durent crepuscula. Sphaeram rectam sortita est magna pars Africa, & India Occidentalis, Insulae item Moluccæ, Taprobana, Divi Thomæ. Sphaera obliqua subiecta est Europa, major pars Africa, & tota Asia. In his Italiae Provinciis, in quibus polus elevatur gradibus 45. existente Sole in principio Cancris tam matutina, quam vespertina crepuscula, quæ semper æqualia sunt, durant circiter spatio duarum horarum cum dimidia. Sic dies juxta vulgi acceptionem computata à primo puncto, quo minima quædam, & vix modica lux manè circa orientem apparere dignoscitur, usque ad ultimum terminum, quo ejusdem dubiæ, & incertæ lucis fulgor vespere, circa occidentem radios contrahere, & mori conspicitur: hæc dies, inquam, ad vulgi mentem erit in dictis regionibus initio æstivalis solstitii horarum ferè 20. Varios autem modos initium, & finem crepusculorum Mathematicè computandi tradunt Clavius ^q, Francolinus ^{*}, Petrus Nonius Eufitanus ^r, Joannes Stofferinus ^s, & alii Auctores,

VVVV 2 res,

p Clavius lib. 1. Gnomon. prop. 35. q Clavius lib. 1. Gnomon. prop. 35. & digress. de crepusc. in posteriori sphaeræ editione. * Francolin. c. 95. & 99. r P. Nonius in insigni tract. de Crepusculis. s Stofferin. parte 2. Astrolab. prop. 11.

res, qui de sphaera, de re gnomonica, & de usu Astrolabii scribunt. In iis autem regionibus, in quibus vel tota nocte clarescunt crepuscula, vel contingunt noctis continuæ per plures Solis circumlationes, initia, & fines dierum pro celebrandis divinis officiis assignari facile poterunt ex linea meridiana, & consequenter ex quatuor punctis, sive cardinibus, in quibus existens Sol ortum, & occasum, meridiem, & mediam noctem facere dicatur singulis spatiis 24. horarum: dies enim naturales, Solis scilicet revolutiones, & paralleli tot sunt in illis Regionibus, quot in nostris tamen dies, & noctes artificiales pauciores sint. At in sphaera maximè obliqua, ubi polus supra Horizontem elevatur gradibus 9. in qua sex mensium spatio dum Sol signa boreali percurrit, continua dies est, & per alios sex menses continua nox, dum in signis australibus moratur: Ubi nulla prorsus linea meridiana, nulli arcus diurni, vel nocturni in 12. partes æqualiter distributi assignari possunt: in his, inquam regionibus, quomodo dierum, horarumque intervalla distingui poterunt ad sacras preces, & Missarum solemnias statis horis peragenda? Idque præsertim difficultatem habet duobus mensibus, & 20. diebus, à gradu videlicet 20. Scorpii usque ad 10. Aquarii quo tempore, Sole ultra lineam crepusculi elongato, obscurissima nocte, tenebrisque perpetuis damnantur. Sed dierum, ac noctium gratissimam vicissitudinem, quam nobis natura præscribit, hanc eis humana constitutio stabilire deberet, vel usuali horologio, quod è celsa turri aere campano signum daret: vel erecta columna tanquam gnomone, cujus umbras in lineas horarias cadens 24. horas notaret, sumpto initio à quacumque linea, vel puncto: vel nocturno tempore ex certi cuiuspiam sideris inspectione, quo pacto possent per totum annum pro civilibus, & Ecclesiasticis negotiis horologia accommodari notatis signis ad placitum meridiei, & mediæ noctis, ut doctissimus Clavius ^t observat. Hæc de crepusculis necessariò notanda fuerunt, ut verum tempus matutinæ laudis persolvendæ dignosceretur.

^t Clavius lib. 4. Gnomonic. prop. 10.

§. II.

Cur Matutini, & Laudum nomen huic officio tribuatur. Matutinæ orationis prærogativa. Eiusdem rationes mystica. Lucis, & Aurora encomia.

1. Hoc igitur Officium, de quo loquimur, inde nomen Matutini accepit, quod initio matutini crepusculi persolvi debeat. Quamvis enim eadem hora nunc dici soleat, qua nocturnæ Vigiliæ celebrantur, quia cum illis unum conficit officium; olim tamen illucescente aurora separatim à nocturnis agebatur, ut supra dictum est. Et nos qui ritum Monasticum in Ordine Cisterciensi servamus æstate, juxta Regulam, horam surgendi sic temperamus, ut post vigiliam statim incipiente die Laudes celebrentur: hyeme verò exactis vigiliis, factaque mentali oratione, cellas nostras omnes repetimus sacris studiis, vel orationi incumbentes, donec primus lucis fulgor appareat; tunc enim factò signo ad psallendas laudes iterum congregamur. Gregorius Turonensis ^u, hujus ritus antiquitatem astruit his verbis; S. Gallus Alvernorum Episcopus jam moriturus albescente cælo interrogat, quid in Ecclesiâ psallerent? dixerunt autem circumstantes benedictionem psalli. At ille psalmo quinquagesimo, & benedictione decantata, & alleluatico cum capitulo expresso, consummavit officium totum temporis matutini. Porro Matutinum dicitur à Matuta, quam Græci Leucotheam, id est albam Deam, nos Auroram vocamus, teste Cicerone ^x, & cum omne officium in Dei laudibus decantandis occupetur, hoc tamen speciali laudum nomine censetur, non quia incipiat ab Hymno *Te Deum laudamus*, quem laudum initium quidam faciunt secuti Durandum ^y in rationali, hoc enim falsum est, cum dictus Hymnus ad Nocturnos pertineat: sed quod potissimum laudes sonet divinas, ut notat Hugo ^z, præsertim ob psalmum 148. & duos sequentes, quos laudum nomine S. Benedictus ^a insignivit. Divus Ambrosius ^b sui temporis studium in matutinis precibus frequen-

^u Greg. Turon. lib. de vitis Patrum, cap. 6. x Cicerone 1. Tuscul. y Duran. Ratio. lib. 5. cap. 3. num. 30. z Hugo Viff. lib. 2 de Eccl. off. cap. 10. a Bened. reg. c. 12. & 13. b Ambros. serm. 34. de tempore.

quentandis declarans, ait: Omni Dominica studeant ad Matutinum venire viri, feminae, juvenes, & senes, præter infirmos: unus tantum, aut duo remaneant, qui domum custodiant.

2. Diluculo autem oratur, ait Isidorus ^c, ut resurrectio Christi celebretur. Matutina enim luce radiante Dominus, & Salvator ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Christo occiderat peccatoribus. O pulchra lux, exclamat Cæsarius ^d Arelatensis Episcopus, quæ de candido cœli fastigio promicasti, & inter fluenta sulphurea sedentes in tenebris, umbra mortis subita claritate vestisti. Dies illa amplius ex sepulchro radiavit, quam de Sole refulit. Verum enim lumen Christus est. Mystica quædam Paganorum oratio erat *ἔγρει νόμος, γαίρη γῆ, φῶς* * quam irridens Julius Maternus Firmicus ^e ait: Quid sic miserum hominem per abrupta præcipitas, calamitosa persuasio? Nullum apud te lumen est, nec est aliquis sponus, qui hoc mereatur audire. Unum lumen est, unus est sponus Christus. Ipse est qui dixit, *Ego sum lux mundi, & ipse tanquam sponus procedens de thalamo suo. Exurge*, inquit in spiritu sanctus Vates ^f quasi provocans Dominum; *Exurge gloria mea: cui respondetur, exurgam diluculo.* O felix diluculum, quo Christus resurgens captivitatem nostram suam duxit virtute captivam. Felix diluculum, quo cunctis fidelibus spes futuræ Resurrectionis effulsit, cum omnes ab hac temporali morte, quasi à sopore somni, ad perennem gloriam, ad immortalitatis diem evigilabunt. Hac item horâ filii Israel sicco vestigio mare rubrum transeuntes baptismatis Sacramentum, & vocationis nostræ gratiam præfigurant. Jamque advenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum interfecit exercitum eorum. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Aegyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus ^g. Hac hora diei primitias, quasi holocaustum matutinum olim in lege præceptum, offerimus psallentes Domino, *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo* ^h. Hac hora, ut canit Hesiodus ⁱ,

omne opus promovet: & ab ea totius diei decursum felici omine auspicamur. Ex ipso enim matutino tempore, dicebat quidam apud Climacum ^k, scio totius diei decursum, qualis in me futurus sit. Ideo Essæi, ut Porphyrius apud Eusebium ^l narrat, antequam Sol oriretur, nihil dicebant, nihil audiebant profanum, ut eâ horâ se præpararent ad veræ lucis influxum recipiendum. Hæc horâ, inquit Chrysostomus ^m appropians lucis adventus excitat nos, & facit ut reviviscentes, & subtiliores sensibus facti ad solis radios ferventi & juvenili quadam promptitudine consueta opera agrediamur. Horæ hujus encomia sic Pindarus Christianus ⁿ exequitur.

Nox, & tenebræ, & nubila,
Confusa mundi, & turbida,
Lux intrat, albescit polus,
Christus venit, discedite.
Caligo terræ scinditur
Percussa solis spiculo,
Rebusque jam calor redit,
Vultu nitentis sideris.
Hæc hora cunctis utilis,
Qua quisque quod studet, gerat,
Miles, rogatus, navita.
Opifex, arator, infitor.
Illum forensis gloria,
Hunc triste captat classicum,
Mercator hinc, ac rusticus.
Avara suspirant lucra.
At nos lucelli, ac fœnoris,
Fandique prorsus nescii,
Nec arte fortes bellica,
Te Christe solum novimus.
Te mente pura, & simplici,
Te voce, te cantu pio,
Rogare curvato genu,
Flendo, & canendo discimus.

3. Hac igitur hora Deum omnipotentem jure optimo collaudamus, qui nos de tenebris ignorantæ eductos clarissimâ suæ gratiæ, & cognitionis luce illustravit. Hac hora, inquam, creaturas omnes ad celebranda Dei præconia canticis, & benedictionibus solemniter invitamus, quâ surgente aurorâ fugantur tenebræ, illustratur aer, rident prata, nitescunt flores, cantillant aves, & ad omnia opera sua cuncti

VVVV 3 mor-

^c Isidor. de Eccl. off. lib. 1. c. 23. ^d Cæsar. hom. 3.
^e Salve sponse, salve novum lumen. ^f Jul. Firmicus lib. de error. prof. religionum cap. 20. ^g Psalm. 107.
^h Exod. 14. 24. ⁱ Ps. 62. ^j Hesiod. in diebus,

^k Climac. grad. 26. ^l Euseb. lib. 9. præp. Evang. cap. 1. ^m Chryf. hom. 11. in Genes. ⁿ Prudent. hym. 2. Cathimer.

mortales excitantur. Sed juvat hic Guerrici o Abbatis auream parænesim transcribere, qua nos hortatur ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui fecit nos. Vigilate, inquit, fratres in orationibus intenti; vigilate in actionibus circumspècti: præsertim quia jam mane illius diei indeclinabilis inclaruit, postquam videlicet lux æterna serenior nobis, & gratior ab inferis rediit, solemque novum susceptio matutina reparavit. Prorsus hora est jam nos de somno surgere, postquam nox præcellit, dies autem appropinquavit. Vigilate, inquam, ut oriatur vobis matutina lux, Christus scilicet, cuius quasi diluculum præparatus est egressus, paratus utique vigilantibus ad se mysterium suæ matutinæ Resurrectionis sæpius innovare. Tunc utique cantabis in jubilo cordis, *Deus Dominus illuxit nobis* p. *Usquequo piger dormis? usquequo dormitas* q. *Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias, & cum te dormiente, te nesciente Christus de sepulchro surrexit, & gloria ejus transeunte, nec posteriora ejus videre merueris; tunc sera poenitentia planges, & dices cum impiis r: Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Vobis autem, inquit s, timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ: & qui ambulat in justitiis, Regem in decore suo videbunt oculi ejus t. Elias u Cretenfis Nazianzeni Scholiasies; Diluculum, ait, vir pius, ac prima lucis tempora Divinæ laudis causa assumit, tum ut reliquis diei partibus aptiora, tum ut vitæ suæ primitias DEO dicans, atque consecrans. Omnes justos diluculum observasse sacræ Litteræ passim asseverant *. Nam justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo: ipse Dominus visitat hominem diluculo: adjuvat Ecclesiam vultu suo manè diluculo: & Prophetas suos misisse dicitur manè confurgens. Job justitiæ speculum confurgens diluculo sacrificium pro se, & filiis offerebat: & nos exhortans ad suæ pietatis sectanda vestigia: Tu, inquit y, si diluculo consurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus statim exigitabit ad te, & pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ. Sanctus David meditatus est in matutinis arcana Dei, repletus est*

o Guerric. ser. 3. de Resur. p Psalm 117. q Prov. 6.9. r Sap. 5.6. s Maach. 4. 1. t Isai. 33. 15. 17. u Elias in orat. 1. Naz. num. 153. x Eccl. 39. 1ob. 7. 18. Psalm. 45. Jerem. 7. 26. Job. 1. 5. Psalm. 62. 89. 91. 87. 5. y Job. 8. 5.

manè misericordia, manè eandem misericordiam annunciavit, manè oratio ejus prævenit Deum. Manè, inquit z, exaudies vocem meam, manè astabo tibi, & videbo. Denique omnes justii in tribulatione sua manè confurgunt ad Deum, quia videlicet post quietem nocturnam, viribus corporis instauratis anima, vegetior fiat, nulloque sibi, vel somni gravamine, aut desiderio præpedita & agere, & pati Divina facilius potest.

4. Aurora sic dicta à quibusdam censetur, quod ab igne solis aureo tunc aer aurescat, & nos auro charitatis ea exoriente refulgere debemus, ut timeat nos diabolus, nec in decursu diei ad nos præsumat accedere. Nihil est enim quod tantum ille timeat, quantum charitatis unitatem, ut docet Hugo Victorinus *. Nam si distribuimus totum quod habemus propter Deum, hoc diabolus non timet, quia ipse nihil possidet; si jejunamus, hoc ipse non metuit, quia cibum non sumit; si vigilemus, inde non terretur, quia somno non utitur; sed si charitate conjungimur, inde vehementer expavescit, quia hoc tenemus in terra, quod ipse in caelo contempnit servare. Auroram roseam passim vocant Poetæ; quo epitheto admonemur offerre Deo hac hora sacrificium laudis in odorem suavitatis. Dicebat Apollonius Thyaneus b adveniente aurora cum Diis versandum esse. Sacra matutina apud Ethnicos commemorat Apollonius Rhodius c in Argonauticis. Veteres Hetrufci melle litabant Auroræ, nos dulcedini contemplationis hanc horam consecrare debemus. Auroram à Pegaso vehi solitam scripsit Lycophron d Enthusiasticus Poeta, quia nimirum surgente aurora mentis volatu ad contemplationem elevamur. Bonum est volare, actionis probæ hoc signum est, ait Astrampychus e, Bonus volatus, cum de caducis surgimus ad æterna, ad cœlestia pernicibus alis sublimioris contemplationis cælum ipsum penetrantes. At verò ad hunc volatum nullum tempus matutinum magis idoneum. Dominus enim, dicit Isaias f, erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Nævius Poeta apud Gellium g scito, & eleganti vocabulo vocat rubentem Auroram pudoricolorum, qua surgente casto pudore imbuenda nobis est

z Osee 6. 7. a Hugo in regul. Augustini capite. 1. b Philostrat. vitæ Apoll. lib. 1. cap. 12. c Apoll. Rhod. Argonaut lib. 3. vers 913. d Lycophron. in Alexandr. e Astrampych. in Omocriticis v. 3: f Isai. 50. 4. g Gellius lib. 19. cap. 7.

est anima: ut placeat sponso, qui maximè virginali verecundia delectatur. Eadem ab Homero *b* Divina nuncupatur, quia lucem nobis affert, quæ est symbolum Divinitatis. *Deus enim lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ, & lucem habitat inaccessibilem* *l*. Nihil præterea eorum, quæ sub sensu cadunt, pulchrius est luce, nihil venustius, nihil purius, nihil jucundius, & amabilius. Optimè Dracontius *k* haud ignobilis Poeta;

Lux jubar æthereum, lux noctis limes, & umbra,

*Lux facis rebus cunctis, & lux elementis,
Lux genitis, factisque calor, lux gratia solis,
Lux decus astrorum, lux aurea cornua lunæ,
Lux fulgor cæli, lux & primordia mundi,
Lux splendor flammæ, lux magni temporis index,*

*Lux honor agricolis, requies lux omnibus ægris,
Lux opus auctoris primum, candorque pudoris.*

Ideo exoriente luce Deo lucis auctori laudes pangunt filii splendoris, Divinæ lucis confortes, Angelos sanctos æmulantes, qui *astra matutina* *l* dicuntur, & dederunt lumen in custodiis suis, obediens Domino in tremore, & luxerunt ei *cum jucunditate, qui fecit illos* *m*. Non sic ille Lucifer, qui manè oriebatur omni lapide pretioso exornatus, qui Angelicæ felicitatis splendidissimum mane mox in horribiles tenebras commutavit, sicut scriptum est, *Venit manè, venit nox* *n*. Inter astra matutina creatus cæterorum sorte non contentus coram illo sedere appetiit, ante cujus conspectum stant cum tremore millia millium ministrantium, & decies centena millia assistentium *o*. *Ascendat* *n*, inquit, & *sedebo* *p* Propterea dejectus es de gradu tuo, detracta est ad inferos superbia tua. Cum nec Dei laudibus insisteres, nec Creatori, sed tibi ipsi inani præsumptione luceres, ante lucem surgere voluisti, & illi assimilari, qui fabricatus est Auroram & Solem. Quid festinas manè oriri o Lucifer? Vanus est splendor absque fervore: simulata lux, quæ non ab igne procedit. Quò moliris ascendere? Super altitudinem nubium in latebris Aquilonis, quia videlicet cum frigidus sis, frigidam cupis inhabitare regionem. Exemplum hic habe-

h Homer. *Iliad.* lib. 16. *i* *l*. Ioan. 1. 6. 1. *Timoth.* 6. 16. *k* Dracont. *in examer.* cap. 1. *l* *Iob.* 38. 7. *m* *Baruch.* 3. 37. *n* *Isai.* 21. 12. *o* *Daniel.* 7. 10. *p* *Isai.* 14. 13.

mus, ut, quemadmodum fecerunt Angeli boni, ita & nos faciamus: *Quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem* *q*: & *mane, ait ille* *r*, *oratio mea præveniet te*. Usurpemus igitur Angelorum officium, ut docet Abbas Clara valensis *s* quorum fortimur consortium, ut in ore infantium, & lactentium perficiatur laus. Dicamus eis, *Psallite Deo nostro, psallite*: atque audiamus eos vicissim respondentes, *Psallite Regi nostro, psallite*. Laudem ergo cum cæli cantoribus in commune dicentes, utpotè cives Sanctorum, & domestici Dei, psallamus sapienter.

q Sap. 16. 28. *r* Psalm. 87. *s* Bernard. ser. 7. in Cantic.

METRUM IX.

Procul hinc tenebræ, & horror,
Procul sopor, procul nox.
Clara nitentis astri
Caligo luce fugit,
Astrisque jam tenebris
Tellus soluta ridet.
Nox victa cessis, ortum
Solis movent adeste
Titaniae volucres.
Dux Phosphorus nitorum
Lucis parens diurnæ.
Inter globos Olympi
Blandus inuit choreas.
Procul o procul faceffat
Tenebrosa turba Averni.
Procul hinc tenebræ, & horror,
Procul sopor, procul nox,
Jam leta surgit hora,
Qua dulciore cantu
Loquax avis canorum
Modulamen ore promit:
Omnisque per vireta
Proles amœna verrit
Aspersa luce vernat.
Rosæque, liliumque,
Venusiorque caltha,
Crocusque purpurascens
Produnt amoris ignes.
Procul hinc tenebræ, & horror,
Procul sopor, procul nox.
Cantemus, atque amemus,
Dum lux serena fulget,
Interque dulciorum
Fomenta gaudiorum

Sopore jam soluti
 Virtu Dei fruamur.
 O sola digna donis
 Caelestibus, bonorum
 Amica lux, levamen
 Mæroris, & perennis
 Parens beatitatis,
 O lux decora salve.
 Procul hinc tenebræ, & horror.
 Procul sopor, procul nox.

§. III.

*Matutinum tempus aptissimum contempla-
 tioni. Quæ sit mystica lux anima. Tota
 nocte queritur sponsus non nisi in aurora
 inveniendus. Oratio ad Deum, ut verum
 lumen oriatur in nobis.*

1. **A**udiamus Ambrosium ¹; ambrosiam
 si te otiosum in stratis radius solis inverecundo
 pudore inveniat, & lux clara feriat oculos
 somnolento adhuc torpore depressos. Arguit
 nos tanti temporis spatium sine ullius devotio-
 nis munere; ac sacrificii spiritualis oblatione
 feriata nocte transmissum. An nescis o homo,
 quod primitias tui cordis, ac vocis quotidie
 Deo debeas? Occurre ergo ad solis ortus, ut
 te Oriens inveniat jam paratum, ne lumina tua
 madido adhuc sopore mergentia primus diei
 fulgor exagitet. Et post pauca. Præveni cer-
 tē hunc, quem vides, solem: si hunc præ-
 veneris, antequam iste surgat, aspicias Chri-
 stum illuminantem. Ipse tibi dicenti, de nocte vi-
 gilat ad te spiritus meus, matutinum lu-
 men temporibus faciet splendere nocturnis,
 si mediteris verba Dei. Dum enim medita-
 ris, lux est; & videns lucem, non tempo-
 ris, sed gratiæ, dices, quia lux præcepta
 tua. Cum autem te meditantem verba Divina
 dies invenerit, & tam gratum opus orandi,
 & psallendi delectaverit tuam mentem, iterum
 dices ad Dominum JESUM, exitus ma-
 tutinos delectabis. Hæc Ambrosius, cui
 concordia Richardi ² verba placet adjunge-
 re. Qui sunt isti exitus matutini, nisi ad veri
 solis irradiationem humanæ mentis excessus?

¹ Ambros. in Psal. 118. v. 148. u Richard. Vi-
 bor. de erudit. humanis int. p. 1. l. 2. c. 25.

Quis autem dignè miretur, quam sit dulce-
 quamve delectabile fervente jam charitate, &
 quasi sub æstivo tempore ad matutinam lu-
 cem radiantis divinitatis se à somno excutere, &
 extra humanæ mentis angustias in auram liber-
 tatis erumpere, & in latum illum divinatorum
 spectaculorum campum mentis alienatione
 transire? Ex sententia itaque Richardi dele-
 ctant exitus matutini, quia matutinum tem-
 pus aptissimum est ad contemplanda magnalia
 Dei. Hoc est nimirum tempus letitiæ, de quo
 scriptum est, * *Ad vesperum demorabitur fletus,
 & ad matutinum letitia.* Hoc est tempus acce-
 ptabile, quo in auribus piæ animæ resonat vox
 illa cœlestis, *Fiat lux*: vox illa videlicet, quæ
 in rerum creatione prima sonuisse narratur: vox
 Dei magna, & potentissima, facta auribus
 in virtute, & magnificentia, quæ fecit de te-
 nebris lucem splendescere, ac invisibilem ter-
 ræ faciem infusi luminis splendore illustravit.
 Sicut enim lux sensibilis, teste Chryostomo ³,
 præcepto Domini producta, & tenebræ visi-
 biles absconditæ sunt: sic & lux mentalis te-
 nebras errorum effugat, & errabundos ad
 veritatem manuducit. Deus quidem semper
 in lumine est, indutus lumine sicut vestimento,
 sed quia lucem inaccessiblei habitat, ne-
 quit humana mens ad tanti luminis claritatem
 assurgere, nisi ejus gratia adjuvemur, qui illu-
 minat omnem hominem venientem in hunc
 mundum. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum,
 ait Isaias ⁴, & gloria Domini colliget te, & im-
 plebit splendoribus animam tuam.* Tunc revel-
 ta facie gloriam Domini contemplantes trans-
 formabimur à claritate in claritatem tanquam
 à Domini spiritu ⁵. Eleganter Venetus Patri-
 archa Justinianus ⁶: Cum delectabile lumen
 Verbi in cor humanum illabitur, fugat tenebras,
 depellit tristitiam, duritiam liquefacit, renovat
 desideria, amorem accendit, clarificat conscien-
 tiam, infundit spem, virtutes solidat, exultatio-
 nem commovet, & cunctam mentis habitudi-
 nem reformatur in melius.

2. Marfilus Ficinus gravissimus Scriptor
 insignem librum de lumine ex insignioribus
 Platonicis conscripsit, ex quo ea, quæ ad lu-
 cem visibilem, & invisibilem pertinent, curio-
 sus lector indagabit. Abbas quoque Berengoli-
 us ⁷ de luce visibili, & invisibili tractatum edidit,
 ubi

x Psal. 29. y Chrys. hom. 3. in Genes. z Isai. 58.
 81. a 2. Corin. 3. 18. b Laur. Justinian. de casto
 connubio Verbi, & an. c. 25. c Berengol. Abb.

ubi inter cætera longa inductione ostendit, quomodo lux invisibilis Dei sanctos Patres veteris testamenti illustravit. Est & lumen gloriæ, de quo scriptum est *d, & in lumine videbimus lumen*: Sed hoc tamen ad patriæ felicitatem spectet, Richardus e tamen Victorinus etiam in hac vita posse nos in lumine videre lumen affirmat, si accedentes ad Deum ab ejus claritate illuminemur. Quid enim mirum, si ex lumine lumen accenditur? Lumen autem videtur in lumine, quando ex cognitione, & operatione claritatis Divinæ plenius illuminatur animus ad cognitionem infirmitatis humanæ. Solet hæc gemina cognitio alterna sibi incrementa ministrare, & utraque profectò ex alterutra crescere. Nam & ex cognitione Dei proficit animus ad cognitionem sui, & eodem utique modo ex multa cognitione sui crescit ad cognitionem Dei. Quanta verò sit claritas Divini luminis, quanta vitæ hujus obscuritas nullus ignorat. Dum autem humana mens ad illud divinitatis lumen oculos aperit, & vehementer intendit, infirmitatis suæ tenebras plenius agnoscit. Sic in clarissimo lumine lumen obscurum conspiciamus, & in jubare Divinitatis imperfectionis nostræ lucem caliginosam speculamur. Aurora, vel diluculum, ait Magnus Gregorius f, noctem quidem præterisse nuntiant, nec tamen dici claritatem integram ostendant; sed dum illam pellunt, hanc suscipiunt, lucem tenebris permixtam tenent. Quid itaque in hac vita omnes, qui veritatem sequimur, nisi aurora, vel diluculum sumus? quia & quædam jam, quæ lucis sunt, agimus: & tamen quibusdam adhuc tenebrarum reliquiis non caremus, in multis enim offendimus omnes. Venit hic in mentem quod in magicis oraculis scribit Zoroaster g: Properandum tibi est ad lumen, & splendorem Patris, unde missa est anima multam complexa mentem. Locus animæ est splendor Patris, anima enim Dei capax sola Dei præsentia satiari potest. Ad hoc igitur Deitatis lumen properandum tibi est quicumque cupis implere desiderium tuum. Esto aurora, donec crescat in te dies. Surge velociter de tenebris ad lumen, & in ortus tui diluculo murice verecundiæ, & venusto humilitatis pallore conspicuus expecta, donec ardens solis radius illustret, & accendat te. Ipsa sapientia,

quæ candor est lucis æternæ, & Sol intelligibilis, *Qui mane, inquit b, vigilaverint ad me, inveniens me*. Sponsa per noctem quæsit dilectum, & non invenit i; quæsit in lectulo, & elongatus ab illa est: quia si juxta Apostolum k, *qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt*; ita non absurdè dici potest, ut opinatur Bernardus l ejusdem Sponsæ Encomiastes, quod qui ignorant, nocte ignorant, ac per hoc qui quærunt, nocte quærunt. Quis enim quærat, quod palam habet? Porro dies palam facit, quod nox abscondit, ut reperias in die, quod in nocte quæsieras. Nox est itaque, donec quæratur Sponsus, quoniam si dies esset, de medio fieret, & minimè quæreretur. Quid est autem nox? Nox, ait Thomas Cisterciensis m, est Judaica perfidia, nox paganorum ignominia, nox pravitas hæretica, nox Catholicorum animalis conversatio. Nox, inquit Philippus Abbas n Bonæ spei, est difficultas quærendi, nox dilatio inveniendi, nox est molestia differendi, nox miseria sufferendi: nox est inexplètio desiderii spiritualis, nox caro moritura, & si jam conservatio non carnalis: nox denique est onerosa præsentia hujus vitæ. Per has noctes Sponsa quærat dilectum, & non potest vel post diutinas inquisitiones eum reperire, quia nulla societas lucis ad tenebras. Et quis per noctem diem poterit invenire, si nox solis absentia est? Solem igitur præveniat aurora, ista quærentes instruet quò tendant, qua parte debeat Sol oriri. Est autem aurora gratia illuminans, vitæ hujus illustratio, quam sequetur in patria nitidissima dies æternitatis.

3. Tu autem lux nitidissima, splendor paternæ gloriæ, splendidissime Sol justitiæ exorere, exorere tenebricolæ animæ meæ: exorere, & illumina tenebras meas, ut resoluta totius caritate caliginis, decor antiquæ originis in novum lumen reformetur, & nox peccatorum meorum, nox lurida, squallida, & horribilis Divinæ tuæ lucis aurora discutatur. Quis mihi det sedenti in tenebris, & umbram mortis ab hoc sole illuminari, ut placeam coram Deo in hoc lumine viventium, ut videam voluntatem Domini omnibus diebus vitæ meæ? Verè dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem: Solem, inquam, illum, in quem desiderant Angeli

X x x x pro.

d Psalm. 35. e Richard. ubi sup. cap. 47. f Greg. lib. 29. moral. cap. 2. g Zoroast. orac. 6. additis scholæ Herbomis, & Pselli: & explic. Marsilii Ficini lib. 10. Theolog. Platon. cap. 3.

h Prov. 8: 17. i Cantic. 3: 1. k 1 Thessal. 5: 7. l Bernard. ser. 75. in Cantic. m Thom. Cisterciens. l. 5. comment. in Cantic. n Philipp. Abb. l. 3. comment. in Cantic. 6. 16.

prospicere. O Jesu benignissime, o candor sine macula, quod mihi gaudium esse potest, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video. O lux, quam amisit Adam, qui ex sententia cujusdam Patris, quamdiu perstitit in justitia, & innocentia, faciem habuit radiantem: Cujus filius Seth idem filius Dei nuncupatus fuit, quia cum pietate illustris esset, colluxit facies ejus. O lux, quam videbat Isaac operis senectute luminibus, cum filios non agnoscendo benediceret, sed benedicendo cognosceret. O lux, quam videbat Jacob, cum & ipse præ ætate captus oculis, quæ filiis, & nepotibus ventura essent, intus agnovit, & præsignavit. Hac luce radiabat Tobias, cum clausis corporeis oculis viam vitæ docebat filium, & pede charitatis nunquam errans ei præibat. Hanc lucem peto, hanc desidero, quæ sola est vera lux illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Verè fateor, Domine, quoniam conturbatum est cor meum, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum. Ideò erravi in solitudine, viam civitatis habitaculi non inveni, quia nondum visitavit me oriens ex alto ad dirigendos pedes meos in viam pacis. Veni desiderate cunctis gentibus, quia dormitavit anima mea præ tædio moræ tuæ, & oculi mei languerunt præ inopia luminis tui. Ore Sol amabilis, ut exeat homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam, & operetur non cibum qui perit, sed qui permanet in æternum. Exere vultum tuum Sol immortalis, illustra faciem tuam super servum tuum, irradiat splendoribus Sanctorum animam meam, ut habeam lumen vitæ, in quo ambulem die ac nocte, donec perveniam ad diem claritatis æternæ, ad lucem quam inhabitas, ad lumen indeficiens, & sempiternum.

S. IV.

Lucta Jacob usque ad auroram quid symbolice & moraliter indicet. Denique hortatio ad laudandum Deum.

Gloriosissimus Patriarcha Jacob tota nocte luctatus cum Angelo invictus pugnavit usque manè. At cum primum lucis fulgorem in ortu suo aurora transmitteret, videns Angelus quod eum superare non posset, à fortissimo athleta dimissionem petiit dicens *p*, *Dimitte me*, victori enim cedendum est. Cur me brachiorum

o *Anastasius Synaita cap. 16. idem p Genes. 32.*

insuperabili nexu adstrictum tenes? Tecum in hac arena jam amplius decertare non possum. Ratio in promptu est, *jam enim ascendit aurora*. An ergo aurora cunctis gratissima Angelis inimica, cum ipsi in sacris Literis *astra matutina* vocentur? An sicut qui malè agit, odit lucem, sic Angelus princeps exercituum Dei cum homine infirmo decertans magno sibi dedecori adscribebat, quod eum superare non posset? An à focis Jacob, qui solus remanserat, adveniente jam luce videri volebat, & ex effigie assumpti corporis agnosci? An hic erat custos Esau, quem ab eo timidus frater amovere tentabat? Nam, ut autumant Cabalistæ, nemo potest alium superare, nisi prius devicta, & amorâ ejus intelligentiâ. An luum antagonistam salubri consilio admonere voluit, sole iam ad ortum properante, tempus esse ab otio contemplationis ad actionis negotium transeundi? An ut doceret mysticas animæ visitationes, & Divina mysteria non esse palam revelanda? An fortè, quod Hebræi Interpretes non sine nostrorum risu contendunt, illa erat hora, qua sacrum Trifagion Angeli psallunt, ideòque dimitti voluit, ut aliis cantantibus sociaretur, juxta illud sæpius citatum, *Cum mi laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*? His quidem, & aliis explanationibus hoc Ænigma conantur dissolvere, qui librum Geneleos interpretantur. At Divus Cyrillus Alexandrinus mihi præ cæteris aridet. Cum his, inquit, in tenebris, ac nocte agunt, & ignorantia caliginem in mente, ac corde habent, luctatur, ac pugnat Christus, habet enim eos pro inimicis. Ut verò mentibus ipsorum spiritualis Lucifer oritur, & quasi dies quædam veræ cognitionis Dei lux splendet, tunc pugnam solvit: cum illis enim non pugnat, qui sunt in luce, qui spiritualem auroram in mente habent. Hæc Cyrillus, qui deinde pergit nos exhortari ad spiritualem auroræ hujus amplexum. Auroram intelligo Divinæ gratiæ illustrationem, quam postulabat à Deo Propheta, cum diceret *s*, *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum: Domine Deus meus illumina tenebras meas*. Hæc est gloria Domini, quam manè videndam sacrae Literæ promittunt. Hæc est sapientia, quam manè vigilantes inveniunt. Totâ igitur mentis intentione, toto cordis affectu

matutino
q Job 38: 7. r Cyrill. Alexandr. tom. 4. hom. 5 s Psal. 42. Psal. 17. t Exod. 16: 7. u Prov. 8: 18.

matutino tempore orandum est, donec dies eluceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus noſtris. Sanctus Jacob ſurrexerat ante diem ſacras celebrare vigilias, ideò, ut docet Rupertus Abbas *, Angelica viſione recreari, myſticam inire luſtam meruit, in qua victor exiſtens in aſcenſu auroræ cœleſti benedictione confirmatus fuit, quia videlicet, illuſtrante animam Divinæ lucis fulgore Divina protinus benedictione mens ſtabilita temporalia ſpernit, bona dumtaxat æterna diligit, ad quæ jugiter intendit, & ſuſpirat.

2. Sic primas amoris faces experta anima quaſi cum Deo luſtatur, dum ſacræ meditationis ſtudio ſolenter incumbens ſenſum verbi Dei fugientem tenere contendit. Fugit Dilectus ſe retinere cupientem, cum multas ob cauſas, tum idcirco, ut aviditatem magis, ac magis exciter inquirentis. Itaque brachiis quaſi ad luſtandum protenſis quæcunque talis anima dicit: Dilecte mi apprehendam te, & ducam te in domum matris meæ, ibi me docebis: è contra ille more reluctantis penè obverſus; *Averte, inquit, oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt.* Dulcis colluſtatio, & omni pace jucundior. Tandem victrix dicit conſcientia, *Inveni quem diligit anima mea, tenui illum, nec dimittam.* Dimitte me clamat ſponſus, jam aſcendit aurora. Satis eſt quod quædam lucis primordia peccatorum tenebras è corde tuo fugant. Nondum plena dies illuxit tibi. Dimitte me, ait, non quod dimitti velit, ſed ut aſſiduo luſtamine ſponſam exerceat, ut à negata ejus præſentia creſcat deſiderium, ut majori cœleſtium bonorum copia eam locupletet. Illa autem jam amore magiſtro amantium artes ſufficienter edocta perſeverans in oratione; Non dimittam te, inquit, niſi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco. Felicem proſus benedictionem, omni dignam acceptione; felicem animam, feliciffimum orationis meritum: ſanctiffimum matutinum tempus tantis Dei favoribus promerendis aptiſſimum, ac proinde à Religioſis omni veneratione colendum. Bona violentia, quæ benedictionem extorquet: optima luſta, qua Deus homini ſuccumbit, & victorem ſanctioris nominis munere decorat. Luſtare anima mea feliciter, luſtare, ne ſuccumbas, quia regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Declinat dilectus tuus

aliquando, avertit faciem, ſed non in ira. Suſtinuit te ille in peccatis tuis, ſuſtine tu illum in flagellis ſuis; & obtinebis benedictionem. Sed quando? Cum aurora fuerit; cum aſpiraverit jam dies, cum poſuerit Hieruſalem laudem in terra. Dic cum Propheta a; *Auditam fac mihi manè miſericordiam tuam, quia in te ſperavi Domine:* Et lux perpetua lucebit ſuper te nunquam morituro fulgore. De hac animæ luſta cum Deo præclara extat ſententia ſancti Abbatis Ælredi Ciſterciensis b. Itaque, ait; Si in oratione tua, vel meditatione exarſerit cœleſtium deſideriorum ignis, ſi amorum incentiva ſtammeſcant, ſi æſtuans, & anhelans cœleſtibus quibuſdam movearis affectibus, & modò quaſi comprehenſum quem diligis ſentias eſſe præſentem, modò elapſum de manibus doleas, & ſuſpires abſentem; luſta ſpiritualis eſt, nomen tibi Iſraëlis imponens, ut non ſolum miſeratione, ſed etiam electione dignus habearis. *Miſerebitur enim Dominus Jacob, & eliget adhuc de Iſrael c.* Eja igitur fideles animæ, pietatis alumnæ, miniſtræ Chriſti, filix lucis, æmulæ ſtellarum, concives ſanctorum, Angelorum conſortes, matutinæ orationi inſtate vigilantes in ea. Jam Chori cœleſtes rapidiſſimo curſu è cœlo delapſi prævenerunt nos conjuncti pſallentibus: nunc propior eſt noſtra ſalus, nunc hora vacandi, & videndi quàm bonus ſit Deus: nunc tempus quærendi Dominum, ut ait Propheta d; *Quærite Dominum dum inveniri poteſt, invocare eum dum propè eſt:* nunc tempus auxilii, & gratiæ; *In matutinis meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus.* Ergo laudem dicite Deo puſilli, & magni: *Terribilis eſt, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius. Benedicentes Dominum exultate illum, quantum poteſtis, major eſt enim omni laude e.*

M E T R U M X.

O Quæ fideos voluitis axes
 Mentis corporeæ cœcæ ſolutæ,
 O cæli proceres, incolæ olympi
 Mecum pangite laudes.
 Orbes ætherei, ſervide Titan,
 Phæbe noctivago lumine fulgens,
 Et vos ſtammigeræ lampades æthræ
 Dulces fundite verſus.
 Vndæ, quæ ſuperos cingitis orbes,
 X x x x 2 Nubes,

* Rupert. in Genef. l. 8. c. 5. & 9.

y Cantic 6: 4.

a Pſal. 142.

b Ælvedus ſer. 13. in Iſaiam.

c Iſai. 14: 1. d Iſai. 55: 6. e Pſal. 62.

z Cantic. 3: 4.

*Nubes, & pluvia, grando, pruina,
Nix, ros, & glacies, frigus, & aestus
Lato plaudite cantu.
Venti sylvis fragi, mobilis aura,
Fulgur nubivagum, missile sulmen,
Nimbi praeceptes, flamma coruscans
Hymnos dicite caelo.
Undosum pelagus, flumina, & amnes.
Fontes irrigui turba natantium,
Quicumque in vitrea vritis unda,
Voces tollite ad astra.
Colles frugiferi, lignaque sylva,
Montes, & viridis gramina vallis.
Faecunda segetes, dulcia poma
Summo psallite Regi.
Bruta quadrupedes reptile terra
Immensas Domino reddite grates:
Omni que Alituum musica molles
Promat gutture cantus.
Infantes teneri, lata juventus,
Simplex virginitas, cana senectus
Huc densò properent agmine, & astra
Pulsent laudis honore.
Rector calituum te canat Indus,
Te psallat nitidi potor Enipei,
Mauri te celebrent, & tua dræes
Volvat nomina Ganges.
Aeternis resonent, cantibus hymni,
Jungantur modulis organa mille,
Sambuca, cithara, tympana, plectra,
Sistrum, fistula, cornu.*

CAPUT VI.

D E P R I M A.

§. I.

*Orandum esse post Solis ortum. Laudatur
Sol, ejusque ortus describitur. Fabula
Memmonis. De cultu Solis, & ejus fal-
sa apothecosi. Inter priscaos adorantium
ritus etiam oscula adhibita.*

Officium nocturni cursum jam, ut nostra imbecillitas tulit, laudisque matutinæ mysteria devota mentis actione transegitur: nunc diurnæ servitutis pensum nos vocat, nunc Solis orientis radius oculos restituit mundo, confusas rerum species distinguit, claroque luminis splendore faciem quamdam, ac venustatem cun-

ctis rebus infundit. Sol incipit, ait Ambrosius f, emunda oculos mentis o homo, animique interiores obtutus, ne qua festuca peccati aciem tui præstringat ingenii, & puri cordis turbet aspectum. Proccedit Sol magno jubare diem, magno mundum complens lumine, vaporans calore. Cave o homo solam ejus pendere magnitudinem, ne nimius fulgor ejus visus tuæ mentis obcæcet. Cave ne radius ejus exoriens tuum confundat aspectum. Qui è regione in Solis lucem fixum intendit obtutum, repercusso lumine omnem subito amittit aspectum, aestimat se nihil videre, & intuendi munere esse fraudatum. Non igitur te tanto splendori temerè committas. Sed quando hunc vides, auctorem ejus considera: quando hunc miraris, lauda ejus creatorem. Hæc carptim ex Ambrosio g qui etiam alibi, exemplo avium, quæ nascente Sole suavissimo cantu æthera mulcent, hortatur nos ad laudes hoc tempore Conditoti canendas. Quis enim sensum hominis gerens non erubescat sine psalmodiarum celebritate diem ordiri, cum etiam minutissimæ aves solemnem devotione, & dulci carmine ortus dierum prosequantur? Illa nemorum Siren Philomela, cantillantium avicularum præcentrix quanta spiritus contentione, quanta vocum varietate in occursum Solis tota diffunditur? quàm sonoro modulamine, quàm mirabili ardore nascentem salutat? Nunc leni voce submurmurans musicos tonos retexit: nunc harmonicis quibusdam motibus dissultans omnium modorum personat suavitatem: nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso. Sed & aliarum volucrum pennatus exercitus omnium dulcedinum numeros, omnium concentuum sonos percurrens Solem excipit advenientem. Rident amabili vultu universa, dum nova luce radians Sol diem reddit mundo, rebus colorem, floribus venustatem. Oritur Sol oculus mundi, jucunditas diei, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ. Oritur Sol aëris nitor, terræ decus, herbarum gloria, cor sphaerarum, luminum moderator, omnium viventium genitor, magnum Dei simulachrum. Oritur, inquam, ortuque suo ad celebrandas Numini laudes nos excitans mentem nostram ad æterni Solis contemplationem atollit.

M E-

f *Ambr. Exam. lib. 4. cap. 1.* g *Idem. ibid. lib. 5. cap. 12.*

METRUM XI.

*J*am Phœbus rutilum caput
 Vectus cœruleis equis
 Eloquent pelago exulit.
 Noctem Phosphoras horridam
 Clara percutiens face
 Stellæ depulit æthere.
 Lux fulgens radiantibus
 Pingens cuncta coloribus
 Umbras lumine temperat.
 Tellus omniſeros ſinus
 Pandens ætheris ignibus
 Ardet marice flammeo.
 Errantes pecudum greges
 Herbis luce rubentibus
 Carpunt gemmea pabula.
 Læpſis ſtes lacrymis polus
 Noctis triſtia funera.
 Quas blanda excipit obſtetrix
 Natura, & teneris cibum
 Hortis mellifluum parat.
 O quam floriferum ſolum
 Vultu ridet amabili!
 Flammas exacunt roſæ,
 Candent lilia pulchrius
 Rident prata venuſtius,
 Vernant cuncta decentius.
 Arguta alium cohors
 Vocis neſtare diſfluens
 Naſcentem recinit diem
 Cantat ſtebilibus modis
 Sylvoſum recreans nemus.
 Ales garrula Daulias.
 Muſæ ruris Achamides
 Ludentes hilari ſono,
 Mulcent aëra cantibus.
 O ſolis nitidum jubar
 Squallentem tenebris humum
 Optata irradians face:
 Dum tu per ſibi cognitæ
 Alti ſigniferi vias
 Teyris lumina dividis,
 Nos certo quoque tempore
 Immixti ſuperum choris
 Summo carmina Numini
 Pſallentes verimus diem.

2. Quis enim tot naturæ provocatus incitamenti, tot creaturarum invitatus obsequiis, tot exemplis commotus tam iners inveniatur, ut

ſolari jubare perſuſus, non illico ejus præconia celebret, cujus benignitas Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos? Notiſſima eſt Memnonis ſtatua in Ægyptiis olim Thebis erecta, quàm Philoſtratus *h* in vita Apollonii, & Calliſtratus *i* in expoſitione ſtatuarum deſcribunt. Hæc ſponte ſua cùm radiis ſolaribus tangeretur, ſuauiſſimum vocis ſonitum, ut illi fingunt, emittebat, primoque lucis fulgore in os incidente naſcenti Phœbo aſurgens lapidea labiorum clauſtra in ejus laudes referabat. Hoc fabuloſo ſcilicet integumento antiquiores Sophi nobile documentum occultarunt, debere hominem rationis compotem ad Solis ortum ipſius Condiſtoris Majeſtatem adorare. Quod ſimpliciores viri haudquaquam ad illorum mentem percipientes Creatoris cultum ad Solem ipſum materiale tranſtulerunt. Nam, ut ait Sapientia *k*; Non potuerunt intelligere cum quis eſt, neque operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artiſex; ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam reſtores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum ſi ſpecie delectati Deos putaverunt, ſciant quanto his Dominator eorum ſpecioſior eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia conſtituit: Aut ſi virtutem, & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior eſt illis: à magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poteris creator horum videri. Hæc Sapientia.

3. Quia verò ſpecioſiſſimus creaturarum eſt Sol, plures quoque inveniet cultores, non ſolum inter rudiores, & barbaras nationes, ſed etiam inter Gentes, quæ politiciori literatura, ac humanioribus placitis exultæ erant, ut Tertullianus, & Arnobius *l* aſſeverant. De his eleganter Aurelius Prudentius Clemens adverſus Symmachum ſic cecinit *m*:

*Eſt qui conſpicuis ſuperos quaſeruit in aſtris,
 Auſus habere Deum Solem, cui tramite certo
 Conditio impoſita eſt vixilem tolerare laborem,
 Viſibus obſectum mortalibus, orbe rotundo
 Præcipitem, teretique globo per inane volantem,
 Et quod nemo negat, mundo, cœloque minorem.*

Xxxx 3. Con.

h Philoſtrat. lib. 6. cap. 3. *i* Calliſtrat. lib. de expoſ. ſtatuar. c. 1. & 9. *g* ex his Nat. Comes l. 6. Mytholog. c. 3. *k* Sap. 13: 1. *l* Tertullian. in Apolog. Arnob. l. 1. *m* Prud. adv. Symm. lib. 1. Epigr. 15.

Concinne quoque de iisdem Cyrillus Hiero-
solymitanusⁿ; Quidam, ait, solem Deum pone-
bant, ut occidente sole noctis tempore sine Deo
essent. Sophocles, in Oedippo tyranno solem
vocat primum omnium Deorum. Ejus autem
vetustissimi adoratores fuerunt Persæ & Chal-
dæi. Ad Persas inquit Tertullianus^p, si fortè
deputabimur, licet solem non in linteo depictum
adoremus, habentes ipsum ubique in suo clypeo.
Et Darii castra describens Q. Curtius^q; Super
tabernaculum, ait, unde ab omnibus conspici
posset, imago solis crystallo inclusa fulgebat. Ju-
stinus^r item Historicus, Persæ, inquit, solem
unum Deum esse credunt, & equos eidem sacra-
tos ferunt. Persarum sacra sub Mithræ nomine
soli dicata in specubus Tertullianus^s sæpè com-
memorat, itemque Lactatius, Placidius^t, & Li-
lius Gyraldus^u: quem errorem sequutus Basili-
des Deum *μὲν* appellabat. Quo verò ritu
Persæ soli sacrificarent, tradit Eustathius Ar-
chiepiscopus Thessalonicensis^x in explicatione
Iliadis Homeri. Quamquam Persas ignem potius,
quam solem coluisse, Maximus Tyrius^y his
verbis affirmet. Persæ adorant ignem diarium,
nimidm divinitatis signum insatiabilem, vora-
cem. Huic cum sacrificant, alimentum præben-
tes his verbis utuntur, Ede ignis Domine. Chal-
dæos autem solem adorasse Diodorus Siculus^z
scribit, qui & fabulam elegantem narrat de ejus-
dem solis apotheosi. Ab his ad Ægyptios solis
cultus propagatus est, quos omnium primos so-
lem pro Deo habuisse asserunt Eusebius^a, &
Theodoretus^b. Sed Chaldæis primatum in hac
re astruit Severianus^c, atque inde putat Lampridius^d
Heliogabalo inditum nomen, à solis Sa-
cerdotio, cum prius Varius vocaretur. Sub no-
mine verò Serapidis, & Osiridis Ægyptios so-
lem intellexisse testantur Cicero^e, Macrobius^f,
Diodorus^g, & Plutarchus^h: de cujus statuae

penfili mirabili artificio legi potest in suis An-
nalibus Michaël Glycasⁱ Solem quoque ab Af-
syrîis, & Phœnicibus sub nomine Adonidis ma-
ximâ veneratione habitum tradit Macrobius^j.
Et Eusebius Cæsariensis^k, Phœnices, inquit,
solem adorant vocantes eum *Beelsamen*, id est
ceeli Dominum. Similiter Phryges sacrorum ad-
ministrationibus immutatis eundem sub nomine
Attinis colebant, & eodem Macrobio auctore fe-
stivitatem in ejus honorem celebrabant 8. Ca-
lendas Aprilis, quem diem Hilaria appellabant,
quo primum tempore sol diem longiorem nocte
protendit. Massageras unum solem venerari,
& eidem equos immolare Strabo^m, & Hero-
dorusⁿ affirmant. Etiam Æthiopes equos soli
offerebant Deo omnium velocissimo, id quod
velocissimum est sacrificantes, teste Heliodo-
ro^o. Apollinem Belum vocatum, & adoratum
ab Aquileiensibus accepimus ab Herodiano^p.
Sol Græcorum Deus ab Herodoto^q nuncupa-
tur, eumque passim à Græcis pro Deo habitum
Pausanias^r asseverat. Indos adorasse solem tra-
dunt Clemens Alexandrinus^s, & Philostratus^t
Lemnius. Idem scribunt de Tyriis Q. Cur-
tius^u, de incolis Insularum Oceani versus meri-
diem Diodorus^x, de Atheniensibus Joseph Ju-
dæus^y, de Siculis Phalaris^z Tyrannus, de Ar-
menis Xenophon^a, de Babylonis Philostratus^b,
de Pœoniis Maximus Tyrius^c, de Germanis
Cæsar^d, de Manichæis Augustinus^e, de aliis alii.
Porro à Platoniciis adoratum solem patet ex Plo-
tino^f. Sed & Pythagorici soli orienti Hy-
mnos lyrâ canebant, ad quem Jamblicus ele-
gantissimam orationem composuit. Et quis
ignorat mensam solis apud Æthiopes Divi Hie-
ronymi^g, & Pausaniæ^h scriptis celeberrimam?
A Romanis item Imperatoribus dicata soli
templa

n Cyrill. cat. 4. o Sophoc. in Oedip. v. 675. p Ter-
tull. in Apolog. q Curtius lib. 3. r Justinus Hi-
storic. l. 1. s Tertull. libro de baptismo, de corona
militis, de prescriptionib. t Placid. ad postrema
carminum. l. 1. Thebaid. u Gyrald. de Divis gen. syn-
tag. 7. x Eustathius in Iliad. y Max. Tyrius
sermon. 38. z Diodor. lib. 3. c. 8. & l. 4. cap. 5.
a Euseb. de præpar. Evang. lib. 1. cap. 6. b Theo-
doret. de cur. Græc. affect. l. 3. c Severian. in ca-
rena Græca ad c. 1. Genes. d Lamprid. in Helioga-
balo. e Cic. 3. de natura Deor. f Macrobi. 1. Sat.
cap. 21. g Diodor. l. 1. c. 2. h Plutarch. lib. de
de Osiride.

i Glycas p. 4. Annalium. k Macrobi. loc. c. l Euse-
bius de præpar. Evang. l. 1. c. 7. m Strabo lib. 11.
n Herodot. in Clito. o Heliodor. in Æthiopic. l. 9.
p Herodotus l. 8. q Herodotus in Polymnia. r Pau-
san. in Corinth. in Laconic. & Arcadic. s Clem.
Alex. orat. ad Græc. t Philostrat. vit. Apoll. l. 2.
cap. 11. u Curtius lib. 4. x Diodor. l. 3. c. 13.
y Joseph. lib. 2. contra Apionem prope finem. z Pha-
laris Ep. 103. ad Caton. a Xenoph. l. 4. ἐπιπέριον.
b Philostr. lib. 1. cap. 20. c Max. Tyr. serm. 38.
d Cæsar. de bello gall. l. 6. e Aug. ep. 74. & l. 14.
& 20. contr. Faustum. f Plotin. lib. 4. tom. 4.
cap. 30. g Hieron. ep. ad Paulinum in iis' Bi-
blioth. h Pausan. in Atticis, & posteriorib. Elia-
cis.

empla describunt Aurelius Victor ⁱ, Flavius Vopiscus ^k, Eutropius ^l; & Ammianus Marcellinus ^m. Denique omnes gentes in solis cultum variis ritibus conspirasse plerique auctores ostendunt ⁿ. Sanctus Philastrius Brixientis Episcopus inter hæreses veteris Testamenti eam recenset, quæ soli divinos honores tribueret: Tum Hermiam, & Seleucium redarguit negantes, Christum sedere in carne ad dexteram Patris, sed carnem in sole posuisse existimantes, illud Psalmographi perperam intelligentes, *In sole posuit tabernaculum suum.*

4. At quod attinet ad cultum solis, sacrorum librorum testimonia prætermittere grande piaculum esset. Et sanè Israëlita à vicinis gentibus Idolorum cultum edocti ad ortum solis adorabant apud Ezechielem ^o. Josias verò justissimus Rex eos deletit, qui soli adolebant incensum: equos abstulit, quos Reges Judæ dederant soli in introitu templi Domini: currus solis combullit igni ^p. Lego etiam civitatem solis, fontem solis, domum solis ^q, quæ omnia ad falsam solis apotheosim spectasse dubium non est. Ex curru autem Heliaë currum solis descripsisse Poetas putat Chrysostomus ^r. Homilia de ascensione Heliaë, nam sol Græcè Helios dicitur. Job item amicus Dei, cui similis non erat sub sole, adversus amicorum calumnias summum judicem innocentiaë suæ testem invocans, suasque virtutes modestè enarrans ait *f*: *Si vidi solem cum sulgeret, & levatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Quasi diceret vir patientissimus; Affigat me Deus, & non parcat, si cultum sibi debitum transtuli ad creaturam. Nunquam me jucundissimus orientis solis aspectus splendoris illecebris, & oculorum lenocinio ita pellexit, ut divinum illi Numen in-

esse crederem, ac propterea osculatâ manu, & in cælum porrectâ divinos eidem honores impenderem. Hâc enim adorationis specie externum quoddam obsequium exhibent soli Gentes, quæ verum Deum ignorant: imò sub specie obsequii nobilem creaturam multiplici afficiunt contumeliâ, de qua re eleganti prosopopœia idololatrias reprehendit ipsemet sol apud Julium Firmicum Maternum ^t. Solem verò non esse Deum probat eleganter, & diffusè Zacharias ^u Episcopus Mitylenes in disputatione de mundi opificio. Hinc putat Lipsius ^x adorandi verbum derivasse, quia manus ad ora admovebant adorantes: non ab ador (frumenti id genus est) quod censet Grammaticorum acumen. Adhibita verò oscula in Solis, aliorumque Deorum cultu certissimum est. Sed cum plerique vererentur, ore profano Deos ipsos tangere, eminus stantes manum porrigebant, eamque statim ad os suum referebant, & suaviabantur. Hunc adorantium habitum sacra Regum historia ostendit, dicens ^y: *Et omne os, quod non adoravit Baal, osculans manum.* Eundem morem plures ingerunt Scriptores. Minutius Felix in Octavio: Cæcilius simulacro Serapidis denotato, ut vulgus supersticiosum solet, manum ori admoveo osculum labiis preffit. Lucianus Samosatensis: Si quis est pauper, ita Deo litat, ut dexteram dumtaxat suam osculetur. Apuleius ^a: Nefas habet adorandi gratia manum labris admoveo. Athenagoras ^b: Osculum adorationis quædam est. Plura reperiet, qui voluerit apud Pithœum ^c in adversariis, & Muretum ^d in variis lectionibus. Ex hac autem adorandi ratione ille forsitan ritus emanavit, quo principibus viris manus osculari solemus, de quo legendus in Parergis Franciscus Luisinus ^e Utinensis criticus exquisitissimus. Sed jam ad Solem, à quo digressi sumus, his obiter adnotatis, revertamur.

§. II. O-

ⁱ Aur. Victor in Valeriano. ^k Fl. Vopisc. in eodem. ^l Eutro. l. 9. Hist. Rom. ^m Ann. Marcellin. lib. 17. ⁿ Theodorus de cur. Græc. affect. l. 3. Euseb. præp. Evang. lib. 1. cap. 6. & 7. Phrynus. de nat. Deorum. Apollodorus in Biblioth. Fulgentius & Nat. Comes in Mythologia. Arsenidor. lib. 2. cap. 36. Julian. Imp. or. 4. Seneca de benef. lib. 6. c. 21. & 23. lib. 7. cap. 31. Sext. Empyr. lib. 2. adv. Mathem. Maphæus Vegius Lauden. in disputatione inter solem, terram, & aurum. Gyrald. de Div. o Ezech. 8: 16. p 4 Reg. 25: 5, 11, q Jos. 15: 7. Id. 19: 41. Isa. 19: 18. Hier. 43: 13. r Chrysost. tom. 1. f Job 13: 26.

^t Jul. Firmic. libro de erroribus prof. Rel. c. 8. ^u Zacharias de mundi opific. ^x Lipsius l. 2. elect. cap. 6. ^y 3 Regum. 19: 18. ^z Lucian. de sacrificiis. ^a Apul. Apol. 1. ^b Athenag. in legatione prope siam. ^c Petr. Pith. adversar. lib. 1. cap. 7. ^d Muret. var. lect. lib. 10. cap. 1. ^e Franc. Luisin. lib. 2. Parerg. cap. 19.

§. I I.

*Omnes Ethnicorum Deos referri ad Solem.
Cur premissus versus Orientem.*

1. **A**urelius Macrobius *f* luculentus Auctor, & doctus omnes Deos gentium referri ad solem longo, & erudito sermone demonstrat ex Orpheo, Homero, Hesiodo, Platone, aliisque doctrina præstantibus viris, qui numerosam illam Deorum confugem ad unum Solem revocarunt, cujus varios effectus facilis, & rudis antiquitas, varia esse numina censuit, quæ variis quoque nominibus distinxit. Explicat hanc doctrinam eximius Philosophorum Plato in Cratylō, & secundo de legibus. Nonnus Pannopolita *g* in Dionysiacis Bacchum introducit, qui solem deprecans sic canit: Belus es Euphratæ, Lybicus vocatus Ammon, Apis es Nilivus, Arabs Saturnus, Assyrius Jupiter: & infra, sive Serapis es Ægyptius, sive Mithris Babylonis, in Græcia Delphicus Apollo, sive ru Pæon dolorem mitigans, sive es Æther varius, sive Astrochyton. Eadem ferè habent Proclus Lycius *h* in Hymno solis, & ex Latinis Papinius in Thebaide *i*, & Julianus Aurelius *k* libro de cognominibus Deorum. Non est autem omittendus Martianus Felix Capella *l*, apud quem Philologia elegantissimus hisce carminibus solem veneratur.

*Ignoti vix celsa patris, vel prima propago,
Fomes sensificus, mentis fons, lucis origo,
Regnum naturæ, decus atque assertio Divum,
Mundanusque oculus, fulgor splendentis Olympi,
Ultra mundanum fas est cui cernere patrem.
Te Serapim Nilus, Memphis veneratur O-
sirim,
Dissona sacra Mitram, Ditemque serumque Ty-
phonem.
Atys pülcher item, curvi & puer almus aratri,
Ammon & arenis Libyes, ac Biblis Adon.
Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.*

Sic etiam Mercurius Trismegistus *m* in Pimandro Deum Deorum solem appellat, cui omnes cedunt Dii cœlestes tamquam regi & potenti.

f Macrobius 1. Satur. à c. 17. ad 23. *g* Nonnus in Dionysiac. lib. 40. v. 396. *h* Proclus in Hym. solis v. 24. *i* Statius 1. Thebaid. *k* Jul. Arel. de cogn. Deorum lib. 1. cap. 4. & lib. 3. cap. 6. *l* Mart. Capella de nuptiis Merc. & Philologia l. 2. *m* Trismeg. Pimand. cap. 5.

Sunt & alii plures *n*, qui Solem maximum Deorum vocant, & omnia illa numina, quæ sibi fingebant Antiqui, ad ipsum referunt. Vix enim inter Ethnicos quisquam fuit sapientie laude conspicuus, qui non crediderit unicum esse Deum, quem illi sub variis nominibus colebant. De qua re Medaurensis quidam Philosophus nomine Maximus *o*, & ipse Ethnicus sic scribit ad Augustinum. Equidem unum esse Deum summum sine initio, sine prole, naturæ seu patrem magnum, atque magnificentum, quis tam demens, tam mente captus neget esse certissimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus proprium cuncti videlicet ignoramus.

2. Hæc nos de cultu Solis officium Primæ, quod post ejus exortum celebratur, vel invitos dicere compulit. Sed priusquam hinc longius abeamus, operæ pretium fuerit solerter indagare, cur antiquissimi Christianæ fidei Principes & Doctores versus Orientem orandum esse decreverint. Nam teste Tertulliano in Apologetico, quidam Gentiles à Christianis adorari Solem existimarent, quod ad Orientis regionem precarentur. Percellit acriter animum meum hæc difficultas, nam priscos Ethnicorum Sacerdotes ad hanc cœli partem conversos sacrificasse, memini me legisse apud veteres Scriptores Græcos, & Latinos: atque hunc fuisse morem Magorum, & Pythagoreorum scribunt Herodotus *p*, & Cœlius Rhodius *q*. Sanè Poëtarum Princeps sic canit:

*Illi ad surgentem conversi lumina solem
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecorum, paterisque altaria le-
bant.*

Ubi Servius Grammaticus *r*; Disciplinam, inquit, ceremoniarum sequutus est, ut Orientem spectare diceret eum, qui esset precaturus. Ovidius *r* in Fastis:

*Hæc Dea placanda est, hæc tu conversus ad ortus
Dic quater.*

Valerius

n V. Cleverium lib. 1. Germ. antiquit. c. 26. & Vossium de Idololatria à c. 2. usque ad 18. *o* Maximus Medauren. Ep. 43. inter Epist. D. August. *p* Herodot. l. 1. *q* Cœl. Rhodig. antiq. lect. l. 12. cap. 9. *r* Virgil. 12. Æn. *s* Servius ibid. *t* Ovid. Fastus. lib. 4.

Valerius Flaccus in Argonauticis u,

Imperat hinc altè Phœbi surgentis ad orbem

Ferre manus, totisque simul procumbere campis.

Ex hoc ritu Latinus Pacatus Drepanus statim post exordium sui Panegyrici hæc habet: Ut divinis rebus operantes in eam cœli plagam ora convertimus, à qua lucis exordium est; sic ego vota verborum, quæ olim nuncupaveram, soluturus, id oratione tempus afficiam, quo Romana lux cœpit. Inter Græcorum Epigrammata unum erat cuiusdam Pollidippi y, in quo testatur Antiquorum templa ita constructa fuisse, ut qui in eis orarent, Orientem respicerent. De eadem re Vitruvius z: Qui adierint, ait, ad aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem cœli Orientis. Apuleius a; Tunc Orientem obversus, & incrementa solis augusti tacitus imprecatus. Dionysius Thrax b, Antiquorum templa statim orientem solem leabant excipere, & statim orto lumine fenestris, ac foribus patefactis repleri, ubi sacrificia fiebant. Hyginus Gromaticus c; Postea placuit omnem Religionem eò convertere, ex qua parte cœli terra illuminatur. An igitur Catholica Ecclesia damnatos gentium ritus hac in re studuit imitari? Absit. Aliæ sunt causæ sanctissimi instituti, quas Orthodoxi Patres observârunt.

3. Et primò quidem ad Orientem conversi hac de causa oramus, quia nos exules esse, & peregrinos profitemur, & ad patriam nostram, unde ejeti sumus, ad terrestrem scilicet paradysum, quem Deus plantavit in Eden ad Orientem, suspiramus. Rectè Basilius magnus d: Omnes quidem inter orandum Orientem aspiciamus; pauci autem scimus, quod antiquam patriam inquirimus, paradysum quem plantaverat Deus. Hanc eandem rationem Moses Barcepha e Episcopus Syrus auctoritate multorum Patrum confirmat; atque ita ait constructa olim templa, ut ad solem orientem in mense Nisan, in æquinoctio scilicet vernali, obversa sit fabrica, quia nimirum illo mense supra paradysi locum sol oriatur. Et sic ferè antiquiores Basilicæ etiam nunc constructæ apparent, ut ortum respiciant æquinoctialem. Quare Sidonius Apol-

linaris f describens Ecclesiam à S. Patente Lugdunensi Episcopo constructam, hæc inter cætera scribit:

*Ædes celsa nitet, nec in sinistrum,
Aut dextrum trahitur; sed arce frontis
Ortum prospicit æquinoctialem.
Intus lux micat, atque bracteatum
Sol sic sollicitatur ad lacunar,
Fulvovt concolor erret in metallo.*

Deinde dicit Barcepha g ad orientalem portam paradysi solam, non etiam ad reliquas collocatam esse custodiam, quia Orientis Regio præstituta erat, ut esset locus adorandi Deum. Huic doctrinæ consentire videtur Gregentius h Archiepiscopus dicens. Nos ad solis ortum orare edocti sumus, quoniam illic Deum invenimus, qui hominem formavit, & paradysum condidit. Sed clarius de hac re loquitur Germanus i Archiepiscopus Constantinopolitanus: Orientem versus precari traditum est ab Apostolis sanctis, propterea quod spiritalis Sol justitiæ Christus Deus noster in terra apparuit in orientis solis sensibilibus partibus: propterea etiam quod nos denuò paradysum illum in Eden expetimus, & speculamur ab Oriente, recuperatum iri expectantes: & etiam recipientes ortum illum lucis apparituræ in Domini secundo adventu, & regeneratione.

4. Secundam causam assignat Justinus Martyr k, sive quisquis est Auctor quæstionum ad Orthodoxos apud ipsum, ostendens hanc orandi consuetudinem ab Apostolis acceptam, non quod divinum habitaculum in illo climate existiment constitutum, sed quia Deo semper ea, quæ meliora sunt, destinamus; illa autem mundi pars hominum opinione præstantissima censetur. Nam ut scribit Dionysius Halycarnassæus l: Pars Orientalis nobilior ex Hetruscorum disciplina, & ex augurum Romanorum traditione felicior putabatur in captandis auspiciis. Accedit Augustini m sententia dicentis: Cum ad orationes stamus, ad Orientem convertimur, unde cœlum surgit: non tanquam ibi sit Deus, & quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui ubique præfens est non locorum

Yyyy spatii,

u Val. Flacc. l. 2. Argonaut. x Lat. Pacatus in Pan. ad Theod. y Pollidip. apud Nat. Comit. l. 1. Myth. cap. 10. z Vitruvius l. 4. Architect. c. 5. a Apuleius l. 4. Metam. b Dionysius Thrax libro 3. Diar. apud Lud. de la Cerda in 8. Æneid. c Hyginus de limitibus. d Basilius l. de Spiritu sancto capite 27. e Moses de paradiso p. 1. c. 13.

f Sidon. Apoll. l. 2. Ep. 10. ad Hesperium. g Moses in sinep. 2. de Paradiso. h Gregent. in disput. cum Herbaso Judæo. i German. in Theoria rerum Ecclesiast. k Justinus q. 118. l Dionys. Halic. l. 2. antiquit. Roman. m Aug. l. 2. de ser. Dom. in monte cap. 9.

spatiis, sed majestate potentiae; sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est ad Dominum, cum ipsum corpus eius, quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est, ad corpus caeleste convertitur. Divinitas autem, ait Nicetas *n*, per Orientem designatur, utpotè altum, & excelsum, quoniam cum sol oritur, in sublime fertur.

5. Tertia ratio est, quia Christus, quem oramus vera lux est, verumque Oriens. Ideò benè dicit Chrysofomus *o*: Hoc semper appetamus, ut conversi ab Occidente, intenti ad Orientem agnoscamus Deum omnipotentem. Venit lux in mundum, radiavit mentibus nostris obscuris, declarata sunt terra, manifestata sunt occulta, tenebrosa aperta, ut lux oriretur nobis. Ita Propheta pollicitus est *p*: *oriatur vobis timentibus nomen meum Sol justitiae*. Psalmista item dicit *q*: *lux est justis, & rectis corde letitia*. Igitur in oratione à Christo vero Sole illustramur, sicut illustrantur à sole corporeo, qui respiciunt ad Orientem. Sententia Platonis est, quam laudat, & citat Nazianzenus *r*, idem in sensibilibus esse solem, quod Deus in intellegendis: ut enim hic mentem, ita ille oculos illustrat; atque ut hic res eas omnes, quae animo, & ratione intelliguntur, pulchritudine vincit; ita etiam ille eas, quae oculorum sensu percipiuntur. Approbat hanc sententiam disertis verbis Athanasius *s*: Non ideò adoramus ad Orientem, quod in ea parte mundi Deus aliquo modo circumscriptus habitet, sed quia Deus lux est vera: eam ob causam ad creatum istud lumen conversi, non illud, sed Creatorem adoramus, & ex elemento omnium splendidissimo omnium elementorum splendidissimum Creatorem veneramus. Consentit Clemens Alexandrinus *t*: Quoniam autem diei natalis imago est oriens, ilinc quoque lux augetur, quae primum illuxit ex tenebris; sed etiam iis, qui voluntantur in ignorantia, exortus est dies cognitionis veritatis, ideò orantes docemur verti ad orientem. Sic honor qui ab Ethnicis soli creato deferebatur, datus est à fidelibus Christo vero soli: sicut de Circensibus ludis, qui fiebant in honorem Solis loquitur Corippus Africanus *u* his versibus:

n Nicet. in orat. 39. Naz. n. 15. *o* Chryf. tom. 1. Hom. in cap. 6. Zach. p. Malach. 4. 2. *q* Psal. 96. *r* Nazianz. orat. 34. *qua est 2. de Theolog.* *s* Atha. qu. 37. ad Antiochum, si tamen ejus est hieiber. *t* Clem. Alex. lib. 7. Strom. *u* Corippus lib. 2.

Hunc veterum primi ritum non ritè colebant.
Esse Deum solem recta non mente putantes.
Sed factor solis postquam sub sole videri
Se voluit, formamque Deus de Virgine sumpsit
Humani generis, tunc dempto solis honore
Est Christo delatus honor.

Memorable est, quod Palladius *x* refert in Historia Lausiaca, Elpidium Abbatem totis viginti quinque annis nunquam versum fuisse ad Occidentem, sed semper ad Orientem respexisse, quamvis spelunca ejus posita esset in cacumine montis: adeò hujus ritu orandi ad Orientem tenax fuit. Huc etiam pertinet quod de quodam adolescente narrat in prato spirituali Joannes Moschus *y*: hic enim de homicidio falsò accusatus militibus dixit; Per Dominum vos rogo, suspendite me ad Orientem, ut illum videam, quando suspensus ero. Sed postea ab imminente morte liberatus fuit.

6. Quartam rationem docet Damascenus *z*, cui adstipulantur Cassiodorus *a*, & Hugo Eterianus *b*. Dominus enim cruci pro nobis affixus humeros ad Orientem, faciem vertebat ad Occidentem. Ideò nos oramus ad Orientem, ut in faciem Christi respiciamus. Adde quod, juxta Propheticum carmen, psallimus Domino, *c* *qui ascendit super caelos caelorum ad Orientem*, ut eum ascendentem in caelum corde, & votis prosequamur. Hinc etiam Magi venerunt ab Oriente adorare Dominum, ut fides, quae sol animae est, inde inciperet apparere, unde sol oriri solet. An non item ex Oriente in fine dierum creditur esse venturus? Ad Orientem idcirco convertimur, ait Hilarius Pictaviensis *d*, quia ipse, secundum Prophetam, oriens ex alto sit, & ascendit ad Orientem, ut eò regressus unde descenderat oriens nosceretur, ipseque sit omnibus in hunc caelestis sedis ascensum rursus auctor oriundi. Nam id ipsum sequens sermo significat, cum dicitur, Ecce dabit voci suae vocem virtutis. Numquid ulla vox potest majoris esse virtutis, quam dissolutorum corporum pulverem in formam cogere, soliditatemque membrorum, & vitam rursus in homines, animasque renovare, & corruptionem naturae imbecillis naturae caelestis incorruptione mutare? Haec humanae spei vera, & perfecta constantia est, haec divinae magnificentiae bonitas absoluta. A-

liam

x Pallad. c. 108. *y* Joann. Moschus cap. 72. *z* Damasc. lib. 4. de fide orth. cap. 13. *a* Cassiod. ad Psalm. 67. *b* Hugo Eterian. lib. de regressu anim. cap. 14. *c* Psalm. 67. *d* Hilar. in Psalm. 67.

nam hujus causæ confirmationem habemus ab Athanasio e: Quare, inquit, oramus ad Orientem? Quia Spiritus sanctus per Davidem Prophetam præcepit f, *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus*. Quod si Judæus objiciat, ubinam steterunt pedes Domini? Zacharias Prophetæ respondet g: *& stabunt pedes ejus in die illa super montem Olivæ, qui est contra Hierusalem ad Orientem*.

7. Quinta tandem ratio esse potest, ut inter nos, & Infideles discrimen sit. Consuevit Ecclesia Dei, ait Lucas h Tudenfis Episcopus, orare ad Orientem, ut per hoc à sectis variis, & erroribus separaretur, quæ Sole justitiæ illustrata se Domino soli Christo Jesu desponsavit. Hæretici tenebris obcæcati à vero sole remanent alieni, & modò ad Orientem, modò ad Occidentem, modò ad Meridiem, modò ad Septentrionem orant, & circumferuntur vagi in omnibus actionibus suis. Orant Saraceni ad meridiem, & Judæi diverso modo. Catholici verò, quibus divina Scriptura dicit, *i Vobis timentibus nomen Domini orientur Sol justitiæ*, orant ad Orientem divino oraculo admoniti per Salomonem, qui dicit Deo: *k Oportet solem prævenire ad benedictionem tuam, & ad orientem lucis ibi te adorare*. Et quia, ut ait David l, *exortum est in tenebris lumen rectis*, debet populus Dei respicere, & adorare ad Orientem, ut ille de quo dicitur, *m Oriens vocabitur nomen ejus*, qui est oriens ex alto Deus Israël, fideles lumine claritatis suæ perfundat, *qui habitat lucem inaccessibilem*, & in lucem suæ Divinitatis præcepit credere dicens n: *Credite in lucem, ut filii lucis sitis*. Testatur etiam ipsa Veritas o, quod *qui male agit, odit lucem, & qui facit veritatem, venit ad lucem*. Hætenus Lucas. Quod verò Turcæ, & Saraceni conversi ad Austrum orientem, testatur Euthymius p in Panoplia. Manichæi, teste Augustino q, orationes faciebant ad solem per diem quaquaversum circumit: ad lunam per noctem si appareret; si autem non appareret, vertebantur ad Aquilonem. Mercurius Trimegistus r sole occidentem ad Austrum respicere eum præcipit, qui oraturus est; at sole

orientem in eum, qui dicitur subsolanus. Judæi autem orabant ad Occidentem, quia ostium tabernaculi ad Orientem respiciebat. Et illi quidem occidenti literæ insistant habentes velamen in cordibus suis: nos spiritu vivificante illustrati ut filii lucis in luce ambulamus vero lumini adhærentes, de quo scriptum est, *f super te autem orientur Dominus, & gloria ejus in te videbitur*. Cæterum de hoc ritu præter Auctores supra citatos agunt Clemens Romanus t, Gregorius Nyssenus u, Anastasius Nicænus x, D. Thomas y, & alii recentiores.

S. III.

Veterum opiniones de sole. Verus Sol adorandus, qui est Christus. Quis sit ignis obscurans solem. Cur oremus horâ prima.

r. **A** Chilles Tattius z in Isagoge ad Arati Phænomena veterum Physicorum ridiculas de sole opiniones recenset. Docet enim Plato solem ex igne constare: quidam è terræ, ac nubium exhalationibus. Philolaus eundem quicquid habet igneum, ac transparens ex æthereo igne, qui supra ipsum est, exprimere putat, ac per quædam rimarum interstitia splendorem ad nos transmittere. Epicurus pumicis speciem habere censet, atque ex igne per quædam foramina splendorem ejaculari. Anaximander lucem ab eo, qui sit rotæ similis, emitti sentit. Hæraclitus scaphæ similem putat, Stoici sphæræ, alii disco. Quidam pedalem, alii octuplo, alii undevicies terra majorem faciunt. Omitto Porphyrii placitum relatu indignissimum, quod curiosus lector inveniet apud Georgium Pissidem in Cosmurgia. Plures quoque de sole absurdas opiniones referunt Theodoretus a, & Plutarchus b. Manichæi solem navim esse asserabant de purissima Dei substantia fabricatam, ut refert Augustinus c. Narrat Cyrillus Alexandinus d Anaxagoram Philosophum morte

Yyyy 2 ab

f Isai. 60: 2. t Clem. Rom. lib. 2. consi. apost.
 Tertull. in Apolog. c. lib. adv. Valentin. Origen.
 hom. 5. in Num. Naz. epist. ad Philagrium. Epi-
 phan. lib. 1. tom. 1. cap. 19. u Greg. Nyss. lib.
 de orat. x Anastas. qu. 18. in script. y Tho-
 mas 2. 2. qu. 84. art. 3. z Achill. Tattius ad Ara-
 ti Phæn. c. 19. 20. a Theoret. lib. 1 c. 4. de cur.
 Græc. affect. b Plutarch. de Placitis Philosoph.
 lib. 2. cap. 20. c Aug. lib. 20. contra Faustum.
 d Cyrill. Alex. lib. 6. adv. Julianum.

e Athanas. qu. 37. citata. f Psalm 131. g Zachar.
 14: 4. h Lucas Tuden. lib. 2. adv. Albigenes cap.
 23. i Malach. 4: 2. k Sap. 16: 28. l Psalm.
 111. m Zach. 6: 12. n Joan. 12: 36. o Joan.
 3: 20. p Euthym. Panopl. p. 2: tit. 24. q Au-
 gust. lib. 20. contra Faustum. r Trimegist. in
 sine Aclepi.

ab Atheniensibus damnatum fuisse, quod solis circulū nihil aliud esse diceret, quam lapidem quemdam ignitum. Hic, ut refert Jamblicus, tamen si de sole tam exigua sentiret, interrogatus aliquando, cujus rei gratia natus fuisset, ut solem, inquit, contemplerer: Ad eō externi luminis pulchritudine captus fuerat. Sed quam multipliciter peccarit, cū hoc dixit Anaxagoras, Cælius Lactant. l. 5. c. 9. ostēdit in divinis institutionibus. E contra verō quidā sanctorū Patrum, quod B. Theodoro Studita serm. 18. narrante didicimus, cū ē cella prodiret, tegumentum capiti imponebat, ne aciem in solis jubar intenderet, causamq; rogatus respondit: Ecquid est cur temporarium lumen videre velim? Et rectē quidem. Nam, ut ait Magnus Greg. l. 22. mor. c. 2. sancti viri postquam omnia præsentis vitæ oblectamenta despiciunt, præ illius lucis internæ dulcedine ab hac exteriori luce animum quasi à tenebris avertunt; multumque secum intrinsecus contendunt, ne hujus lucis, quæ fulget extrinsecus, delectatione rapiantur. Hi sunt, qui dicunt cum Propheta Domino, Hierem. 17:16. *Diem hominis non desideravi tu scis.* Hi sunt, qui solam dilixerunt Sapientiam*, & *proposuerunt pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius, candor est enim lucis æternæ, speciosior sole, & nihil inquinatum in eam incurrit.* Hi sunt, qui verum adorant Solem, quem si quis sequitur, *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ* Joa. 8. 12. Idcirco prima diei hora, statim ac sol materialis exortus est, Solem justitiæ adorantes in spiritu, & veritate gratissimum adolent orationum incensum, ut luce spiritali digni sint illustrari. Solis enim instar Deus exoritur, ait Athan. ser. de Sabb. & circumcissione. illustrans uniuscujusque animum. Non omnium autem hæc dies est, sed eorum qui peccatis mortui sunt, & vivunt Deo. Væ illis quibus obtenebratus est sol in ortu suo, super quos factæ sunt tenebræ palpabiles, & horribiles: *Isai. 13. 10. nescierunt neq; intellexerunt, in tenebris ambulant: Ps. 118.* Et dicent in die judicii, *Sap. 5. 6. Ergo erravimus à via veritatis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Optime Basiliius in *Psa. 33.* Quemadmodum sensibile hoc lumen non omnibus similiter exoritur, sed habentibus oculos, & vigilātib; his item qui nullo interfitte impedimento prohibentur, quin frui possint claritate solis primum adventantis; Sic & justitiæ Sol verum lumen, quod illuminat omnem hominē venientem in hunc mundū, nō omnibus suum splendore præbet, sed his qui vivendi formulā nihil ipso indignam exigunt.

2. Satagendū est igitur, ut primitias diei pura mentis intentione offeramus Domino, ut qui ad principium diei nos pervenire secus sua virtute incolumes ad salutaria cuncta perducatur: ne fortē in nobis prophetica illa comminatio adimpleatur, *Psa. 57. supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Ignis iste fumosus lucidissimum solis jubar obscurans ignis superbiæ est ut explicat August. in *Psal. 57.* ignis concupiscentiæ, ignis iracundiæ. Quantus ignis est? Super quem ceciderit

* Sap. 6. 7.

non videbit solem. Quem solem? Non istum, quem tecum vident, & pecora, & muscæ, & boni, & mali: est & alius sol, de quo dicturi sunt illi, Sol non est ortus nobis, quia vicit illos concupiscentia carnis. Supercecidit ignis, & non viderunt solem. Hunc ignem vocat Bernard. ser. 2. de *Parific.* ignem alienum, quem si quis in divino sacrificio offerre præsumpserit, etiam si patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate sua. Porro ignis alienus, ait Abfalon Abbas ser. 25. *qui est 2. de Pent.* est luxuria, quæ est in cubilibus, & impudicitis; ignis alienus est iracundia, quæ est in dissensionibus, & contumeliis; ignis alienus est invidia, quæ est in detractatione aliene virtutis. Ignis alienus, inquit Ambrosius *annot. 1. in Levit.* est libido. Ignis alienus est omne incendium injuste cupiditatis. Ignis alienus omnis ardor avaritiæ. Hoc igni nemo mundatur, sed exurit. Sacrificia verō sua alieno incendunt igni, qui Deo serviant non ex amore, sed pro lucro externo, ut Joann. Rusbroch. de *tabern. sac. c. 116.* scribit rerum divinarum contemplator eximius. De eadem re sic differit Paulin. *Ep. 29. ad Aptum,* sanctissimus Nolæ Episcopus. Ignem mihi alienum videtur accendere, quisquis corporeæ, vel sæcularis alicujus cupiditatis ignem in sacrificio sui cordis accendens audeat appropinquare altaribus Domini, quæ non recipiunt nisi illius ignis accensionem, de quo ait, Ignem veni mittere in terram. Hic solus ignis igni resistit æterno. Sed dicis mihi. Quomodo possum hunc ignem alienum elongare à meipso, si in peccatis natus sum totus, & in peccatis concepit me mater mea? Precare Solem justitiæ, ut oriatur in te, & præoccupet cor tuum in spiritu ardoris. Ipse venit mittere ignem in terram, si hic ignis in altari cordis tui semper ardebit, alieno igni locus non erit; à facie enim Domini extinguetur. *Vox Domini intercedentis flammam ignis. Ps. 28. Quod si non dixeris,* ait *Isaias c. 8. 20. juxta verbum hoc, non erit tibi matutina lux.*

3. Idcirco fit Primæ horæ celebratio, ut verbis utar *Rab. Maur. de instit. cler. l. 2. c. 3.* quia in exortu diei oportet ut Solem justitiæ nobis oriri postulemus. Sic incipiente die Evangelici præcepti non surdi auditores primum querimus regnum Dei, & justitiæ ejus, ut & cætera adjiciantur nobis *Mat. 6:33.* Sic juxta legem *Exod. 13:12.* quod primum nascitur Domino consecramus. Sic cum sanctis mulieribus orto jam sole *Marc. 16:2.* venimus ad monumentum, ut mysticis orationum unguentis ungamus *Jesum.* Sic cum Rege Liricæ interficimus in matutino omnes peccatores terræ *Ps. 100.* quia, ut ait *Hier. l. 2. in Isaiam.* orto nobis Sole justitiæ omnes statim cogitationes interficimus, quæ ad peccata nos provocant, & de civitate mentis nostræ disperdimus peccatores. Sic Sapientis* admonitionem libenter audimus, & efficaciter adimplemus ad orum lucis adorantes Dominū, ne internæ dulcedinis manna exiguo solis radio calefactū tabescat. Sicut autē ovibus manē ad pascua excurrentibus necessarius est pastor, qui eas à

* Sap. 16:28.

lupis

lupis defendat: ita etiam nos, ut docet *Amal. l. 4. de div. offic. c. 2.* initio diei ad opera, & mandata Domini surgentes pastoris nostri custodia indigemus, qui lupos agitat irruentes, de quibus legimus *Jos. 10: 12.* & lupus rapit, & dispergit oves. Ceterum hora ista sancta est, qua Dominus noster illusus, conspuratus, & alapis cæsus Pilato propter nos ligatus altitit *Mt. 27: 1.* ad omnem contumeliam, & adversitatem patienter sustinendam suo exemplo nos erudiens. Hac item hora post gloriosam resurrectionē in magna piscium captura, *Jos. 21.* qui cum tanti esset, non est scissum rete, *Ecl. Cathol.* propagationem præfiguravit, & veram carnis resurrectionem in piscis alii comestione evidenter ostendit. Sunt qui scripserint horā Primam celebrari in memoriam Dominicæ Resurrectionis: at omnium rectè sententiū fides est Christum ante solis exortū surrexisse.

S. IV. DE MATUTINIS SALUTATIONIBUS.

De matutinis salutationibus. Prima quando fuerit inchoata, & qua hora perfolvi debeat.

1. Magna Leo quem Abbas Spanhemensis in Ecclesiastica dictionis Tullium appellat, elegantissima oratione Christianos redarguit, qui mane ad nascentem solem deflexi curvatis cervicibus in honorē se splendidi orbis inclinabant: quod paganitatis quodā spiritu factum dolet S. Pontifex. Gentiles enim, præterquam quod ipsum Solem adorabant, ut jam ostensum est, credebant quoque matutinas salutationes Diis esse gratissimas, quare primam diei horam certis ritibus ipsidem nunciabant. Didici hunc morem à Philo. Medaurensi, qui in fabula Melesia hæc habet. Inchoatæ lucis salutationibus Religiosi primam nunciantes horam pestrepunt. Tacitus quoque ait: Orientē solem, ut in Syria mos est, Tertiani saluta vere, ex nostris autē Arnobius^e rem indicavit his verbis. Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini collatis ad tibiā vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigiliis debeant. In hunc etiam ritum invehitur Romanus Sapiens. Veremus salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum. Erat autē salutationis matutine propria illa vox Ave, juxta illud *Marr. g.*

Et matutinum portat ineptus Ave:
Et alibi b. *Discursus tota vagis urbe, nec ulla cathedra est, Cui non mane ferat irrequietus Ave.*

Non enim erga Deos dumtaxat, sed etiam erga homines hujusmodi salutationibus utebantur. Quo verò ritu Deos salutaverint, Barnabas Brillonius in doctissimo libro Formularum luculenter ostendit. Hæc est gentium consuetudo, quam Leonis reprehensio suffragat, ne quis forte parum linææ mentis primæ horæ officium, aut orationis ad orientē mysteria tanti viri auctoritate sustollere conetur. Satis clarè se explicat S. Doctor, dum ait: Expergiscere o homo, ut ere creaturis quomodo utendum est, & quicquid in eis pul-

chrum, atq; mirabile est, refer ad laudem, & gloriam Conditoris. Utinā corda nostra veri luminis jubar illustret. Lux pietatis veri splendore oriētis est. Quantū distat à splendore solis soli hujus caligo! Orandū igitur, ut mūdi hujus tenebras claritatis suæ radiis expellat Deus.

METRUM XII.

<i>Magne Rex terræ nitidq; cæli, Christe, qui nutu moderaris orbem,</i>	<i>Lux ades nulla temerata nocte, Mysticum lumen, nit'cosq; nobis Annue mares.</i>
<i>Mentis arcana jubar, & paternæ Lucis imago.</i>	<i>Pax, fides tecū pietas, & omnis Audeat virtus remeare ab alto.</i>
<i>O sacrum cæli decus, & cornu Luminis candor sine nubefulgens,</i>	<i>Pectus illustra, respluatque summū Flumen amoris.</i>
<i>Huc ades, puro tibi dū sacramus Carmina voto.</i>	<i>Erudi terras meliore flamma, Et per ignotas tibi fundat oras</i>
<i>Servium cursu tibi concitato Nox, dies, annus, properigine mensis,</i>	<i>Prodigus laudes populus sacra- tam Pronus ad aram.</i>
<i>Teque circumstant glomerata blandis Astra choreis.</i>	<i>Annus cultus, patrioque ritus Lætas antiqua renovare pompa Indus, & Maurus, gelidique discat Incola Ponti.</i>

2. Porro quod spectat ad officium Primæ, nulla ejus expressa mentio apud Patres Cassiano antiquiores reperitur, quicquid dicant Franciscus Turrianus & vir alioquin eruditissimus in notis ad Clementem Romanum, & Marianus Victorius vir etiam emundæ naris in scholis ad Epistolas Divi Hieronymi. Iste enim, & alii Patres cum manè orandum esse dicunt, non de Prima, sed de Laudibus matutinis intelligi debent, quod disertè demonstrat exactissimus Scriptor Marcellus Francolinus. Tameñ autem Franciscus Suarez de hujus assertionis veritate dubitare videatur, certum est tamen, quod Cassianus præferit testis omni exceptione major, Primam scilicet suo tēpore in suo Bethleemiteo Monasterio celebrari cœpisse, ne Monachi post Laudes usque ad Tertiam otiosi, & somnolenti jacerent in cellis, cum nulla conventus necessitas eos ad orationem exire compelleret. Vocat eam alteram matutinam, quam à matutinis laudibus ex eo distinguit, quod hanc tribus psalmis absolvi dicit: ad laudes verò decantari ait psalmū *Laudate Dominum de cælis*, cum duobus sequentibus. Porro quinquagesimum, inquit, & sexagesimum secundum, & octogesimum nonum huic novellæ solemnitati novimus fuisse deputatos. Nec est quod scrupulum alicui moveat Augusti, qui initio secundæ regulæ expressam Primæ mentionem facit: nam præter alias conjecturas satis evidentes, quas censores operum Augustini notarunt, vel ex hoc liquet, falso ei attributam hanc Regulam, quam ideò Lovan. Theol. inter Pseudepigrapha telegarunt. Similiter hymnus Primæ, qui criticorū animum vellicare poterit, vel non est Ambr. vel ab eo cōpositus, ut privatim diceretur, postea publico Primæ officio apratus fuit. Hęc de Lat. Patribus dicta

Yyyy 3

a *Is. serm. 7. de Nativitate.* b *Trithemius de Script. Eccl.* c *Apu-
leius l. 11.* d *Tacit. l. 3. hist. c. Arnobius 7. cont. gent.* e *Sent. ep.
95. g. Martia. l. 1. ep. 56.* h *Id. l. 4. ep. 79.* i *Briffon. de form. l. 1.*

k *Turrian. ad c. 34. l. 8. constit. apostolicæ.* l *Mar. Pict. ad ep. 7.*
m *Hier. ad Letam.* n *Francolin. c. 14.* o *Suarez. de relig. l.
4. cap. 5.* p *Cassian. lib. 3. de instit. cœnob. c. 3. 4. & 6.*

dicta sunt; nam si ad Græcorum calculos res ista revoceatur, sunt qui de Prima Chrysostrum, & Athanasium loquutos asserant. Hic enim libro de virginitate, Sol, inquit, exoriens videat librum in manu tua. Ille autem in fine libri primi de orando Deum; Dic mihi, ait, qua fronte solem intueberis, nisi prius adoraveris, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Sed hæc testimonia de privata oratione intelligi possunt: Primæ autem officium, cui satis superque est mille & amplius annorum vetustas, statim post ortum solis persolvi debet. Patet id manifestè tum ex Cassiano, tum ex Amalario, & Hugone, tum etiam quia à prima hora diei, à prima scilicet hora post ortum Solis denominatur. Cum enim diem artificialem pro celebrandis horis Canonicis in quatuor partes divisissent Antiqui, solebant in fine singularum partium singulas Canonicas preces singulis trihoris persolvere. Sed cum postea Primam, & Completorium pro initio, & sine diei advenissent, jam ex prima diei parte, quæ primam, secundam, & tertiam horam continebat, & officio Tertie assignabatur, primam horam pro officio Primæ separarunt: duodecimam pro Completorio, ut supra capite tertio explicatum est. Drogo Abbas q in ipso solo exortu celebrandum esse Primam existimat: sic enim scribit: Horæ primæ laudatio à sanctis Patribus ex oriente sole constituta est celebrari: quæ si aliquando tardius, vel celerius negotiis exigentibus celebrètur, nobis horæ debitæ officium congruo tempore persolventibus, hujus similiter & cæterarum statutus terminus penes eum, cui cuncta sunt presentia, relinquatur.

q Drogo Abb. tract. de horis canonicis.

CAPUT VII.

DE TERTIA.

§. I.

Hora Tertia mysteria. Numerus Ternarius commendatur.

METRUM XIII.

Quis me Numinis impetus
Sublimem vacuo librat in ære?
Falsa lator imagine?
An celsum volueris transsilio polam?
Quo me nubila præpetem

*Attollunt rapido turbine concisum?
Aut quis me potuit juror
Stellis inferere, & concilio Dei?
Abstineat procul impiis,
En præsens Deus est: Sentio spiritum.
Rugiti reboat polus,
Atque æther rapidis depluit ignibus.
O vos pectora pandite,
Quos Numcu populi cæribus eripit.
Nil parum, aut humili modo,
Nil mortale loquar. Sed referens Deo
Gratas obsequii vices,
Devotis jentiam sidera vocibus.*

1. Elevatus est enim ab ortu sui primordio igneus solis splendor, altius processit, dilatavit radios, incaluit, & invaluit acrius ardens, efficacius illuminans, potentius influens. Novis igitur illustrata fulgoribus fidelium Ecclesia tertia diei hora rursus laudes Deo canit, nova luce divinæ cognitionis induitur, novo veritatis splendore allicitur, sacrarumque precum delectabili suavitate pinguefcit. Quomodo enim hac hora tacere poterit, quam tot veneranda mysteria, ipsaque spiritus sancti gratia cœlestium charismatum sacramentis nobilitarunt? Nimirum hac hora Dominus noster ex sententia Ruperti Abbatis & spinis coronatus Judæorum vocibus crucifixus est, juxta illud s, *Filii hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus*: nam Pilato judicante illum dimitti, firmaverunt sibi sermonem nequam pertinaciter clamando, crucifige, crucifige. Et ille quidem iniquus judex sacrilegis Judæorum clamoribus commotus auctorem vitæ morte turpissima condemnavit. Jesus autem cum iniquis reputatus Agnus sine macula sævissimæ luporum rapacitati traditus est. Tum bajulans sibi crucem ad locum supplicii contumeliis, & blasphemis lacessitus pervenit: ipsoque patibulo in terra defixo immania tormentorum genera erga ipsum Dei Filium innovata sunt. Hæc verò omnia hora tertia contigisse Ignatius Martyr, & Athanasius u observant.

2. Ipsum etiam Tertie nomen ex ternarii numeri significatione multa suggerit haud indigna solerti consideratione. Trias princeps imparium numerus, perfectusque censetur, nam prior initium, medium, & finem sortitur: & quia unitate media interveniente sectionem non recipit, ut in duo æqua dividatur, idèd, teste Hugone x,
r Rupert. l. 1. de div. off. c. 3. s Psalm 56. x Ignat. ep. ad Trallian. u Athan. lib. de Virginit.

gone x; indissolubilia, & incorruptibilia designat. Monadem fabricatori Deo, diadem materiam, triadem idealibus formis aptantur Antiqui y, ac propterea ipsa Trias mundana perfectio est. Celeberrimum est Pythagoræ dogma z numerum ternarium masculinum esse, & aptissimum ad agendum. Atque hinc emanasse arbitror vulgata illa inter sapientes proloquia, Tria esse omnia, Tria in sacrificiis offerri debere, ut sic omnia in Deum Conditoem referri viderentur. Trina in corporibus dimensio est: Geometrici corporis prima planities tribus lineis constat, quibus trigonalis forma concluditur. Formæ & actui ob perfectionem attribuitur Ternarius. Monas per Ternarium omnia perficit, ac definit: estque Trias unitatis tam internæ, quam externæ fecunda expressio. Pythagoras, qui primus in Italiam Philosophiam invehit, tantum Ternario tribuit, ut omnem Deitatis rationem eò perfici affirmaret. Idem nullum numerum in se amplius duci voluit, quam trino progressionis ordine, adeo cubum in numeris velut complementum observabat. Porro hunc numerum habemus à natura: est enim progressus multitudinis ab uno, & ad unum regressus. Opifex seipso contentus summa unitas est, in creaturas, quas produxit, diffunditur binarius, easdem ad se revocando ternarium complet reductis omnibus in proprium finem. Unitas perfectissima est, binarius dividens infansus, ternarius convertens in Deum felicissimus. Tres sunt rerum omnium proportionem, quas Timæus vincula nominat, Musica, Arithmetica, Geometria: his constat universi pulchritudo. Quid plura? Mundus Archetypus, adoranda scilicet, & augustissima Trinitas in simplicissima unitate hunc numerum modo prorsus ineffabili consecravit. Extant in sacris literis innumeri propè ternarii, quos sancti Patres ad hujus mysterii notitiam applicarunt. Theologi quoque cum Magistro sententiarum a, imaginem, & vestigium Trinitatis in omnibus creaturis trina rerum diversarum expressione agnoscunt, & admirantur. Adorabilis sancta Trinitas, ait Chrysostomus b, in Ternario gloriam habet, & veneratur Deus Ternarii prædicationem in terra, & virtutum numerum, quod numero Sanctæ Trinitatis respondeat. Multi sunt Patriarchæ, & Deus seipsum vocat Deum

Abraham, Isaac & Jacob. Non quod non sic etiam Deus Moyses & aliorum, sed veneratur sicut in imagine in terrenis cœlestia. Quid dicam de mundo Angelico, cujus triplex Hierarchia, & cujusque Hierarchiæ triplex chorus, triplex item actus purgandi, illuminandi, & perficiendi? Quid de cœlesti, ejusque motu? Quid de elementari? Quid de Microcosmo, ejusque potentis & facultatibus? In his enim omnibus admirabilis Ternarii vis, & efficacia relucet.

3. Volunt Platonici apud Franciscum Georgium Venetum c res omnes superiores Ternarii cubo, inferiores autem triplici enneaede comprehendendi. Potho d Prumiensis Presbyter in libris de domo Dei inter multa, quæ de hujus numeri excellentia differit, illud præcipuè subtilissimam indagationem investigat, quomodo Ternarius ad animam pertineat. Poëtæ cum sacrificia, libamina, & lustrationes describunt, hunc numerum solent adhibere. Virgilius in Pharmaceutria.

*Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco. & paulo post.
Necte tribus nodis ternos Amarilli colores.*

Idem in Georgicis e.

*Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam,
Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.*

Et in Æneide f.

*Idem ter socios pura circumluit unda
Spargens rore levi, & rano felicitis olivæ.
Lustravitque viros.*

Ovidius g.

Terque senem flamma, ter aqua, ter sulphure lustrat.

Idem h.

*Terque manu permulsi eum, tria carmina dixit,
Carmina mortali non referenda sono.*

Propertius i.

Terque meum tetigit sulphure & igne caput.

Joannes Tzetzes k in historiis triplicem mortuorum conclamationem commendat ex Homero. Theocritus in Idylliis l, Apollonius in Argonauticis m, & alii Poëtæ passim eodem numero utuntur. Deficiet me dies singula enarrantem, quæ ad Ternarii commendationem faciunt. Plura curioso lectori suppeditabunt Girardus Rufus

x Hugo Viti. lib. de scriptis. cap. 15. y Martiani. Capella. 7. z Aristoteles 1. de celo. a Magist. 1. sent. b Chrys. tom. 4. hom. in illud Apost. cum autem subiecta illi fuerint omnia.

c Fr. Venet. Hama mundicant. 1. 10. 3. d Potho. l. 2. e 4. de Domo Dei. e Virg. Georg. lib. 4. f Æneid. l. 6. g Ovidius lib. 6. metaph. h lib. 4. Fastorum. i Propert. lib. 4. eleg. 9. k Tzetzes Chiliad. 3. v. 550. l Theocr. Idyll. 2. * Apollon. l. 2.

Rufus *m* in Mysticis commentationibus ad Severini Boethii Arithmetica, Annibal Roscellius *n* in Pymandrum Trismegisti, Nicolaus Cusanus *o* de docta ignorantia, Marfilus Ficinus *p* in Plotinum. Petrus Bongus *q* de mysteriis numerorum, Ausonius *r* in grypho ternarii, Macrobius *s* in somnium Scipionis, Martianus Capella *t* libro de nuptiis Philologiae, Nicomachus Gerasenus in Arithmetica Theologica apud Photium *u*, Albinus Flaccus *x* apud quem extant quidam versus Sancti Ambrosii de Ternarii mysteriis, & alii plures. Mihi non liber hæc diutius sectari, merito enim imprudentiæ accusarer, si lucem à minutis facibus mutuarer, quando fulget splendidissimus Sol.

§. I I.

Horâ Tertiâ oramus ob adventum Spiritus sancti. Gratia Spiritus sancti quid operetur in anima.

1. **O**bservat Isidorus *y* Ecclesiasticorum rituum solertissimus indagator, illud ad horâ Tertiâ illustrationem maximè facere, quod Spiritus sanctus ipsa horâ tertiâ, hoc est, suo loco, & numero, & tempore, cum sit tertia individua Trinitatis persona, ad terras descendit impleturus gratiam, quam Christus promissit Ecclesiæ. Hæc est potissima ratio, ad quam respicientes majores nostri horam tertiam divinis laudibus dedicârunt. Basilii *z* primi nominis auctor hujus institutionis rationem his verbis exequitur. Tertiâ horâ congregentur fratres ad orationem, ut admoniti doni Spiritus, quod circiter hanc horam Apostolis datum fuit, uno eodemque animo cuncti illum venerentur, ab eoque petant, ut & ipsi digni sint, qui sanctificationem suscipiant, simulque ut salutaris sibi doctrinæ, & recti itineris Dux esse, & auctor velit, illum imitantes, qui dixit *a* *Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne prosicias me à facie*

m Rufus lib. 1. cap. 9. *n* Roscell. lib. 2. qu. 1. cap. 1. diffusissimè. *o* Cusan. lib. 1. *p* Ficini in Plotin. lib. 3. Enn. 1. *q* Bongus cap. de Ternario. *r* Ausonius Idyll. 11. *s* Macrobi. lib. 1. cap. 6. *t* Capella. lib. 7. *u* Photius Cod. 187. *x* Alb. Flaccus in sine ep. 69. *y* Isidor. de eccl. offic. lib. 1. cap. 19. *z* Basil. in regul. sus. disput. qu. 37. *a* Psalm. 50.

*tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me? Redde mihi lætitiâ salutaris tui, & Spiritu principali confirma me. Et alio in loco b, Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: atque ita denuò ad intermissa opera redeatur. Ergo hæc hora omni devotione digna totâ cordis jucunditate celebrari debet, qua signis visibilibus invisibilis Spiritus manifestari dignatus est veniens super discipulos in linguis igneis, ut verba ignea loquerentur, & legem igneam, legem charitatis igneis linguis prædicarent. Cæli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel c: & qui jam dederat Filium in pretium redemptionis, dedit & Spiritum sanctum in privilegium adoptionis. O Deum, exclamat Guericus *d* mei ordinis Abbas sanctissimus, ô Deum, si fas est dici, prodigum sui præ desiderio hominis. An non prodigum, qui sicut proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; sic nec Spiritui sancto pepercit, ut ita loquar, sed novâ, & mirâ largitate super omnem carnem effudit illum? Qualem utique oportuit, accepimus consolatorem ubique præsentem, protectorem omnipotentem, doctorem omnia scientem. Talem sanè exigebant miseriæ nostræ, vitia nostra, errores nostri: Talem, inquam, qui ubique esset, omnia posset, omnia sciret. Talem scilicet, qui posset tot dispersos colligere, tot oppressos protegere, tot exules revocare, tot incredulos docere, inter tot discrimina custodire.*

2. Quis tantâ polleat eloquentiæ laude, ut cuncta possit recensere pericula, quibus obfidetur quodammodo, & circumvallatur fidelis anima fugiens Ægyptum, ut in deserto religionis abominaciones Ægyptiorum offerat Deo? Persequitur eam Pharaon fugientem cum curribus, & equitibus suis: cogitant unanimiter adversus eam alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur ille magnus exterminator Diabolus venit cum illis. Quid multa? Urger undique inimicus, suscitatur bellum, dimicat fortiter, insidias instruit, machinas admovet, ingens excidium minatur. Jam fluctuat miles hæsitabundus, jam improvise hostium impetu commovetur, & qui noctis excubias fideliter peregerat, qui matutinæ precis splendore perfusus, solisque nascentis calore succensus in diei abscessu se gloriam Deo cantaturum per mundi abstinentiam promiserat, jam necessariis externorum operum occupationibus distractus, temerarius in pro-

b Psalm. 142. *c* Psalm. 67. *d* Gueric. serm. 1. in die Pentec.

prosperis, timidus in adversis, interno Spiritus fervore paululum tepescente clamat cum Propheta e, *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei: & f, Quis consurget mihi adversus malignantes, aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?* In tanto igitur discrimine constitutus præclara orationis arma assumens per viam cæli proficiscitur, portas Domini intrat in confessione, atria ejus in hymnis, cumque ingenti fiducia ad thronum gloriæ accesserit; Nunc, inquit, in tanta necessitate tu sancte Spiritus periclitantium fortitudo, pereuntium salus, iustorum custodia, pugnantium virtus, nunc promptus ingeri dignare nobis nostro refusus pectori. Adde ligna, novam struem beneficiorum, ut de novo igne succensa charitas non solum ardens in se, sed & aliis lucens bonorum operum splendore proximis accendat. Sic veniente Spiritu sancto vires resumit conscientia, fugit timor, augetur spes, & inimici nostri pacatam videntes animam, *Quæ est, inquit g, tanta exultatio? Fugiamus Israel, venit Deus in castra, Deus pugnat pro eis contra nos.* Nimirum *h, resulsit sol in clypeos aureos,* splenduit sancti Spiritus donum septiforme in potentiis animæ, & resplenderunt montes ab eis per boni operis exempla, & fortitudo genium dissipata est. Et *i, Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.*

3. Totum hoc negotium, ejusque seriem, & ordinem explicat elegantissimè mellissimus Scriptor, sanctique Spiritus dulcissimum organum Bernardus *k*: Veniens, inquit, Spiritus sanctus, & visitans miseram animam per septiformem gratiam suam primum infundit ei timorem, timori subinfert pietatem, ut miseriam timoris suavitas consoletur pietatis: pietati scientiam, ne à timore tristitia abundantior absorbeat, ne à pietate præsumptio vana præcipitet: scientiæ fortitudinem, scilicet contra tentationes: ut & proficiatur in bono; scientiæ & fortitudini suffragatur consilium; consilio intellectum addit, ut jam in interiori cordis sui legat per se non solum, quæ consulant homines, sed etiam quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta: intellectui sapientiam, ut, quod hætenus didicerat, jam ei transeat in affectum, ut per semetipsam ex gratia Dei sapiat, & sapidum ei fiat, & dulce quicquid hætenus durum videbatur, & intolerabile. Hanc

doctrinam de donis Spiritus sancti effudit super nos abundè sanctus Pater de plenitudine sua verbum bonum eructans. Illud autem observandum est, non omnibus eundem spiritum infundi, divisiones enim gratiarum sunt, & spiritus ubi vult spirat. Et quidem incipientibus servire Deo dulcedo quædam interna concedi solet, quatenus possit eorum mens, ut Sanctus Diadochus *l* Photicensis Episcopus admonet, sanctorum laborum præmium quantum futurum sit apertè cognoscere. Nam tenui spiritus aura afflato, & quodam quasi coruscamine transeuntis scintillæ tacti exultant, & fervent amore; sed nondum plena charitas eis inest, nondum juxta fluentia, & plenitudines residere dicuntur, ait Philo *m* Carpethiorum Antistes, ut possint arcana scripturarum rimari, & ea Christiano populo ad salutem impertiri. Alii autem perfectiores, & jam in Dei servitio provecti spiritu replentur, cujus ubertate potati bulliunt, exundant, erumpunt, fructificant, signa innovant, immutant mirabilia, nec ullum vanitatis periculum illis subest, quos plenissima charitas omnimodis occupavit.

§. III.

Quid sit portare spiritum, & vivere in spiritu. Oratio ad Spiritum sanctum. Cur hæc hora aurea, & sacra nuncupetur.

1. **C**UM dixisset Apostolus corpora nostra templum esse Spiritus Sancti, ita capitulum luculenta veritate conclusit *n*: *Glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Ergo, inquit Paschasius *o* in fine librorum de Spiritu sancto, qui Spiritu sancto studiosè puritatis templum præparat in corde, per castitatem, & mortificationem carnis Deum portat in corpore, quia eum necesse est corporaliter portare, à quo spiritualiter possidemur. Hoc Sacramentum magnum est in horæ Tertie precibus sedulo recolendum, ut hæc horâ, quâ Spiritus sancti gratia olim in Apostolos diffusa est, talem nos vitam instituere proponamus, qualem exigit ipse Spiritus fons puritatis, gratiarum thesaurus, discretor cognitionum, qui scrutatur profunda cordium, qui mentis intentionem discernit,

Z z z z

qui

e Psalm. 72. f Psalm. 93. g 1. Reg. 4. h 1. Machab. 6. 39. i Psalm. 93. k Bern. serm. 1. de pugna spirituali. si tamen ipse auctor illius est.

l Diadoch. de perfect. cap. 90. m Philo comment. in Cant. cap. 5. vers. 12. n 1. ad Corinth. 6. 19. o Paschas. lib. 2. cap. 12.

qui nec minimam cuiuspiam imperfectionis paleam in cordis habitaculo residere permittit; quam non statim subtilissimæ circumspeditionis flamma comburat. Felix anima, quæcunque illa est, quæ abundans in spe, & virtute Spiritus sancti facta carnis spiritu mortificat, & sollicitè ambulans cum Deo suo mandata ejus efficaciter complet. Felix anima, cui bonum est adherere Deo, ut ita dicere possit: ego in Deo, & Deus in me est, & unus spiritus sumus, quoniam *qui adheret Deo, unus spiritus est.* Hoc est in carne spiritum esse, hoc est esse spiritum in spiritu, imò spiritum sine spiritu, sicut Richardus Victorinus p ostendit his verbis. An fortè hoc est spiritum in spiritu esse, semetipsum intra semetipsum totum colligere, & ea quæ circa carnem, sed etiam in carne geruntur, interim penitus ignorare? An etiam spiritum sine spiritu esse, est semetipsum extra semetipsum, & supra semetipsum totum effundere, & quæ sub ipso vel in ipso fiunt, omninò interim ignorare, & in illud divinitatis arcanum totum intrare? Sanè *Qui adheret Deo unus spiritus est,* & pfallere potest qui est hujusmodi, *Defecit in salutare tuum anima mea.* Sed hæc sublimioris literaturæ lineamenta alibi accuratius exprimere in animo est, si ipse spiritus adjuvet infirmitatem meam. Alioquin socordia depressus est ad Deum, qui justus est, ipse non justus, & mundi adhuc simulachra circumferens erigi non poterit: & peccatorum sarcina gravatus ad terram allidat. *In hoc scimus,* ait Joannes Apostolus q, *quoniam in Christo manemus, quia de spiritu ejus accepimus.*

2. Atque utinam mihi pars sit in sermone isto, ut in Christo manens de spiritu ejus accipiam, quia nemo nisi in spiritu Dei loquens dignus potest illius laudator inveniri. Utinam tangat idem spiritus cor meum dulcedine præsentis suæ, & spiritum rectum innovet in visceribus meis, quia scriptum est, *Rectos decet collaudatio r.* O ardor salutaris, Deus amor, Spiritus paraclete, te nunc appello, te nunc obtestor; qui felicissimo incendio orbem terrarum hac hora succendisti. A quatuor ventis cæli veni Spiritus, veni è patria felicitatis, & beatum illum amoris ignem, quem olim terris inspirasti, virali tuo illapsu eventila semper, ut crescat, & vivat. Emitte de thesauris tuis pretiosum imbrem septemplex gratiæ, cujus suavi dulcore infirmitatis meæ falsugo mitigetur. Uni cor credentium tibi, ut

p Richard. lib. 5. de contempl. cap. 12. q. 1 Joan. 5.
r Psalm. 32.

unum sint, unum sapiant, te unum laudent, & requirant, qui Patri, & Filio cœqualis ab utroque procedis uniens ambos, utpotè amborum individua connexio, unicum gluten, complexus indissolubilis, & pax exuperans omnem sensum. Ex innumero illo ignearum linguarum numero, quas hac hora in discipulos effudisti, non centum linguas inani Poëtarum voto, sed unam dumtaxat exopto, quam si mereret accipere, dicerem utique & ego: *Dominus dedit mihi linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum:* dicerem & illud, *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo. Et de excelso misit ignem in ossibus meis, & erudit me u.* Quod si nemo potest dicere, Dominus JESUS, nisi in Spiritu sancto x: stultum profectò esset sine ejusdem Spiritus assistentia ejus laudibus incumbere, qui major est omni laude.

f Ecl. 51:30. t Isai. 50:4. u Thren. 1:13.
x 1 ad Cor. 12:3.

M E T R U M XIV.

Accelerat cursum Titan, jam tertia magni
Pars est exacta diei.
Cum subito ingenti reboat nemus omne tumultu,
Tellus concussa tremiscit.
Nubila terrifico quat iuntur pulsa fragore,
Tonat alti Regia cæli.
Perque levem rutila discurrunt æra flamma,
Tremulis micat aura favillis.
Qua nova tempestas? miseris an submina terris
Displodit Numinis ira?
Qua flamma hac? varias efformat acumine linguas
Pectusque incendit amore.
Scilicet hic Amor est, proprios effusus in ignes,
Placido qui ulminat ictu.
Pandite mortales, penetratilia pandite cordis,
Deus ecce illabatur orbi.
Jam nova lux menti patefacto aspirat olympo,
Jam sacris ardeo flammis.
Adventum testata Dei jam servida totum
Spirant præcordia Numen.
Jam mea sublimi miscentur gaudia calo.
Votis jam sidera tango.
O Deus, o Patris, Natique è Numine Numen,
Divini spiritus oris.
Amborum communis amor, pax, unio, nexus,
Bonitas, & flamma perennis.
O dator, & donum, divumque æterna potestate
Mundum qui flammis complex.

E.

*Influe cœlestis septena charismata doni,
Numenque infunde supernum.
Atque mea æternus præcordia concremet ignis,
Penetret tua flamma medullas.
Nam nisi ab igne Deo non debet cordis in ara
Comburi victima amoris.*

3. Durandus Tholosanus Præses y horam Tertiam auream ab Italis appellari asseverat. In jure etiam Canonico & sacra nuncupatur, hac enim hora facta Missarum solemnia festivis diebus juxta Ecclesiasticas sanctiones ex decreto Telephori Papæ solemniter celebrantur. Festivus inquam diebus, non omni die, ut volunt Græci, quos Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus impugnât in responsione contra Niceram. Narrat Joannes Moschus aa in prato spirituali cujusdam villæ incolas accusasse Presbyterum, quod nunc hora tertia, nunc hora nona Missam die Dominico celebraret non servans legitimum ordinem sanctæ oblationis. Antiqua enim Ecclesiæ consuetudo horam tertiam, quæ, ut ait Rupertus Abbas, bb cæteris illustrior est, Missis celebrandis ob honorem sancti spiritus destinavit. Configno hoc caput insigni Bernardi cc sententia, ut proprii semper, & alacres in divinis laudibus inveniamur. Nihil ita propriè quemdam in terris representat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum.

y Durand. l. 3. de ritib. Eccl. c. 8. z Distinct. 44. cap. fin. de consec. d. 1. c. Noctæ sanctæ. aa Pratum spirituale c. 27. bb Ruperr. l. 10. de div. off. cap. 18. cc Bern ser. 11. in Cantic.

CAPUT VIII.
DE SEXTA.

S. I.

*Divina majestas in sole præcipue elucet. Solis,
& Dei comparatio ex sanctis Patribus.*

1. **S**OL^a in aspectu amantians in exitu, vas admirabile, opus excelsum. In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris: tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exuffans, & resurgens radiis suis obæcat oculos. Magnus Dominus qui fecit illum, & in sermonibus ejus

a Eccl. 43 : 2.

festinavit iter. Libet enim ab hoc solis encomio sextæ horæ tractationem ordiri, ut, quæ meridiano æstu fervente celebratur, æterni solis majestatem aptissimo nobis symbolo repræsentet. Solem vocat Dionysius b clarissimam imaginem Divinæ bonitatis: Sicut enim ille visibilis creaturæ unicus Princeps quasi quidam naturæ oculus universum condecorat, temporum vicissitudines distinguit, luce & influxu vitam mortalibus administrat: ita Deus omnium causâ, initium, & vita attingit à fine usque ad finem fortiter, omnia penetrat, omnia temperat, omnia continet, omnia vivificat. Dempfit soli materiam Averroes, subtrahamus eidem & quantitatem, aded ut lumen solum supersit mirifica virtute refertum, nulla figura definitum, & in immensum spatium circumquaque diffusum, ita tunc excedens intelligentiam, sicut nunc aciem oculorum exuperat. Hac fermè ratione Deum pro viribus ex sole cognovisse videbimur, qui posuit in ipso tabernaculum suum. Appositè ad hæc Theologorum Phoenix Nazianzenus c. Quod sensibilibus rebus est Sol noster, hoc intelligibilibus est Deus. Ille mundum hunc aspectabilem collustrat, hic invisibilem. Ille corporis oculos ita afficit, ut lumen ipsius intueri possint: hic mentes Deiformes reddit. Ille corporeis rebus oculorum acie præditis, & iis quæ in aspectum cadunt hanc vim tribuit, ut & illa videre, & hæc visu percipi possint; ipse tamen omnia, quæ oculis subjecta sunt, pulchritudine antecellit: hic eodem modo cum tam iis, quæ intelligentia utuntur, quam quæ mente, & intellectu comprehenduntur, hoc afferat, ut & illa intelligant, & hæc intelligentia percipiantur; ipse tamen intelligibilium omnium summus est, in quo desiderium omne consistit, ac desigitur, nec supra eum mens ulla ferri potest, quantumvis Philosophica, altissimè tendens, ac summè curiosa. Hæc Gregorius. Cui concinens Thalassius Monachus ait d, quod est lux videntibus, & visus, hoc est Deus intelligentibus, & intellectis. Sicut autem Sol omnia collustrat, ita Deus sedere dicitur quasi in *πῆλιν οὐρανῶν*, ut Marius Victorinus e loquitur, unde universali oculo, id est, lumine substantiæ suæ omnia videt. Hanc verò Dei cum sole analogiam alii Patres quam plurimi, & Doctores gravissimi variis paradigmaticis expresserunt.

Zzz z Non

b Dionys. c. 4. de div. nominib. c Nazianz. orat. 21. d Thalass. centur. 2. e Mar. Victorin. lib. 4. ad Arrium.

Non fit molestum sub hoc umbraculo aliquantum requiescere, meridies est. Et primò quidem audiamus Augustinum *f* sapientissimum, atque clarissimum Ecclesiarum Christi magistrum, ut eum vocat Facundus Hermianensis. In hoc sole, inquit, tria quaedam licet animadvertere, quod est, quod fulget, quod illuminat: ita in secretissimo Deo, quem vis intelligere, tria quaedam sunt, quod est, quod intelligitur, quod cætera facit intelligi. Idem alibi *g*. In sole tria sunt, & separari omninò non possunt, cursus, splendor & calor. Videmus enim solem in cælo currentem, fulgentem, calentem. Quomodo autem Divinitas à semetipsa discernitur, cum lucis splendor, aut solis calor nullatenus separantur? Divide si potes solem, & tunc demum divide Trinitatem. Disertissimè explicat hanc eandem sententiam Athanasius *h*. Sol est unus, & sunt in eo tres substantiæ, orbis, radius & lux. Orbis est receptaculum æstus, radius repercutitur ad terram, lumen etiam in umbratis locis sine radio lucet. Sic etiam cogita de Deo. Deus est unus, personæ autem unius Dei tres, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Typus Patris est orbis solaris, typus Filii radius, typus Spiritus sancti est lumen solis. Sequitur diffusè vim comparationis exprimere. Ipsum lege Theologe, nam aliis quaedam sunt æquiori lance examinanda, ut cum dicit tres personas non segregari à se invicem: quod intelligendum est in ratione essentiæ, & Diæternæ, quæ una est, & eadem in tribus: etenim personæ in ratione substantiæ relativæ à se invicem realiter distinguuntur.

2. Eodem solis exemplo ad individuæ Trinitatis mysterium explicandum utuntur Cyrillus Alexandrinus *i*, & Eustachius Bonaventura *k*. Rursum Athanasius *l*. Sicut Sol non sordescit tactu terrenorum corporum, ita nec Verbum Dei, cum in corpore innotesceret, inde maculas in se corrivabat. Utque etiam demus, addit Anastasius Sinaita *m*, solem nonnihil feccoris colligere ex istis corporibus, non continè sequetur Deum contrahere vel tantillum contagii. Hilarius *n* Pictaviensis Episcopus:

f Aug. tom. 1. l. 1. Soliloque. de cogn. Dei, & anima, cap. 8. Facundus l. 1. c. 4. *g* Aug. 10. serm. tom. 1. de verb. Apost. *h* Athanas. in qu. variis q. 4. à Cyrill. Alex. l. 6. thesauri c. 1. & in dialog. de Trinit. l. 2. *k* Bonav. in lumen. Eccl. ser. 20. & 21. *l* Athan. de incarnat. *m* Anastas. de rectis fidei dogm. l. 2. in fin. *n* Hilari. in Psal. 118. v. 151.

Solem videmus in quadam cæli parte, prout ejus cursus est, demorantem, & certè ubique protenditur, ubique adest; sed si in clausas domorum fenestras incidat, lumen quidem illius præsto est, sed ipsa sibi lucem ejus, quæ oblectata sunt, denegabunt: ita nos in omnibus vitæ nostræ operibus circumspècti, & ad Deum patentes esse debemus. Rationalis enim oculus, à primis Venetorum Patriarcha, eandem similitudinem fusius pertractans, spiritualis lucis nequam est capax, nisi per liberi consensum arbitrii se offerat, seque subiciat. Irenæus Martyr *p* antiquissimus Scriptor: Quemadmodum Solis, qui propter aliquam infirmitatem oculorum non possunt contemplari lumen ejus, lucem non præstat: ita & Deus infidelium mentes excœcavit, ut eis non fulgeat illuminatio Evangelii gloriæ Christi.

3. Cæterum sicut Sol omnibus æqualiter nascitur, & super omnes pari, & æquali luce diffunditur, ita, teste Cypriano *q*, Christus Sol, & dies verus in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur. Sed, quod Fulgentius *r* Ruspensis Episcopus advertit, Divina gratia ipsum solem materiale imitatur. Hic idem permanens aliter à faucibus, aliter à sanis oculis videtur: gratia etiam aliter benè dispositis, aliter aliis infunditur. Quæ diversitas in sola diversitate sanitatis, vel infirmitatis bonæ, vel prævæ dispositionis consistit. Ad hæc Bernardus *s*; Sicut Sol, inquit, non omnes, quibus lucet, etiam calefacit: sic Deus, qui vera sapientia est, multos quos docet quid sit faciendum, non continè etiam accendit ad faciendum. Aliud est multas divitias scire, aliud & possidere: nec notitia divitem facit, sed possessio. De eadem re sic scribit Olympiodorus *t*. Sicut qui solem hunc sensibilem vident, per ipsius lumen visibilia intuentur, atque ita sensus ipsos variis officiis intendunt: qui verò solem non vident, in tenebris defident otiosi, eo quod non vident, quæ solis lumine illustrantur: ita pari ratione & qui intelligibilem contuentur Solem, lumen in mente sua recipiunt, per quod planè vident, atque cognoscunt quæ ad ejusdem Solis voluntatem sibi agenda sunt, quæ vè etiam dimittenda. Marcellus Ficinus *u* nulli Platonicorum secundus Orphicam Solis cum Deo comparationem

in
o Laur. Justin. de humilit. c. 4. *p* Iren. l. 4. cap. 48.
q Cypri. l. 1. ep. 7. *r* Fulg. l. 2. ad Monimum. *s* Bern. ser. 23. in Cant. *t* Olymp. in Eccles. c. 11. *u* Ficini. Episc. l. 6. & in Dionys. cap. 4.

in Epistolis eleganter exequitur, itemque libro de Sole, & in Commentariis ad Dionysium de Divinis Nominibus. Idem argumentum copiosissime tractant Justinus Martyr x, Theophilus y Antiochenus, Clemens Alexandrinus z, Joannes Damascenus a, Marcus Eremita b, Venerabilis Beda c, Thomas Cisterciensis d & alii. Verum enim verò in multis similibus, in plerisque dissimilibus justitiæ Soli Sol creatus reperitur. Ideò Solis, & Dei similitudinem non omnino approbare videtur Gregorius Nazianzenus oratione quinta de Theologia. Non est exacta finiti, & infiniti similitudo. Urit Sol, capiti nocet, & sponfam olim decoloravit, umbris offuscatur, Lunæ objectione deficit, diei ac noctis alteratione variatur. At Deus lumen est indeficiens, nulla apud eum transmutatio, nulla vicissitudinis obumbratio. Concinnè Simeon Theologus e. Sensibilis Sol videtur, non videt: intellectualis videtur ab his qui digni sunt, & omnes videt, magis autem eos qui ipsum vident. Sensibilis non loquitur, nec cuiquam loqui donat: intellectualis & loquitur cum amicis suis, & dat omnibus ut loquantur. Ille oritur, & occidit: hic in justis nunquam occidit; nam de impiis scriptum est f, *Occider eis Sol in meridie*. Utinam Sol verus qui nescit occasum illuminet luce perpetua corda nostra, & intelligentias nostras, ut in claritate ejus jugiter ambulemus sine offensione.

x Justin. in expos. fidei. y Theoph. ad Autolyt. lib. 2. z Clem. Alex. orat. ad Grac. a Jo. Damasc. or. de Transfigur. b Marc. Eremita l. de Baptismo. c Beda tom. 2. lib. de substantiis. d Tho. Cisterc. l. 9. in Cantic. e Simeon Theol. in moralibus cap. 125. f Cantic. 126. f Amor. 8: 9.

METRUM XV.

O poli Princeps radiate Titan,
 Naturæ eximium decus,
 Cuncta qui vultus rapidis quadrigis
 Cæli è vertice conspicias.
 Te parens vatum fidibus canoris
 Psallit Mæonius senex.
 Te genus Divinum Rhodopes sub antro
 Orpheus Threicius canit.
 Et tuas mendax veneratur aras
 Cultu Græcia supplicij.
 Attamen cæcos pelagi recessus,
 Et terræ intima viscera,
 Haud potes clara penetrare luce,
 Vel iristes Erebi specus.

*Sed celer cursu peragrans citato
 Pronas Zodiaci vias,
 Lucidis nascens radiis corruscas,
 Et noctem revehis cadens.
 Fulgidæ verò dominator ætheræ,
 Mundi maximus arbiter,
 Intimas rerum penetrans latebras,
 Et vastos animi sinus,
 Unico mentis speculatur ictu
 Quicquid subjacet ætheri.
 Nec potest terræ prohibere moles,
 Aut nox, atque nubila;
 Quin sciat quicquid spaciosus amplo
 Orbis continet ambitu.
 Verus hic ergo celebrandus est Sol,
 Qui solus videt omnia.*

§. II.

Effectus Solis in meridie quomodo impiis, & justis conveniat. Quid sit merides. Affectus Sponse quærentis ubi pascat, ubi cubet Sponsus. Cur meridie oremus. Mediocritas laudatur.

1. **S**OL itaque aureo jubare rutilans Dei gloriam annunciat, dum oritur: cujus formositatem declarans Beatus David inquit g, *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. At in meridiano quasi succensa fornax exurens terram, igneosque radios exuffans nonne immensam, & incessabilem Divini luminis claritatem evidentissime demonstrat? Sanè Deus noster ignis consumens est h, fornacem custodiens in operibus ardoris, quia sceleratis supplicia preparat gehennæ: tripliciter exurens montes, quia superbos ob elatas cogitationes, ob tumentia verba, ob sacrilegas operationes æternis ignibus castigat. Radiis suis obcæcat oculos, quia doctrina sua impiorum mentes obtenebrat, ut videntes non videant, & audientes non intelligant i; & qui in sordibus sunt, sordescant adhuc k. Cumque audire noluerint dicentem l, *Ambulate dum lucem habetis*, dicent postea cum Propheta m, *Impegimus meridie quasi in tenebris, multiplicatæ sunt iniquitates nostræ*. De quibus dixit Job n; *Per diem incurrent tenebras, & quasi nocte sic palpabunt in meridie*. At in extrema discussionis die fiet quod sequitur o, *In*
 Z z z z 3 *conspicetis*

g Psalm. 18. h Deuter. 4: 24. i Luc. 8: 10.
 k Apoc. 22: 11. l Joan. 12: 35. m Isai. 59: 10, 12. n Job. 5: 14. o Malach. 3: 2.

conspetu ardoris ejus quis poterit sustinere: Quis poterit cogitare diem adventus ejus? Quis poterit habitare cum ardentibus sempiternis? Hæc de impiis, nam justorum alia est ratio. Hos tripliciter exurit, quia cor eorum igne pœnitentiæ per contritionem, confessionem, & satisfactionem emundat: sanctæ Trinitatis cognitione illustrat; fide, spe, & charitate corroborat. Igneis doctrinæ radiis mentes illorum succendit, & inextinguibili amoris incendio omnino liquefacit, & renovat, efficitque Divinæ naturæ confortes. Hinc illæ mentis elevationes, suspensiones mysticæ, spirituales ebrietates: hinc uniones, raptus, extases: hinc illæ voces q. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus loquutus est: ego dilecto meo, & ad me conversio ejus r. Fulcite me floribus, & stipate me malis, quia amore langueo* f. Sextam igitur horam colimus, & solemni precum recitatione observamus, ut, dum Sol in auge comburit terram, Sol etiam mysticus incalescat super nos, & ferventissimo suæ dilectionis ardore corda nostra succendat, & in eis requiescat. Quia enim sponsus, ait Philippus Abbas t, amari desiderat, amor autem ignis est, quos amore conspicit accendi, & ardere, in his tanquam in lectulo quietis gratia vult jacere. Et propter hoc non nisi in meridie cubare perhibetur, cum Sol cœlo vicinior à terra longius removeretur: cum solito ferventior emittit radios puriores, cum majori torret incendio campos ætheris largiores. Nam sicut hostis nequam, auctor mali, princeps perditæ Babilonis profundas noctis tenebras, & frigus diligit Aquilonis: Sic Sponsus qui Deus est, lux indeficiens, ardens ignis, gratiam sui præsentiam longè faciens à dissimilibus, & indignis, in his cubat, & repausat, quos Divini amoris face ignea sentit uri, qui ad perfectum diem, & ferventem meridiem sunt evocati, unus cum Deo spiritus solo carnis adhuc contubernio non perfecti. Hæc Philippus, cujus sententiæ aliam similem adjungo S. Justini Urgelitani n. Christus ait, in Ecclesia Catholica tanquam in meridie cubans mundum universum suo fulgore perfundit, & in spiritu ferventibus requiescit: atque ex ea charitate, qua orbem universum irradiat, credentes in se populos quotidie pascit.

2. Ideo sponsa locum sibi postulat indicari, ubi pascat, ubi cubet Sponsus in meridie. Jam

p *Esai. 33: 14. q Cant. 5: 6. r Ibid. 7: 10. s Ibid. 23: 8. t Philipp. Abb. in Cant. l. 1. c. 25. u Justin Urgelitani. comm. in Cant. c. 1.*

nox præcessit, jam dies appropinquavit, jam refulsit aurora, nunc meridianum instat tempus, tempus lucis splendidioris, tempus in quo beneplacitum est Deo inveniri in eo. Porro meridies tempus est gratiæ, ait Abbas Tuitiensis x. Meridies magnum fervorem, magnumque splendorem significat, ait Augustinus y. Meridies splendor est Divinæ Majestatis, ait Origines z. Fervor meridiani Solis, inquit Beda a, consuevit in Scripturis ardorem dilectionis, & illustrationem Spiritus sancti significare. Propterea Manichæi meridianam partem malo tribuebant, ut refert Titus b Bostorum Episcopus, quia luce & charitate carebant. Meridies, inquit Ambrosius c, præsentis sæculi Ecclesia est, ubi justitia splendet, ubi fulget judicium sicut meridies, ubi umbra non cernitur. Meridies, inquit Aponius d, mundi renunciatio est, & perfecta rerum terrenarum abnegatio. Meridies, ait Thomas Cisterciensis e, est claritas contemplativorum, qui adhuc laborant in hac peregrinatione. Tandem meridies est visio beatifica, ut testatur Bernardus f, quæ est electorum perpetua merces. In hoc meridie, ait Laurentius Justinianus g, cognoscitur in Verbo Pater, in Genitore Filius, ab utroque emanatio, processio, & amplexus, in tribus videlicet personis una substantia, una Deitas, par gloria, æqualis potestas, & indivisibilis unitas, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, unus Deus sine initio, æternus, immensus, beatus. O verè meridies, plenitudo fervoris, & lucis, Solis statio, umbrarum exterminatio! O perenne solstitium, quando jam non inclinabitur dies, & nox absorpta erit in victoria! Non quæro alia tempora, dulcissime sponse, unica requies, & solatium animæ meæ, non quæro alia tempora, quando in vespere, quando diluculo, quando in solis pascis occubitu: illud tempus inquirò, quando plena luce in tuæ Majestatis splendore versaris. Illum opto meridiem, in quo nullæ sunt tenebræ, illum scilicet meridiem, quem optabat qui dicebat h, *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Hunc locum, hunc meridiem indica mihi, suavissime sponse, quem diligit anima mea: ut quemadmodum Jacob i adhuc in corpore manens vidit

x *Ruper. Abb. com. in Abdiam. y Aug. serm. 50. de verb. Dom. z Origen. hom. 1. in Cant. a Beda ro. 8. lib. de templ. Sal. c. 20. b Titus Bost. lib. 1. adv. Manichæos. c Amb. 4. exa. c. 5. d Apon. in isto l. 2. in Cant. e Thom. Cister. l. 2. comm. in Cant. f Bernard. serm. 33. in Cant. g Laur. Justin. de humilit. c. 24. h Psal. 75. i Genes. 32: 3.*

vidit Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima ejus: vel certè sicut Moyses k vidit eum non per figuras, & ænigmata, seu per somnia, uti Prophetæ alii, sed modo planè præcelsenti, atque inexperto cæteris, sibi noto, & Deo: vel sicut Ilias l revelatis oculis cordis vidit eum super solium excelsum, & elevatum: vel etiam quomodo Paulus raptus in Paradisum m audiit verba ineffabilia, & Dominum suum JESUM CHRISTUM vidit oculis suis: ita ego quoq; in lumine tuo, & in decore tuo per mentis excessum te merear contemplari pascentem uberius, quiescentem securius. Nam & hic pascis, sed non in saturitate. Nec cubare licet, sed stare, & vigilare oportet propter timores nocturnos. Heu nec clara lux, nec plena refectio, nec mansio tuta, & ideò indica mihi: ubi pascas, ubi cubes in meridie n. Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Vultus tuus meridies est, vultum tuum Domine requiro: Quando exultabo in conspectu tuo, & delectabor in lætitia? Quando licebit mihi cum sponsa dicere, Inveni quem diligit anima mea & sub umbra illius, quem desideraveram, sedi p. Sub umbra scilicet illa, qua se protegi postulabat David, ne per diem à Sole combureretur, vel à Luna pernoctem. Sub illa, inquam, umbra, quam spiritualis ministrat gratia torrida sæculi hujus, & mundi æstiva fugientibus. Sub hac umbra calor concupiscentiæ refrigerium, ventus elationis obstaculum habet, infirmitas remedium, mœror solatium, omne vitium temperamentum. Sub hac umbra securus quiescam, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ, donec indices mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.

k Num. 12: 7. l Isai. 6: 1. m 2 ad Cor. 12: 2.
n Cant. 1: 6. o Cant. 3: 4. p Ibid. 2: 3.

METRUM XVI.

TE semel at possim, mea lux, meæ vitæ, videre,
Quot mihi sunt sylvæ, quot penetranda jugâ?
Nec tamen ulla tui miser æspes certa videndi,
Ulla nec alloqui spes mihi certa datur.
Ab! dixi, vacuo dum te perquiro cubili,
Cur jugis è nostro, transjuga sponse, toro,
Dumque iterum vios, iterumque requiro plateas,
Perditus, heu! dixi, siccome sponse lætes?
Siccine inaccessos te frustra quero per agros,
Per jugâ montanis non adenda seris?
Quæ te læstra regunt? quæ te, mea vitæ, lætescè,

Quæ loca, qua sylvæ, qua tenet atra specus?
Cur jugis, ut sero procul hostis ab hoste recedit,
Quæve tua potius causa fuisse jugâ?
Credideram siclamque jugâ n, sictumque recessum,
Iram namque docet iungere cantus amor.
At geritur, video, res seria: sapè revertar
Dixisti fugiens, at amon usque lætes,
Usque lætes, nec te mea multa pericula tangunt,
Nec saltem ostendis quo tenere loco.
Aspice, jam medius flagrantibus aestuat horis
Phæbus, & in jesso eruet ab igne caput.
Quis tibi, quis tantis nunc præbet in æstibus umbram?
Ab! cave ne teneros iras arena pedes.
Sponse cave æstivo ne sorte calore liquefcas,
Ne te ardens medius Phæbus ab axe cremet.
O ego si scirem jacentis quo cespite languens,
Umbrosa nemoris iungerer ipsa vice.
Exciperem objecto serventem corpore solem,
Teque meis tenerem, sponse eperte, comis.
Ergo ostende precor, mea spes, mea sola voluptas,
Quæ regio invidet te mihi, quodve nemus,
Nulli te quærens parcam, dilecte, labori,
Exul in extremo sis licet orbe vagus.
Jamque ego te agnosens collo dabo brachia circum,
Et pedibus ponam mollia vincla tuis.
Sed quid ago? moriar currens, languensque per agros,
Lassa etenim neque te fugitroves equi.
Ergo ostende precor, mea spes, mea vitæ, meum cor,
Quæ regio invidet te mihi, quisve locus.
Siste gradum, tantique semel miserere laboris,
Jam potes in patitis mihiior esse meis.
Aspice, jam medius sol altior æstitit orbe,
Herbiferamque urens æstus hiulcat humum.
Jam passot valles, umbræque animalia quatant
Inque acri tellus vixit anhelata rogo.
In ramis volucres languent, Neprunus in undis,
Itaque cælesti cuncta calore cadant.
Huc igitur, mea vitæ, veni: protectus ab æstæ
Hic eris, ad solitos sponse recurre lætes.
Et in dorali mihi commoda villula campo,
Fere ubi perpetuo florida ridet humus.
Hic antrum ingens est, convexo tegmine densum,
Frigida ubi ardentis submovet umbra rogos.
Inscius æstatis locus est, cumque altior est sol,
Incipit hic modica luce rubere dies.
Nec desunt gelidi fontes, rivosque loquaces,
Murmure qui somnum conciliare queant,
Abdita quin etiam tacito spelunca recessu
Cælabit nostras, o mea vitæ, faces.
Nullus erit, placidos qui turbet acerbus amores,
Oscula, nullus erit, qui prohibere queat.
Huc mea lux, prospera, præcutit irbibas, atque tumultu
Optata ut possim sola quiete irui.
Aspice, stelligerum multo tibi flore paratur
Sponse iter, & si regulo te vocat aura sono.

Ergo

Ergo age, jam propera, qui causa mei tormenti
Solutus es, ab! tantas spes meas, rumpe moras,
Rumpe moras, alioquin languens, usque flammis
Sponse tuis, sine te deficiens moriar.

3. Meridie autem oramus, quia Christus Sal-
vator noster semper medio est oblectatus. Nam
ut salutem operaretur in medio terræ, media
nocte natus est in medio duorum animalium, &
adhuc puer in medio Doctorum disputavit. Cum
vitæ autem, atque virtutum jam perfecta susce-
pisset incrementa, sua volens impartiri charisma-
ta, dicebat q, Ego sum in medio vestri, sicut qui
ministrat. Affixus Cruci in medio latronum, fu-
turo præludens iudicio, bonum ad dexteram, ma-
lum habuit ad sinistram. Post triumphalem re-
surrectionem stans in medio discipulorum pacis
sua pignore ditavit illos. In regno autem suo vi-
sus est à Joanne in medio throni, in medio qua-
tuor animalium, in medio seniorum. Nos etiam
inter medios Cleros, medioque die, in medio
Ecclesiæ laudem dicimus illi, ut doceat nos me-
dium in omnibus tenere, dictumque illud sapien-
tium in medio cordis nostri exculpere dignetur,
ut ne quid nimis. Adagium celeberrimum est
apud Joannem Tzetzem r, Dimidium plus toto:
nihil est enim aurea mediocritate præstabilius,
atque ut Tragicus canit. s

Quisquis medium defugit iter,
Stabili nunquam tramite curret.

Hæc est autem mediocritas non ambulare in ma-
gnis, neque in mirabilibus super se: & ut docet
Bernardus t, Non infra dejici, non attolli supra,
non evadere in longius, non extendi in latius.
Locus medius tutus est. Medium sedes modi,
& modus virtus. Medium qui deserit, malos
exitus habet. Galenus u medium commendat tan-
quam primarium valetudinis fulcimentum: &
Moderatus Columella x illud præceptum maxi-
mè extollit, quod Sapiens unus de septem poste-
ritati pronuntiavit, μέγας ἄριστος medium sem-
per, & modum rebus adhibendum. Denique
carmen aureum Pythagoræ y est; Optima res
medium est super omnia.

q Luc. 22: 27. r Joa. Tzetzes Chiliad. 7. v. 235.
s Seneca in Oepid. act. 1. t Bern. de consider. lib. 2.
cap. 10. u Galen. de san. tuenda lib. 1. cap. 8. circa
finem. x Columel. lib. 1. cap. 3. y Pythag. in car-
minibus anteis v. 38.

M E T R U M X V I I .

NON fasces igitur, non nimias opes,
Non plebis cupiam munera divitis,
Latam fingere vitam
Si possim arbitrio meo.
Ridet terrifici fulminis impetum
Arbor, quæ gelidis vallibus incubat;
Nec cæli timet iram
Tæti pauperis incola.
Certat dum volucres vincere cælicas,
Nomen Dædalides eripuit freto:
Alier, dum errat in axe,
In flumen stolidus ruit.
Stet quicumque volet culmine lubrico,
Regalique potens sanguine: mox eris
Stulta fabula plebis,
Mundique instabilis jocus.
In magnis requies est minor: imminet
Mors illis gravior, qui nimis omnibus
Fama, & stemmate noti,
Ignoti percutunt sibi.

S. III.

Dæmonium meridianum quid sit. Sextæ ho-
ræ mysteria ex sacris libris. Hac hora cru-
cifixus est Christus.

1. SEXTA item hora oratio necessaria est San-
ctorum exemplo, ait Basilus z, ut libere-
mur ab incurfu, & dæmonio meridiano: ab in-
fidiis scilicet malignorum spirituum, qui cum
merito tenebrose voluntatis in malo profus ob-
firmatæ nocte perpetua damnati sint, solent ta-
men ad decipiendos incautiores non solum
diem, sed & meridiem simulare. Hoc Sanctus
Bruno a Carthusianorum sanctissimus Institutor
ad eos similiter refert, qui ex patre diabolo orti
desideria ejus, & opera conantur perficere. Hæ-
retici, inquit, in meridiano videntur esse, id
est ad modum meridiæ ferventes in bona opera-
tione, cum quædam simulatoria bona opera fa-
ciant, & clari, & splendidi in humanis, & subtilibus
sententiis suis falsissimis videantur. Hi meridiem
promittunt, sed quoniam Christi lumen non ha-
bent, non sunt meridies, ait Hieronymus b, sed
dæmonium meridianum. Isti sunt qui dicunt;
Ecce hic est Christus, ecce illic c, confluunt
autem

z Basl. reg. fus. q. 37. a Bruno. in Psal. 90. b Hieron.
in eumd. Psal. c Marc. 13: 21.

autem ad illos multi, & credunt eis, quos faciunt filios gehennæ duplo quàm se. Sed & malis Christianis tanquam membris suis utitur tentator, ut improvidis sub specie boni malum persuadeat. Sententia aurea oris aurei est *d*: Cum in tentationibus impugnatur à malignis Christianis anima Christiana pro sua religione, & pro sua fide confusus nascitur, & ardor cum rubore, & fit quasi meridies, quando igneus est Sol. Nam illi, qui alta radice non sunt fundati, tempore tentationis, exorto Sole arefiunt. Et hoc facit dæmon meridianus, ut recedat Christianus à fide: vel verecundia perfusus confundatur Christianus esse. Cur hoc, nisi quia non est ibi meridies, & perspicua lux, qua veritas agnoscat? Sicut igitur in noctis tenebris, ait Origenes *e*, ita & in meridie plures dæmonum tentationes, quàm cæteris temporibus se demonstrant. Utinam diffundat radios suos super nos ille meridies, qui totus dies est, qui vesperam nescit, & ignorat occasum, cujus fulgore coruscante Angelum tenebricosum, qui se transfiguratur in Angelum lucis, à vero sanctoque Angelo discernamus, ut non notemur à Propheta tanquam ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.

2. Orandum meridie, inquit Ambrosius *f*, quia hoc tempore virtus Divinæ lucis operatur. Abraham *g* circa meridiem sobrias tendebat excubias, & boni aliquot expectabat eventus, levans oculos suos, ac finitima perlustrans, quod eo tempore adveniente gratiam sibi quaereret. Illo igitur tempore cum duobus Angelis suis Divinus ejus hospes ad venit: illo tempore Christum suscepit hospitio, illo tempore illa quæ legis, & intelligis, celebrata mysteria sunt. Quando enim magis debuit fidelem virum Divina illuminare præsentia, quàm cum lux diei plenior refulgeret? Meritoque etiam sanctus Joseph *h* receperis fratribus, & accersito juniore germano, quem maximè diligebat, meridie instaurat convivium. Erat enim meridies in sancti Joseph pectore, quando lætas epulas fratribus splendentis gratiæ ministrabat, suavissimique cibos alloqui dividebat. Habeamus ergo in nobis meridiem. Meridies est ei, cujus justitiæ Sol refulget, & cujus opere bono, vel cogitationibus innoxiiis, & pura mente, atque sincera pascitur Christus. Disce igitur quemadmodum tibi ipsi fias meridies. Revela, in-

quit *i*, *Domino vitam tuam, & spera in eum, & ipse faciet, & deducet sicut lumen justitiam tuam, & judicium tuum tanquam meridiem.* Ubi enim vera est fides, ibi veri luminis gratia est. Ubi innocentiae prolixior custodia, virtutumque longa meditatione processus, ibi splendor bonæ conscientiae diu permanens, ibi intelligibilis est meridies, ibi & tu Christo mentis tuæ epulas exhibebis, & in divitiis ejus etiam ipse pascere. Hactenus Ambrosius. Hora igitur sexta Abraham tres Angelos in typum Sanctissimæ Trinitatis hospitio suscepit. Equidem, ut observat Origenes *k*, ad Abraham venerunt tres viii meridie, ad Loth duo vespere venerunt: non enim capiebat Loth meridianæ lucis magnitudinem, cujus capax erat Abraham. Joseph item ex hac hora instructo fratribus convivio admirandum Eucharistiæ Sacramentum præfiguravit. Eadem hora mulier Samaritana *l* ad Christum sedentem super puteum fiducialiter accedens edocta est ab illo, quemadmodum Deus sit adorandus, quid sit aqua viva, quid fons saliens in vitam æternam. Notat autem Chrysostomus *m* eam hora sexta ivisse ad hauriendam aquam, quia ipsa hora mandatum in paradiso Eva transgressa est. Petrus *n* quoque hac hora ascendit superiora, ut oraret, & in mentis excessu vidit linteum magnum submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terræ, & volatilia cœli, ex qua visione futuram Gentium conversionem intellexit. Omitto ex Origenes *o*, Anselmo *p*, Beda *q*, Theophylacto *r*, & aliis, quod sexta hora Protoparentes nostri mortiferum illud vitæ arboris pomum comederunt humani generis ante peremptores, quàm parentes. Omitto ex Augustino *s* quod sexta hora sextam mundi ætatem denotat tanquam senectutem veteris hominis, quo jubemur exui, ut induamur novo, qui secundum Deum creatus est. Omitto quod ipsa hora ad senarii numeri perfectionem mysterio non caret *t*: Senarius enim inter perfectos numeros primum locum tenens Divinæ laudis indicat perfectionem. Omitto quod sicut hora prima incipientium statum, tertia proficientium designat, ita sexta perfectionis, sanctitatisque culmen manifestat.

A a a a a

3. Aliud

i Psalm. 36. *k* Origen. hom. 4. in Genesim. 1 Ioann. 4. 6. *m* Chrysof. orat. in Samaritanam tom. 5. *n* Act. 10. 9. *o* Origen. tr. 35. in Matth. p. Anselm. seu Petrus Babylon in Matth. c. 27. v. 45. *q* Beda, & Theoph. ibid. s. Aug. l. 83. qq. qu. 64. r. Amalar. l. 3. c. 5.

d Chrysof. in ps. 90. *e* Origen. vel alius Auctor sub ejus nomine lib. 1. in Job. s. Ambros. in ps. 118. v. 62. *g* Gen. 18. 1. *h* Gen. 43. 16.

3. Aliud spectaculum est sexta hora exhibitum, aliud mysterium hac hora impletum, quod animum meum magis percellit, commovet viscera, concutit mentem, calamum urget, Christus Dei Filius, heu quantum in hoc nomine & doloris, & sensus! Jesus inquam Salvator mundi hac ipsa hora pro salute nostra crudeliter crucifixus. Ita sanè congruum fuit, ait Cyrillus Hierosolymitanus ^u, ut, quo tempore everfio fuit, eodem fieret reparatio. Congruum fuit, ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret: & eadem hora, qua morbus irreperat, remedium applicaretur. Ecce Abel occisus à fratre, ecce Isaac ligatus à patre, ecce serpens aeneus in deserto exaltatus à Moysè, ecce Agnus immaculatus in lege, Deus occisus ab homine. Ecce, homo, vita tua quasi pendens ante te. Hostia scilicet pacifica, hostia pro peccatis extra templum, extra civitatem, extra castra immolatur, ut veterum victimarum figurâ cessante, hostia nova novo altari imponeretur, & crux Christi gloriosa in conspectu totius orbis exaltaretur: ipso Domino magnæ promissionis fidem adimplente, qui dixerat ^x; *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Ne quaeras ultra, ô Sponsa, ubi cubet Sponsus in meridie: crux lectulus ejus est, crux locus quietis ejus, in quo facibus amoris totus exardescens suavissimè meridiatur. Et quidem cum animam potestate sua positurus esset, & quo genere mortis id facere vellet, ejus subesset arbitrio, suspendium elegit anima ejus, ut suspensus à terra nos secum à terrenis ad superna elevaret. Dicamus igitur & nos cum sancto Job ^y, *Suspendium elegit anima mea, & mortem ossa mea.* Mors ossium mortificatio carnis est, inquit Absalon Abbas ^z, suspendium celsitudo contemplationis. Et certe dulce suspendium est caelum oratione pulsare, sancta meditatione penetrare, mirari Angelorum felicitatem, venerari justorum beatitudinem, devotione Deum quaerere, dilectione apprehendere. O si spiritus assumeret me cum Propheta ^a inter caelum & terram, quam dulce suspendium foret animæ meæ! Ut, quæ assurgere nequit ad celsitudinem contemplationis, saltem à terra paulisper elevata ad portas mortis non appropinquet. Expergiscere anima mea, & quæ non potes ad alta Dei attolli, infirma ejus virtute qua vales amplexare: dirige mentis aciem ad figuram cla-

vorum, ad cicatrices vulnerum, & quem regnantem super choros Angelorum intueri non vales, cruci affixum contemplare. Immerge te in sanguine Christi crucifixi, ut Seraphica virgo Catharina Senensis ^b hortatur; lava te in sanguine, satia & inebria te sanguine, induere sanguine, contristare & lætare in sanguine, cresce in sanguine, confortare in sanguine, curre, vive, & permane in sanguine. Quid enim tam piium fidelium affectibus, inquit Guericus Abbas ^c, quid tam medicinale moribus, quid sic interficit peccata, crucifigit vitia, virtutes nutrit, & roborat, sicut crucifixi memoria? Loquatur ergo Paulus inter perfectos sapientiam in mysterio absconditam, mihi, cujus imperfectum vident etiam oculi hominum, loquatur Christum crucifixum, his quidem qui pereunt stultitiam, mihi autem, & his qui salvi sunt planè Dei virtutem, Deique sapientiam: mihi prorsus altissimam, atque nobilissimam Philosophiam, per quam infatuatam irrideo tam mundi, quam carnis sapientiam. Quam perfectum me putarem, quam provectum in sapientia, si crucifixi vel idoneus inveniret auditor, qui factus est nobis à Deo non solum sapientia, sed & justitia, & sanctificatio, & redemptio ^d. Omnino si Christo confixus es cruci, sapiens es, liber es. An non sapiens, qui cum Christo exaltatus à terra sapit, & quaerit quæ sursum sunt? An non justus, in quo destructum est corpus peccati, ut ultra non serviat peccato? An non sanctus, qui semetipsum exhibuit hostiam vivam, sanctam, placentem Deo? An non liber, quem filius liberavit? Dicant igitur ^e, qui redempti sunt à Domino, quos redemit de manu inimici, dicant voce magna, *f* *Mihi autem abste gloriarì, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Hoc est precipuum horæ sextæ Sacramentum, cui sanctus Prosper Aquitanicus ^g addit Christum eadem hora in caelum ascendisse. Sicut enim hora sexta crucifixus est, sic & ascendit in caelum, ut doceret nos exemplo suo, quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Caelorum.* Præcessit ille bajulans sibi crucem, ut & tu tuam portes crucem, & mori affectes in cruce. Non est salus animæ, nec spes æternæ vitæ nisi in cruce, ut sanctè scribit nunquam satis lau-

^u Cyrill. Hierosol. cat. 14. ^x Joann. 12: 32. ^y Job. 7: 13. ^z Absalon Abb. serm. 5. in Advent. à Ezech. 8: 3.

^b Cathar. Senen. ep. 14. ad Raymundum. ^c Gueric. ser. 2. in Dominicam Palmarum. ^d 1 Cor. 1: 30. ^e Psal. 106. ^f Galat. 6: 14. ^g Prosper. sent. 203. ex scriptis Aug.

laudatus Auctor piissimi libelli de imitatione Christi b. Ad crucem igitur aspira anima mea, crucem dilige, crucem amplectere, sponsum tuum cruci confixum contemplare. Hic enim fervet amoris merities, hic Sol in auge est, hic ardor meridianus invalescit, & in plenitudine lucis dilatat radios dilectionis. Felix merities, si nunquam vergeret ad occasum, si calor ejus nunquam tepesceret, si liceret animæ in fervida ejus luce diu cum sponso permanere. Sed non est hujus vitæ tanta felicitas, nam post Sextam sequitur Nonna, qua hora fulscatur splendor, fervor tepescit, & die ad Vesperam inclinante instabilitas, & imperfectio humanæ mentis indicatur.

h Lib. 1. cap. 12.

CAPUT IX.
DENONA.

§. I.

Humanarum rerum inconstantia. Eaper Nonnam designatur. Utilitas tentationum.

ERgonè semper in lubrico versamur miseri homines, & nunquam in eodem statu permanemus? Siccine certa lege statutum est, ut nihil stabile reperiatur sub sole, contrariis motibus, perpetuaque vertigine circumvolvantur universa? Hæc nimirum naturæ nostræ conditio est. Circulus quidam humanarum revolvitur rerum, ut Agapetus a Diaconus sapienter scribit, qui modo sic, modo aliter agit ipsas, & circumfert, atque in his inæqualitas est, eo quod nihil ex præsentibus in eodem statu permaneat. Et quis est qui possit in hac versatili rerum mutatione seipsum semper immutabilem exhibere? Nesciunt stare successus, ait quidam declamator b, & quoties prodire felicitas non potest, redit. Rectè Basilius c Imperator ad Leonem filium; Existima, fili, vitam istam nihil fixum, nihilque stabile, aut perpetuum habere; nam subinde res aliter, atque aliter variantur, & rotæ in morem, quæ circumvolvitur, ea quæ sursum sunt deorsum feruntur, & quæ deorsum jacent, sursum evehuntur. Glorietur David d

a Agapet. de off. Regis ad Justinianum Imp. cap. 11. b Cal. Flaccus decl. 8. c Basl. in exhortat. ad filium cap. 38. d Psalm 29.

in abundantia sua, & dicat, *Non movebor in æternum.* Deus verò faciem ab illo parumper avertat, jam effunduntur gressus ejus, jam labitur, jam conturbatur. Victrices manus attollat Moyses e in cælum; mox enim fatigatas, segnesque demittet, & vincet Amalechites. Jactet se Petrus f mortem ultro appetens pro Christo, mox ad vilissimam ancillulæ vocem ipsum Dei Filium turpi sacrilegio denegabit. Grandia nos etiam spiremus facinora, dum Sol in auge, dum merities in mente, dum lux plenior fulget in anima: jam enim ad vesperam vergente sole, jam senescente die, jam nocte appropinquante nos etiam tepescimus & declinamus, ac præcipites labimur in deteriora. Inconstans est vita nostra, ærumnosa peregrinatio, vita caduca, vita laboriosa, in qua momentis singulis per varios mutabilitatis defectus diversis motibus agitatur. Bibimus de calice mixto ex hoc in hoc, veniunt super nos tempora multa, tempus amplexandi, tempus cessandi ab amplexibus, tempus ridendi, tempus flendi. Sed heu JESU bone! si appendantur in statera horæ gaudii, & horæ luctus; horæ lucis, & tenebrarum, quasi arena maris hæc graviores apparebunt. Quam citò declinat dies, tepescit calor, merities occumbit, & ingruente vespera finitur: Sed ita gradiendum est, donec videatur Deus Deorum in Sion, donec æstuet ille merities, quem nulla potest umbra offuscare. Dies, & nox, fervor, & tempor alternis vicibus regnant in anima. Nunc præsentem dilecto triumphat & exultat: nunc illo fugiente luget, & fit velut mare contritio ejus. Veruntamen justè hæc patitur, si fortè respexit in vanitates, & insanias falsas: tunc enim Sponfus ab illa recedit, & iracundiam simulans nec suspiriis, nec lacrymis revocatur. Quod si etiam meridiano calore succensa ardeat charitate ut Seraphim, dum tamen peregrinatur à Domino, mutationi subjaceat necesse est. Fidem præstet huic doctrinæ admirabili sua eloquentia Augustinus g. Festa, inquit, cum hic homines celebrant suæ luxuriæ, consuetudinem habent constituere organa ante domos suas, aut ponere symphoniam, vel quæcunque musica ad luxuriam servientia, & illicientia, & ubi audita fuerint hæc, quid dicimus qui transimus? Quid hic agitur? Et responderetur nobis aliqua esse festa. Natalitia celebrant, nuptiæ hic sunt: ut non videantur inepta illa cantica, sed excusetur festivitate lætitia. In domo Dei festivitas sempiterna.

Aaaaa 2 na

c Exod. 17: 11. f Matt. 26: 35, 70. g Aug. in Ps. 41.

na est. Non enim aliquid ibi celebratur, & transic. Festum sempiternum, chorus Angelorum, vultus praesens Dei, laetitia sine defectu. Et dies illic festus ita est, ut nec aperiatur initio, nec sine claudatur. De illa aeterna, & perpetua festivitate sonat nescio quid canorum, & dulce auribus cordis, sed si non perstrepat mundus. Ambulanti in hoc tabernaculo admirabili Dei, & miracula Dei in redemptione fidelium consideranti mulcet aurem sonus festivitatis illius, & rapit cervum ad fontes aquarum. Sed quia, fratres, quamdiu sumus in corpore hoc, peregrinamur à Domino, & corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: & si utcumque nebulis diffugatis ambulando per desiderium ad hunc sonum pervenerimus interdum, ut aliquid de illa domo Dei nitendo capiamus; onere tamen quodam infirmitatis nostrae ad consueta recidimus, & ad solita ista dilabimur. Et quomodo ibi inveneramus unde gauderemus, sic hic non deerit quod gemamus. Huc usque Augustinus.

2. Hanc miseriam rerum nostrarum vicissitudinem hora diei nona manifestè demonstrat; si viro doctissimo credimus, sacrorumque rituum diligentissimo explanatori Amalario Fortunato *h*, qui, dum horae hujus mysteria edisserit, sic loquitur: Status temporis quando Nona celebratur designat fervorem studiorum, quem exercebat mens in altitudine virtutum, aliquantulum tepesfactum esse propter tentationes accidentes. Sicut tunc Sol descendit à centro ad inferiores partes, ita mens, quando tentatur, descendit ab altitudine intimi gaudii ad considerandam naturam suam, atque fragilitatem, & videt quam facilis sit ad occasum. Stat inimicus in insidiis malignis tentans suggestionibus, occultis impugnans incitamentis: nec veretur atroci pugna nobiscum certare, etiamsi divinae gratiae meridiem videat in cordibus nostris coruscantem. Hostis namque callidus, ait magnus Gregorius *i*, quos justitiae luce enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit, ut plerumque plus se urgeri tentationibus sentiant, quam tunc cum lucis internae radios non videbant. Quid autem operetur in anima haec diabolica impugatio, explicat idem sanctus Pontifex *k* his verbis: Saepè iustorum animus aliquatenus ex tentatione frigescit, sed nequaquam gratia deserit, quae, quò nos durius ex

dispensatione percutit, eò amplius ex pietate custodit. Nam cum tenebrescere per tentationem coeperit, sese iterum lux interna succendit. Sic gratia Divina consurgit ad vesperam quasi fulgor meridians *l* ei qui timebat, ne juxta Prophetam *m* occideret sibi Sol in meridie, & palparet in meridie, sicut palpare solet caecus in tenebris *n*. Fulgor quippe meridianus in vespere est virtutum renovatio in tentatione. Sententia est viri doctissimi Paschasi *o* Abbatis Corbeiensis, semper tentationem conjunctam habere consolationem Spiritus sancti, qui relevat de infidelitate ad fidem, de desperatione ad spem, de moerore ad gaudium, de lapsu peccati ad veniam. Quantumcunque igitur acerba saeviat tentatio, resiste quisquis es, viriliter age, & memineris scriptum, *p* Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit. Item, *q* Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, & *r* qui non est tentatus quid scit? Tentationibus mens eruditur, accenditur amor, custoditur fides, augetur praemium, perficitur animus, probatur virtus, accrescit scientia, magnanimitas exercetur, homo interior roboratur, purgantur vitia, merita cumulantur.

3. Illustrabo hanc doctrinam sanctorum Patrum documentis, ne loqui videar ex proprio sensu. Gregorius iterum audiendus est. Saepè electus ipsa virtutum magnitudine sentit se extolli, unde & tentari se praesentis vitae adversitatibus post virtutes desiderat, ne pejor ex virtutum confidentia cadat. Tentabatur sanè Paulus *s*, cum dicebat datum sibi stimulum carnis, ne magnitudine revelationum extolleretur, cumque rogasset Dominum, Divinum responsum accepit, *sufficit tibi gratia mea*, nam virtus in infirmitate perficitur. Tentabatur etiam sponsa, cum dicebat *t*, *Vocavi & non respondit mihi*. Sed, ut explicat Philo *u* Carpathiorum Episcopus, saepè ad probationem fidei, majoremque profectum charitatis tentatur sponsa, ut pugnare discat, ac vincere. Vocat dilectum suum, & non respondit. Vellet enim assidue alimoniam caelesti palci, internam illa suavitate frui, iis deliciis internis frui, quibus solis se beari posse intelligit; sed corruptibili mole corporis impedita saepè decedit, donec adveniat tempus,

h Amal. lib. 3. c. 6. *i* Gregor. lib. 29. mor. cap. 12.
k Id. ibid. lib. 10. cap. 12.

l Job. 11: 17. *m* Amos 8: 9. *n* Deuter. 28: 29.
o Paschal. lib. 3. in lament. Ieremia. *p* Ad Roman. 5: 3. *q* Iacob. 1: 12. *r* Eccl. 34. 3. *s* 2 Cor. 12: 7. *t* Cant. 5: 7. *u* Philo Episc. in c. 5. Contlic.

quo à corpore evocetur. Sanctus Pater inter Isaacum x libro de contemptu mundi, diffusa, & eleganti oratione demonstrat, quod, quando magis proficit homo, tanto majores habet tentationes. Abbas Dorotheus y; Tentatio, inquit, omne bonum necessarium aut præcedit, aut sequitur, neque opus bonum dici potest, aut secundum Deum, nisi tentatione approbetur. Richardus Victorinus z; Quamto, ait, acrioribus tentationibus urgemur, quamto crebrioribus periculis exercemur, tantò perfectius ad discretionem erudimur, & sæpè aliarum virtutum damna discretionis sunt lucra. Quia verò viris perfectioribus gravissimum imminet periculum ex incauta securitate, admonet eos Bernardus a, ut capere fatagant vulpes parvulas, quæ vineam Domini Sabaoth domoliuntur. Porrò vulpes tentationes sunt. Exclamat autem experientia rerum magistrâ instructus sanctus Pater. Quamto ingressos vias vitæ, progressos ad meliora, super semitas iustitiæ benè, secureque proficiscentes fraude vulpium harum turpiter supplantatos expertus sum, & serò in se virtutum suffocatos plangere fructus? Cum igitur non desint luctuosa vitiorum certamina, præsertim post meridiei fervorem, post gratiæ claritatem, magno iudicii moderamine custodiri, & in quodam medio librari anima debet, quatenus nec de virtute extollatur, nec de tentatione desperet. Idcirco nona diei hora in hymnis, & supplicationibus Deum glorificamus, ut non permittat ultra vires nos tentari, ut qui jam nos dignatus est in filiorum numero computare, non debeat aliquando de malis astibus noctris contristari.

§. I I.

Numerus Novenarius infausus. Hora Nova mysteria. Cur oremus hac hora.

1. **I**psè numerus Novenarius à denarii perfectione deficiens operum imperfectionem designat, ut Rabanus b Archiepiscopus Meguntinus observat. In cuius rei typum novem partes, id est imperfectionem, nobis; decimas autem n Deo adscribimus. Vix in sacris Literis hunc numerum laudabiliter positum invenies. Nam, ut ait Ambrosius c, Novenarius bella, dissidia,

x Isaac. de cont. mundi cap. 42. y Dorothei doct. 19. z Richard. de Prep. animi ad contempl. cap. 68. a Bern. ser. 64, in Cantic. b Raban. l. 17. in Hieremiam cap. 52. c Ambros. lib. de mansuetib. filior. Isracl.

& lites Divinis indicat oraculis: unitas verò Novenario superveniens denarium perficit, & pacem, amicitiamque designat. A Novenario numero dicti Novenses Dii, de quibus agit Arnobius d in libris adversus gentes, quod hic numerus, ut ait Varro e in movendis rebus potentissimus habeatur. In Antiquorum sacrificiis ad funera, & expiationes spectabat hic numerus. Tullo regnante cum Romæ nunciatum esset in monte Albano lapidibus pluuisse, Novemdiale sacrum publicè susceptum est. Eadem sacra ob aliud simile prodigium instaurata sunt C. Claudio Nerone, & M. Licinio Coss. Mansitque solemne, quod Titus Livius f, & Julius Obsequens g testantur, ut quandocunque prodigium nunciaretur, feriæ per novem dies agerentur. Fletus, & exequias pro mortuis per novem dies commemorant Homerus h, Horatius i, & Apuleius k. Hunc eundem numerum mœstitiæ symbolum fecerunt veteres, Græcè enim notatur litera Θ Thita, quam mortem denotare docet Isidorus, tum quia cordis humani transfixi speciem refert, tum quia initialis est Græci nominis Θάνατος, quod mortem significat. Hinc ait Satyricus l:

Et potis est visium mortis præfigere Thita.

Et alius Poeta,

O multum ante alias in felix litera Thita.

Narrat Asconius Pedianus m, quod quando sortes mittebantur in urnam, Θ Thita erat signum damnationis, τ Tau absolutionis. De Novenario in Divinis legendus Plotinus n libro de triplici reditu animæ ad Deum, ac ibidem Marsilius Ficinus. Beatus Rampertus o Episcopus Brixienfis in tractatu de Translatione S. Philastrii sic disserit de Novenario. Hic numerus vi & natura secundus tetragonus est, qui per ternarium conficitur, & in ipso resolvitur. Nonnè ter tres novem faciunt? Et Novenarius dividi æquè non potest, nisi in tribus ternariis, & ab ipsa nos esse formatos, & per ipsam justè resolvitur.

2. Sunt qui dicant p hac hora ejectos primos parentes è paradiso, nam post meridiem

A a a a 3

ambula-

d Arnob. in f. l. 3. e Varrol. 4. de ling. Lat. f T. Livius l. 1. dec. 1. g Jul. Obseq. lib. de prodigiis. h Homer. Iliad. 24. vers. 660. i Horat. in Epod. k Apul. l. 5. metam. l Persius Sat. 4. m Asconius in orat. Ciceronis contra Verrem. n Plotin. lib. 3. enn. 1. o Rampertus apud Surium die 18. Julii. p Moses Barc. p. 1. de paradisi. cap. 28.

ambulabat Dominus ad auram, ut perniciosam illorum transgressionem argueret, cumque debitam peccato poenam imposuisset, emisit eos de paradiso voluptatis, ut, qui terram praetulerant caelo, terrenis operibus occuparentur. Quam insipientes fecit eos peccatum! Audita voce Dei absconderunt se non ferentes confusionem, gratia exspoliati, qua prius vestiti erant. Mox enim ut intravit peccatum, simul eos invasit erubescencia, clamante conscientia, & reos accusante, durisque flagellis puniente. Deus autem misericors, & miserator, cujus bonitatis infinitus est thesaurus, ante durissimi exilii, mortisque corporalis sententiam Redemptorem misericors promissit, qui ut effectus promissioni & merito conveniret & tempore, circa finem diei Protoparentibus promissus, circa finem saeculi missus in mundum, hora item nona crudelissimam morte exivit de mundo. Haec potissima ratio est, ob quam ad horam nonam celebranda mysteria non sine lacrymis, atque singultibus convenire debemus. Hac enim hora Dominus Jesus exclamans voce magna emisit spiritum. Tunc extensis in cruce manibus damnatam in primo homine posteritatem ad esum ligni vitae secundus homo revocavit. Tunc Passio Domini passiones nostras evicit, & singularis misericordia reatum primae praevagationis absolvit. Proprio scilicet *Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ut, si eum amare superba mens nostra detrectabat, saltem amoris tam singulari dilectionem rependere non neget. Ecce Domino moriente, ut quidam q̄ sanctorum Patrum elegantissime scribit, minatur propria mundus excidia, & rerum natura inusitato pavore terretur. Dies medius tenebrarum tyrannide discluditur, & perdidit cursum fugitiva luce fraudatum. Sol abscondit radios suos, & orbem globus lucis obscuravit. Importunae tenebrae aliena tempora pervaserunt. Moriente vero die, novum dies sensit occasum. Volebat seculum ire protinus in ruinam, ne auctoris sui tacens praeteriret injuriam. Nos autem tantae necis auctores Redemptorem nostrum pro nobis morientem sicis oculis spectabimus? Absit. Sed ut admonet S. Caesarius, Arelatensis Episcopus, agnoscetes erga nos divinarum beneficiorum alta mysteria, respondeamus in quo possumus misericordiae Redemptoris. Demus illi compunctionem pro spinis suis. Offeramus illi cor suo

q̄ Chrysof. tom. 3. ser. 3. de mysteriis caena Dominica.
 1 Caesar. in fin. hom. 6.

timore confixum pro clavibus suis. Reddamus illi palmam perseverantiae pro alapis suis. Quid enim debet studere, & scire Christianus, ut Theologus non ignobilis ratiocinatur, nisi illud in quo est totum bonum suum, totus thesaurus suus, & omnes divitiae suae? quod est autem thesaurus hominis, nisi ipsum meritum? Ergo postquam in morte Christi est omne meritum hominis, & portet eam in se, & incorporet eam sibi. Haec sapienter ille Doctor. Tu autem anima mea ingredere in petram, absconde te in fossa humo, pone tibi latibulum in crucifixo. Ibi tutum latebis, donec transeat iniquitas, ibi deliciis assues, ibi gaudiis superflues, ibi securae vires ab aestu carnis, à turbine seculi, ab impetu diaboli. Super omnem gloriam mundi protectio ista, in umbraculum diei ab aestu, in securitatem, & absconsionem à turbine, & à pluvia. Ab amplexu amoris tui crucifixi nulla te avellat creatura, nulla separet potentia, non mundi fallaciae, non carnis illecebrae, non castra inferorum. Ibi unicum solatium tuum, ibi requies, & omne bonum.

f Raimund. de Sabunde Theologia naturalis cap. 296.

METRUM XVIII.

Non me revelles à tua, Jesu, cruce
 Quicquid minarum tristium:
 Aut quicquid armorum feroces Tartari
 In me Tyranni proferant.
 Non ensium horror, non fames, vel nuditas,
 Non bella, vel pericula.
 Si mille circumstent truces exercitus,
 Si mille jactent spicula.
 Non hinc recedam. In me polus si corruat,
 Si terra nuxet arida,
 Et si intumescat turgidis undis fretum,
 Aerque flammis depluat:
 Immutus hic jacebo, & acceptabilis
 Hic immolabor victima.
 Tuosque clavos, & pedes amantibus
 Circumligabo brachiis.
 Non me probrose dedecus terret crucis,
 Non horridum moris genus,
 Lubens peribo. Me necis tuae Deus
 Macerabit hic veum dolor.

3. Illud etiam ad horæ Nonæ venerationem facit, quod in Actibus Apostolorum & legitur. Cornelius enim Centurio vir religiosus ac timens Deum hac ipsa hora in oratione positus Angelum Domini videre meruit, à quo monitus est accersere Petrum, & audire ab illo verba vitæ. Eadem hora Petrus, & Joannes ascendentes in templum claudum à matris utero per fidem, & invocationem nominis Christi ambulare fecerunt. Placet hac de re Venerabilis Drogonis Exabbatis, & Episcopi Hostiensis verba distisse. Egenus, & pauper ego sum Domine, & claudus ex utero matris meæ, & ecce sedeo ad portam templi tui, quæ dicitur Speciosa, non valens, nec volens, introire, quin potius egestate bonorum tuorum mendicans foris alimoniam carnis meæ, aereas, & falsas imagines hominum, ubi coacervem mihi talentum iniquitatis, fasciculos deprimentes. Et ecce hora orationis Nona est: ascendunt Petrus & Joannes Apostoli tui, ut orent ad templum sanctum tuum: ego autem hareo terræ, & luto, terrena, & vana sapiens, & aliis introeuntibus ego foris remaneo non querens cum eis, ea quæ Patris tui sunt, sed quæ Patris mei: Ecce jam hora orationis Nona est, inclinata est dies, propè est nox, cum surrexero manè diluculo de his, quæ nunc mendico, nihil in manibus meis reperiam. Hora, inquam, orationis Nona est: Orasti hac hora pendens in cruce, orasti inclinato capite clamans voce magna, & expirasti, & eundem, quem de nobis tunc habebas compassionis animum, tecum asportasti, & credo Domine, quia tecum adhuc reserves, quia charitas tua refrigescere nefcit. Erat autem hora orationis Nona. Et quare Nona orationis hora erat? quia circa horam Nonam tenebræ factæ sunt. Repellendus erat horror tenebrarum, qui universam operuerat terram; repellenda caligo populorum, quæ ex tunc cœperat abundare, ex quo tu cœpisti ad auram post meridiem deambulare, ex quo tunc non cessasti clamans, *Adam ubi es?* Hactenus Drogo.

t Act. 10. u Act. 3. x Drogo lib. de Sacram. Dominice Passionis.

S. III.

An hora nona cibum sumerent Antiqui. Quinam semel, qui pluries in die olim reficerentur. Christianorum qui moros de eadem re, & qua hora jejunium solverent.

1. Ceterum cum de Nona tractamus, dissimulare nequeo, quod nuper aliud agenti ingessit se mihi ex libro de jejuniis contra Psychicos Septimii Florentis Tertulliani, quem librum licet adversus Catholicos scripserit, libenter tamen cum de re antiquaria agitur, illius fontibus scripta mea irrigare soleo. Scribit iste hora Nona ultimam stationi clausulam à Catholicis (quos Psychicos id est animales vocat, quod Montani dogma de tribus Quadragesimis non admitterent) impositam olim fuisse, quam sui Montanistæ usque ad Vesperam protrahabant. Expungere autem, vel dirimere stationem idem est ac jejunium solvere, & prandere, ut supra notatum est. Lege si placet Ludovicum de la Cerda in suis Adversariis. Verum an præcisè hora Nona finis sit, & expunctio stationis controversum est. Attingam hic vellicatim quod varia lectione compertum est mihi, licet hæc diutius confectari non sit omnino nostri instituti. Et quidem majores nostri cum magis temperantiæ, & sobrietati studerent, vel semel tantum in die circa solis occasum comedebant, vel certè usque ad sextam prandium differre consueverunt. Hæc consuetudo non Christianis tantum, sed & ipsis Ethnicis solemniter fuit. Quod unica refectione, quam cœnam vocabant, quidam antiquiores Græci, & Romani contenti essent, testantur Scriptores fide dignissimi. Isidorus, apud veteres, ait, in usu non erant prandia. Cicero in Tusculanis, & Clemens Alexandrinus referunt dictum Platonis, quem pudebat bis in die saturum fieri. Horatius dicit invitans Torquatum ad cœnam ait,

Supremo te sole domi Torquate manebo.

Et ad Mœcenatem.

Si cœnas hodie mecum,

Post nonam venies.

Raphaël Volaterranus multum laborat in intelligendo hoc versu Martialis,

Imperat extructos frangere Nona toros.

Nam si prandium, ait, nimis tardè. Si cœna nimis citò. Dicendum tamen fuisse cœnam, quæ post nonam incipiens usque ad tenebras protrahatur, quo tempore luminaria accendebantur, ut constat ex his versibus Virgilii.

Post-

y Tertull. de Jejun. c. 10. & 14. z Ludov. Cerda Adv. c. 138. & 140. a Isidor. l. 20. orig. c. 2. b Cicer. 5. Tuscul. c. Clem. Alex. l. 2. Pad. c. 1. d Horat. lib. 1. ep. 5. & 7. e Raph. Volaterr. l. 32. comment. Urban. cap. 32. f Virgil. Æn. lib. 1.

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,
Crateras magnos statuant, & vina coronant.
Et strepitus rectis, vocemque per ampla volutant
Atria, dependent lychni laquearibus aureis
Incensæ, & noctem flammis funalia vincunt.

Sic autem inceptæ epulæ aliquando in sequentem diem extendebantur. Propertius g,

*Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.*

Silius item Italicus h, cum perditos Romanorum mores sua tempestate notaret, Regales epulas, atque ortu convivia solis deprehensa commemoravit. Alludit ad hunc morem Apostolus dum ait i, & qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Huc etiam respexit princeps Lyricorum dum cecinit k,

*Sume Mæcenas cyathos amici
Sospitis centum, & vigiles lucernas
Profer in lucem.*

Appositè ad eandem rem dixit Satyricus l:

*Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.*

Sanctus quoque Cæsarius m, Fugiamus, inquit, prandia luxuriosa, quæ nos aliquoties etiam invitos usque ad noctem mediam trahunt. Usus verò lucernarum in conviviis, & pendentia è laquearibus lumina multi Auctores commemorant. Propertius n:

*Dulcis ad besternas fuerat mihi rixa lucernas.
Lucretius o,*

Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.

Stattius p,

*At Alii tenebras, & opacam vincere noctem
Aggressi tendunt auratis vincula lychnis.*

Salvianus Massiliensis q, & Aurelius Cassiodorus r non nisi ad vesperam licuisse olim cibum sumere asseverant. Athenæus s, cum varia convivia in cœnis sapientum enumeret, semper cœnæ nomine utitur. Aurelius Gellius t se Athenis à Philosopho Tauro convivio exceptum refert, ad id diei ubi jam advesperaverat: id enim, ait, est tempus isthuc cœnandi frequens. Tertullianus in Apogoletico; Postquam, inquit, manualet, & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Christianorum autem primi ævi cœnas describit. Vitruvius u hyberna triclinia

g Propert. lib. 4. el. 6. h Silius Ital. l. 11. i 1 Thessal. 5:7. k Horat. l. 3. od. 8. l Persius Sat. 5. v. 41. m Cæsarius hom. 19. n Propert. l. 3. El. 8. o Lucret. lib. 2. p Stattius lib. 1. Theb. q Salvian. lib. 1. de provid. r Cassiod. in Ps. 14. s Athen. l. 4. Dipnosoph. t A. Gell. noctium Attic. lib. 17. cap. 8.

cœnæ destinata ad Occidentem hybernum extruenda esse præcepit, quod vespertino lumine uti opus esset. Apud Xenophontem x milites Cyri non nisi die exacto reficiebantur. Plautus Vesperum metonymicè pro cœna usurpat in Milite gloriolo, & in Rudentibus: quoniam Romani hac hora cœnare solebant. Hanc veterum continentiam Severinus Boëthius sic celebrat y:

*Felix nimium prior atas
Contenta fidelibus arvis;
Nec meris perditæ luxu,
Facili quæ sera solebas
Festunia solvere glande.*

Antiqui Monachi apud Chrysofomum z prandium ignorabant. Quintus Smyrnæus a in Paralipomenis post exactum diem cibi refectioem sumptam ait à Penthesilea, quæ Trojanis auxilio venerat cum Amazonum exercitu. Apud Aristophanem b in Nubibus facetus quidam Socratis discipulus; Heri, inquit, nihil nobis cœnæ fuit sub vesperam. Plinius junior c cœnæ meminit, quæ hyeme post nonam, æstate post octavam sumeretur.

2. Quod autem spectat ad prandium; sive ad duplicem refectioem, adsunt & alia testimonia d, quibus constat Antiquos & prandio, & cœna usos quandoque. Notum est illud Ducis Spartani apud probatos Scriptores. Prandete milites, hodie apud inferos cœnaturi. Dicitur autem prandium ex eo quod milites ad prælium parati, asserit Trebellius Pollio e: & apud Varonem extat inter fragmenta Satyrarum una cum hac inscriptione, Pransus paratus. Atque inde scribit Polybius f ab impransis militibus non suscipiendum prælium, traditque præcepta de curando prandio Onofander g in Strategico. Cornelius Celsus h Latinorum Medicorum Princeps commodius esse docet bis in die, quam semel cibum capere. Flavius Josephus i hora quinta Essenos prandisse notat, & vespere cœnasse. Extat apud Plutarchum Magni Alexandri a pophtegma; Ad prandii condimenta nocturnas profectioes optimas esse, ad cœnæ autem prandii

u Vitruv. lib. 6. Architect. c. 2. x Xenoph. lib. 3. Cyri pad. y Boeth. de consol. Phil. l. 3. metr. 5. z Chrysof. hom. 56. in Matth. a Q. Smyrn. lib. 1. v. 125. b Aristophan. in Nubibus act. 1. sc. 2. v. 50. c Plinius l. 3. ep. 1. d Val. Max. l. 3. c. 2. Senec. Epist. 83. Cic. 1. Tuscul. e Trebell. in Salon. Gallieno. f Polybius l. 3. g Onofander. c. 12. h Cornel. Celsus de re medical. 1. c. 1. & 3. i Joseph. de bello Judaico. 2. cap. 7.

dii parcitatem. Observat Hieronymus Mercurialis *h* vir reconditæ eruditionis apud Græcos, Hippocratis præsertim temporibus, nullam de hac re certam legem fuisse, nam quidam ter, alii bis, plerique semel tantum in die reficiebantur. Eustathius Theſſalonicenſis ad librum secundum Odysſeæ Homeri veteres tribus cibis uſos fuiſſe aſſeverat, matutino, meridiano, & vespertino. Apud Homerum milicibus, & Heroibus multiplex cibus fuit, teste Athenæo *l*. Et primus quidem jentaculum dicebatur, Græcè ἀνεπιτύχη, siue ἀνεπιτύχη, quod panis frustra mero intincta ſumerentur. Sunt qui ἐπιτύχη dictum jentaculum arbitrentur, qua voce bis tantum utitur Homerus *m*. Sed alii hac prandium ſignificant. Legendus Suidas verbo Δείπνον. Fulgentio Planciade auctore jentaculum dicitur gustatio, & quasi prægustativa comeſtio. Plautus, & Martialis jentaculi mentionem faciunt: quod auroræ exortu olim ſumptum aſſerit Philemon apud Athenæum. Sequebantur prandium, merenda, & cœna. Merendæ certam horam aſſignatam non inuenio. Hanc Græci vocant Εὐμέλειον, eamque commemorat Homerus *n*. Merendæ quoque meminit Plautus in Mostellaria, actû 4. Scena ſecunda. Cœna vesperti ſumebatur, prandium circa meridiem. Procopius Gazenſis in Geſenſim; Adam, inquit, horâ ſexta vetitum cibum in ilia demisit: eſt enim ea hora quaſi certa regula homini conſtituta, ut cibum capiat, Ælius Lampridus in Alexandro Severo; Et cum dormiret poſt convivium hora diei ſerè ſeptima. Græcus Auctor Anonymus interprete Lilio Giraldo *o*:

*Sufficit in ſextam labor horam, deinde ſequentur
Ut vivas numeri: littera Ζηδ̄ monet.*

Septima enim, octava, nona, & decima hora in Græcis horologiis, ut Maximus Planudes commentatur, notantur his litteris Ζ, Η, Θ, Ι, quæ ſimul junctæ verbum Ζηδ̄, expriment, quod Latine ſonat *vive*. Juvenalis in ſine Satyræ undecimæ ſextam prandio deſignatam aſſerit. Auſonius in Ephemeride quintam aſſignat dicens:

*Sosia prandendum eſt, quartam jam totus in bo-
ram
Sol calet, ad quintam ſeclitit umbra notam.*

k Mercurial. lib. 4. var. lect. c. 17. l. 1. de regymnaſtica cap. 9. s̄ 11. l. Ahe. l. 1. c. 4. m Homer. Iliad. v. Odysſ. π. ut utroque loco admonuit Eustathius. n Homer. Odysſ. 2. o Lib. 2. Antholog. cap. 91.

Porro veteres quater in die cibum modicè ſumpſiſſe oſtendit Muretus *p*. Prandium ſine potu & tenui fuiſſe ſcribit Clemens Alexandrinus *q*: quale etiam deſcribit Seneca *r* dum ait, panis ſiccus, & ſine menſa prandium, poſt quod non ſunt lavandæ manus. Certam verò comedendi horam non exiſtimo omnes gentes habuiſſe. Caſpiis venter ſolatiunt eſt, inquit Ammianus Marcellinus *s*: quod multò juſtiſſimum prædicat Plautinus ille Paraſitus apud Gellium *t*. Sed belluarum ritus eſt ex ventris eſurie horas ſentire, ait Caſſiodorus *u*. Facetè *x* Diogenes interroganti quanam horâ quis deberet cibum ſumere, reſpondit: Si dives, quando vult; ſi pauper, quando poteſt. Prandii verò, & cœnæ mentionem faciunt Auctores celeberrimi Macrobius *y* in Saturnalibus, Plutarchus in illo Opusculo, cujus titulus eſt; Non poſſe ſuaviter vivi ſecundum Epicurum, Xenophon in Cyripædia, in Oeconomicis, & paſſim in libris Ἀναβάσεως, Suetonius in Domitiano, Hippocrates *z* libro de ratione victus in morbis acutis, Athenæus *a* in cœnis ſapientum, Mærtinius in Panegyrico Juliani Imperatoris, Clemens Alexandrinus *b* in Pædagogia, Sidonius Appollinaris *c* in Epistoſis, Joannes Tzetzes *d* in Chiliadibus: & ex recentioribus Thomas Dempſterus *e* ad antiquitates Romanas Joannis Roſini, Joannis Savaro *f* ad Sidonium Appollinarem, Julius Caſar Bulengerus *g* libro de conviviis, ubi de hora prandii accuratiſſimè diſputat, & alii plures.

3. Sat dictum de infidelibus, nam quæ hætenus diximus, illis dumtaxat conveniſſe videntur. Jam noſtrorum mores diſquiramus. S. Benedictus facem mihi præfert capite quadrageſimo primo ſuæ Regulæ. A ſancto Paſcha uſque ad Pentecoſten ad ſextam reficiant fratres, & ad ſeram cœnent: quæ prandii ſexta continuanda erit totâ æſtate, exceptis feriis quarta & ſexta, quibus jejunandum ſit nec ne, Abbatibus providentiæ remittitur. Ab Idibus autem Septembris uſque ad caput Quadrageſimæ ad nonam ſemper reficiant. In Quadrageſima
Bbbbb verò

p Muret. lib. 4. var. lect. cap. 12. q Cl. Alex. lib. 2. Pædag. cap. 2. r Seneca Ep. 83. s Ammian. Marc. lib. 23. t Gellius l. 3. cap. 3. u Caſſiod. l. 1. var. Epist. 46. x Laertius lib. 6. y Macrobi. l. 3. c. 17. z Hippoc. ſec. 4. a Athen. l. 4. cap. 13. b Clem. Alex. lib. 2. cap. 2. c Sidon. l. 2. Epist. 9. d Tzetzes Chil. 8. v. 25. e Dempſt. ad c. 27. l. 5. f Savaro ad Ep. 12. lib. 6. g Buleng. l. 1. cap. 23.

verò usque ad Pascha ad vesperam reficiant. Ecce etiam tempora prandio Monachorum sanctissimus Legislato assignat, horam sextam diebus quibus non jejunatur; jejuniis Quadragesimalibus horam vespertinam, aliis jejuniis horam nonam. Hanc autem distributionem apud omnes olim Christianos in usu fuisse manifestum est. De sextæ prandio iis diebus, qui à jejunii lege exempti sunt, possem innumeros testes asserere Græcos & Latinos, Cassianum *b* scilicet in Collationibus, & libro de spiritu Acediæ. Sanctum Nilum de eodem spiritu, Basilium sermone ascetico, cui titulus est; De homine quod sit imago Dei, sanctum Pachomium initio Regulæ, quam ab Angelo accepit, Theophylactum *i*, Auctorem * modi bene vivendi inter opera Bernardi, Gregorium magnum *k* in Dialogis, Hugonem Victorinum *l* in expositione Regulæ sancti Augustini, Divum Thomam *m* & alios. Sed nolo tot testimoniis onerare lectorem. Id verò notandum est hoc loco, errasse quosdam Canonum Interpretes *n*, horam prandii tertiam esse dicentes, nisi fortè suorum temporum consuetudinem respexerint. Certè Nicolaus Papa *o* in Responsonibus ad consulta Bulgarorum hortatur eos, ut ante horam diei tertiam nullum corporalem cibum, etiam in ipsis insignioribus solemnitatibus omnino sumant, cum scriptum legamus: *Væ iis qui mandè comedunt.* Quam constitutionem ita decet interpretari, ut horâ tertiam Missarum solemnità celebrantes postea circâ quintam, vel sextam reficerentur. Nec mirum si summus Pontifex antiquum Ecclesiæ rigorem aliquantulum eis relaxaverit, feroces enim populos recens conversos ad fidem paulatim ad austeriora ducere oportuit. Ostendunt & sacra Biblia hanc eandem cibi capiendi horam. Fratres Joseph *p* parabant munera, donec ipse ingrederetur meridiem, audierant enim quod ibi comesturi essent panem. Cum populus revertisset per meridiem, duo Seniores *q*, qui castam Sufannam deperibant, dixerunt alter ad alterum, *Eamus domum, quia hora prandii est.* Cum Jesus *r*, fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem; hora erat quasi sexta; Discipuli verò abie-

rant in civitatem, ut cibos emerent. Accedit quod Princeps Apostolorum *s* discipulos non esse ebrios tanquam insolubili argumento evicit, quod horâ dici tertiam esset à solita comestionis hora plurimum distans, qua nullatenus fieri posset, ut homines modesti jam se mero ingurgitassent. Sed jam ad jejunia vocamur. Sanctus Benedictus tempus prandii à tempore jejunii distinguit, quia subtrahit prandii ad jejunii integritatem spectat, quare esurialibus diebus (ut Plautino vocabulo utar) quæ fit comestio, cœna non prandium esse debet, quæ quò amplius differtur, eò melius abstinentiæ districtio observatur. Et quidem extra Quadragesimam præcipit Ecclesiæ, ne ante horam nonam manducemus. Athanasius rem acu tetigit libro de Virginitate: *Jejuna totum annum, etiamsi nulla cogat necessitas: hora verò nona, cum jam in Hymnis & precibus perseveraveris, sume panem tuos cum oleribus conspersis oleo. Adstipulantur alii, Hieronymus *t*, Augustinus *u*, Palladius *x*, & Climacus *y*. Eandem horam antiquis Hebræis in usu fuisse scribit Aristæus *z* in Historia LXXII. Interpretum, quos ait scripsisse usque ad horam nonam, deinde curasse corpora. Aurelius Prudentius *a* Poëta clarissimus Hymno post jejunium sic canit:*

*Nona submissum rotat hora solem
Partibus vix dum tribus evoluit,
Quarta de vexo superest in axe
Portio lucis.
Nos brevis voti dape vindicata
Solvimus fastum, fruimurque mensis
Assatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.*

Idem in Hymno *b* de S. Fructuoso Episcopo, & aliis Martyribus Tarraconensibus eandem rem clarius explicat his versibus:

*Quosdam de populo videt Sacerdos
Libandum sibi poculum afferentes:
Jejunamus, ait, recuso porum,
Nondum nona diem resignat hora.*

In majori autem jejunio quadraginta dierum, qui anniversariam Christi morientis memoriam præ-

currunt,

h Cassian. Collat. 21. cap. 23. *g* lib. 10. c. 1. *i* Theoph. in cap. 27. Matrb. * De modo bene vivendi serm. 52. *k* Gr. Dial. lib. 3. cap. 15. *l* Hugo cap. 3. *m* D. Tb. 2. 2. qu. 147. art. 7. *n* Archidiacon. *o* Turrecrem. ad c. Quod dixit dist. 41. *p* Nicol. Papa. cap. 60. *q* Gen. 43: 25. *r* Daniel. 13: 7, 13. *s* Joa. 4: 6, 8.

f Act. 2: 2, 15. *t* Hieron. Ep. 22. *u* August. Ep. 118. in fine. *x* Pallad. cap. 139. *y* Climac. gr. 13. *z* Aristæus. *a* Prudent. hym. 8. Cassim. *b* Hym. 6. πῶς Σπφ.

currunt, usque ad vesperam inedia prorogare antiquissima religio est. E veteri Testamento desumpta videtur consuetudo, passim enim Israelitæ jejunasse usque ad vesperam memorantur c. Favent sancti Patres. Basilius d, Expectas vesperam, ut cibum capias. Paulinus e; Quotidiana jejunia non refugit, & pauperem mensam vespertinus conviva non horruit. Chrysostomus f, Non existimemus inedia usque ad vesperam ad salutem nobis sufficere. Theodulphus g Episcopus Aurelianensis Epistola ad Clerum suum; Solent plures, qui se jejunare putant (loquitur autem de Quadragesima) mox ut signum audiunt ad nonam manducare, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, antequam Vespertinum celebretur Officium: concurrentum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, siue Vespertinis Officiis, largitis elemosynis ad cibum accedendum est. Si verò aliquis necessitate constrictus fuerit, ut ad Missam convenire non valeat, aestimata vespertina hora, completa oratione sua, jejunium absolvere debet. Bernardus h sermone de Quadragesima; Hactenus usque ad nonam jejunavimus soli, nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum universi, Reges & Principes; clerus & populus; nobiles & ignobiles: simul in unum dives, & pauper. Extant & sacri Canones de hac re apud Gratianum i, Barchardum k, & Yvonem l. Hic liceat tandem subsistere & deplorare. Heu quantum à prisco jejuniorum ritu recessimus! Tunc vera jejunia erant, dura, & austeri: nunc levia sunt, & vix jejunii nomine digna, ludus, & umbra jejunii. Etiam in ipsis solemnioribus pervigiliis vix meridiem expectamus, statuas Nonæ, & Vesperarum horas in solemnibus dumtaxat sacratum precum recitatione servantes. Utinam quod deest abstinentiæ, aliarum virtutum exercitatione farciamus.

c Judic. 20. 26. 1 Reg. 14. 24. 2 Reg. 11. 12. d Basili. orat. 1. de jejun. e Paulin. Epist. 6. ad Anan. que est in ordine 24. f Chrys. Hom. 4. in Gen. g Theodul. Ep. ad clerum. n. 39. h Bernard. serm. 3. de Quadrage. i De cons. d. 2. c. soleat. k Barch. l. 13. c. 9. l Ivo p. 4. c. 42.

METRUM XIX.

O Nimum etas aurea felix,
Cum sponte sua, vindice nullo

Colerent homines jura, fidemque.
Candor morum, castusque pudor
Querulas lites, diraque vinculis
Bella premebant. Saucia nullo
Vomere telus teneras fruges
Ubere cornu lata crebat.
Dulces epulas herba salubris,
Dabat & potum rigidus amnis.
Nondum certo limite campus
Drusus erat: nondum cinxerant
Mœnibus urbes, nondum oribus
Munita domus, per via cunctis
Drusiarum gaza patebat.
Aberant fraudes, aberant cades:
Non Thessalicis mixta venenis
Pocula mortis, non aconita
Noverat orbis. Pietas sancta,
Amor, & summi Numinis horror
Placida gentes pace regebant.
At nunc miseris postquam infecit
Deterioris vena metalli.
Jam vitiorum seclerata cohors
Agmine saclo mundo incubuit,
Ambitio exlex, praecepsque furor,
Intima livor viscera rodens,
Rabies, cades, furta, rapina,
Dolus, & fraudem perfidularum,
Venale nefas, dira venena,
Luxus, & auri caeca cupido,
Profligaverunt gula, lautaeque
Gloria mensa, quam morborum
Immensa lues, celerique gradu
Aspera sequitur, duraque egestas.
Tum jus, & amor, cultusque Dei,
Veraque pietas, fidesque,
Atque omnis toto exhalat orbe
Candida virtus, ornaque morum.
Ergo querebas jundite acerbas
Mastu juvenas: plangite sece
Sidere nati, genus inelix,
In quos etas ultima venit.
Sentiât æther gemitus vestros,
Sentiât aer, tellusque patens,
Et vaga pelagi mobilis unda.
Soboles tantis obsessa malis
Non est luctu plangenda levi.
Nos inausum genus, o pueri,
Flebile vulgus, male nata seges
Savi per iter triste doloris
Celerè imus: nec sic tellus
Infima supero distat ab axe;
Quantum à sensibus novis distantia
Turba nepotum. Nos semo piger
Terra opprobrium proculis orbis,
Qui graviori pondere pressi

Bbbbb 2

Flaad

*Haud degeneres dabimus natos.
Sed inutilibus parcite lacrymis,
Parcite juvenes, parcite tantos
Promere questus: dabitur vobis
Alium vitæ nosse tenorem,
Si nunc veteres renovet mores
Præsens ætas. Aurea secla
Aurea morum norma reducet.*

CAPUT X.

D E V E S P E R I S.

§. I.

*Mysticus solis occasus. Quid sit solem oriri,
& occidere. Dicta quadam breviter de
cognitione sui. Humanarum rerum ma-
gnam esse vicissitudinem.*

IAm diurni finis officii, jam jucundissima lucis instat occasus. Qui producit Luciferum in tempore suo, jam vespere super filios terræ consurgere facit a. Nimirum, ut Sapiens b observat, Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur. Ortus autem sui, & occasus alterna varietate magni nos admonet Sacramenti in Christo, & in Ecclesia, in Redemptore, & in redemptis. Et ipse quidem verus justitiæ Sol è purissimo Virginis utero feliciter ortus occubuit in Passione, ac in admirabili Ascensionis die reversus est in locum suum. Exivi, inquit c, à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Hic est Sol, de quo psallimus cum Propheta d, sol cognovit occasum suum, Christus scilicet cognovit passionem suam. Sed numquid ita occidit sol, ut non oriatur? Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat? Ipse dixit, Dormivi conturbatus: Sed de ipso etiam dictum est e, exaltare super cælos Deus: & inde venturus est judicare vivos & mortuos. Ergò sicut sol iste visibilis decedente die per incognitas semitas ad locum regressus unde exierat, rursus expleto noctis curriculo de thalamo suo festinus erumpit: ita mysticus Sol, qui de sinu Patris in uterum matris de-
a Job. 38: 32. b Eccles. 1: 5. c Joau. 16: 28.
d Psalm. 103. e Psalm. 56,

scendit, ut lumine suo illustraret universa, & cælis iterato nasceretur exortu, quando iterum apparebit expectantibus se in salutem. Ideò facies ejus lucere dicitur, sicut sol f lucet in virtute sua, quia, ut S. Victorinus g Episcopus scribit, licet solis gloria minor sit quàm gloria Domini, propter ortum tamen & occasum, & rursus ortum scriptura dicit faciem ejus similem gloriæ tolis. Sed & nobis singulis oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur. Oritur cum suam nobis infundendo gratiam dixerit de tenebris lucem splendescere: occidit, cum illud contingit, quod in Psalmo h scriptum est, Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Oritur timentibus Deum, & sagittantibus per bona opera certam facere vocationem suam: occidit negligentibus, & fallaci præsumptione securis. Oritur, inquit Salomonius i, timentibus se: occidit etiam hæreticis, & malis Catholicis, quia propter peccata sua lumen gratiæ ipsius amittunt. Oritur quibusdam, aliis occidit, ait Marcus Eremita k, pro varia eorum dispositione, qui circa divinam cognitionem versantur: ille verò beatus est, qui possidet ipsum in se ipso justitiæ Solem, qui non est circumscriptus vespere, & ignoratione. Item alio modo. Oritur nobis Sol, quando veritatis intelligentiæ cordi nostro inspiratur: occidit, cum intelligentiæ radius obscuratur. Occidit ei sol, ait Propheta l, cum adhuc dies esset. Sed post occasum ad locum suum revertitur, ut iterum renascatur, quia per subtractionem gratiæ ad sui considerationem mentis oculus reverberatur. Solis enim hujus locus proprius ipse est animus. Per hoc verò quod divina gratia se ad tempus subtrahit, cogitur homo agnoscere quàm nihil sit, & quam per se nihil possit, per quam propriæ infirmitatis cognitionem amissa intelligentiæ reparatur, & quasi sol renascens ad altissimam rerum coelestium contemplationem paulatim ascendit.

2. Ecce quantum valet humilis cognitio sui, scriptum est enim m: Omnis qui se humiliat, exaltabitur: & n, Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam mandata tua. Post occasum sequitur ortus, & humiliatio signum est gratiæ appropinquantis, quia sicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. Rectè Satyricus o:

— E celo

f Apoc. 1. ac ibidem g Victorin. in Apoc. c. 1. h Ps. 29. i Salomonius in c. 1. Eccles. k Marc. Eremit. de Temperantia c. 15. l Jer. 15: 9. m Luc. 14: 11. n Psalm. 118. o Javenal, Sat. 11, v. 27.

*E celo descendit γῆδὸς αἰσθητῶν
Figendum. & memori tractandum pectore.*

Scientiam cœlestium & terrestrium rerum, ait Hugo Victorinus *p*, laudare, atque amare solent homines; sed multò meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt cognoscere semetipsos. Laudabilior siquidem est animus, cui nota est miseria sua, quàm qui eam non respectà, vias siderum & naturas rerum scrutatur. Demonax *q* interrogatus quando cœpisset philosophari, tunc, dixit, cum agnoscere meipsum incepi. Pythico templo inscriptam olim hanc sententiam, *Nosce teipsum*, tum multi alii, tum ipse Plato *r* testatur, qui ait, hanc inscriptionem esse tanquam Dei salutationem ad homines præcipientis, ut temperatè vivant: nosce enim teipsum, & esto temperans idem sunt. Est ergò, ut docet Christianus Pædagogus *s*, disciplinarum omnium pulcherrima, ac maxima seipsum nosse: quia si quis seipsum norit, Deum cognoscit; quod si Deum cognoscet, ei assimilabitur. Idem asserit Magnus Antonius Abbas *t*, qui ad suos Arsenoïtas scribit, eum, qui seipsum cognoscit, tum universos, tum Deum ipsum cognoscere. Porro naturæ nostræ ignoracione, ait Hierocles *u*, nulum non malorum genus in nos irumpit. Cognitio verò sui, inquit Isaac *x*, scientiæ omnium est plenitudo. Heu quàm turpe, & probrosum est, exclamat quidam pietate insignis Scriptor *y*, multa alia scire hominem, & nescire seipsum! Nam si quis seipsum ignorat, audiet Dominum objurgantem, & dicentem *z*: *Si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Videtis quæ nos maneat pœna nostræ ignoracionis, observat Princeps Mirandulanus *a*, illa Phœnix ingeniorum: Abeundum est à patre, quam abicionem sequitur exharedatio, qua quid infelicius? Egrediendum est utique ex nobis, neque enim apud se est animus, qui seipsum non videt: qui autem à se exit, à se divellitur, quo quid acerbius? Eundem post vestigia gregum nostrorum, id est post brutorum vestigia, quæ sunt in nobis, quo quid miserius, quid despiciatius, & contemptibilis? fieri scilicet pedissequos bestiarum quarum

nos duces natura statuerat. Humanæ quippe naturæ hæc conditio est, teste Boethio *b*, ut tunc tantum cæteris rebus, cum se cognoscit, excellat: Eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Quod si nosiplos cognoverimus, quasi meridianus fulgor consurget nobis ad vespèram intelligentiæ solis: & juxtà Prophetam Zachariam *d*, *In tempore vespèri eris lux.* Omnium enim bonorum in nobis custodiendorum tutissima ratio est, seipsum non ignorare.

3. Habet dies brevissima vitæ nostræ lucem & tenebras, bonum & malum: habet ortum solis, habet & ejusdem occasum. Si fortè tuæ noctis tenebras exoriens solis jubar fugarit, cautus esto: noli ad hanc lucem incautà securitate exultare: nam quicumque sit hic fulgor, celeri disparebit occasu. Nondum venit illa dies, quæ nescit occasum; illa dies, quæ manè habet, sed nullo terminatur vespere: illa dies, de qua scriptum est *e*, *Non occidet ultra sol tuus, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* Sed etsi occultà divinæ sapientiæ dispositione tuæ lucis nitorem subitaneus solis occasus offuscavit, ne gravi præoccupatus tristitiâ animum despondeas, nec quasi desperans illud Prophetæ *f* gemebundus usurpes, *Vae mihi, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vespèri:* citò enim veniet salus tua, eruntque novissima tua meliora prioribus. Ne magnitudo lucis, & consolacionis extollat te, venit Sponsus, & recedit: sed cave tibi ò Anima, non longè ille abest, & si non vides eum, ipse tamen videt te plenus oculis ante, & retrò. Hæ sunt videlicet rerum vicissitudines. Hic est jucundus, & utilis divinæ Sapientiæ ludus. *Venit mane, venit nox g.* Nubilum vespèrum serenum sequitur mane, clarum mane tenebroribus excipit vespèr. *Manè dices, quis mihi det vespèrum? & vespèr, quis mihi det mane h?* Denique, *ad vespèrum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitiâ i.* Juvat hincq; tem duos eloquentiâ præstantissimos viros Septimium Tertullianum, & Zenonem *k* Episcopum, hac de re loquentes audire. Hic sermone de Resurreccionè; Sol, ait, quotidie nascitur, eademque die quæ nascitur, moritur: nec tamen instantis finis sorte terretur, suos ut repigret cursus, ut horas ac momenta producat, ut saltem paulò diutius diei sui demoretur in vita; sed fidelis semper, semper intre-

Bbbbb 3 pidus

p Hugo lib. 2. de Anima c. ult. *q* Stobæus serm. 19.
r Plato in Charmide. *s* Clem. Alexan. init. lib. 3.
t Pædagog. *u* Anton. ep. 2. § 6. *v* Hierocles c. 14.
w carmin. Pythag. *x* Isaac de contemptu mundi.
y cap. 35. *z* Joan. Taulerus serm. de S. Laurentio
a Cantic. 1. 7. *a* Joan. Ricus Mirandulan. in
Hæc aplo. Proam. l. 4.

b Boeth. de cons. Phil. lib. 2. prosa 5. *c* Job. 11: 17.
d Zach. 14: 7. *e* Isai. 60: 20. *f* Jerem. 6: 4.
g Isai. 21: 12. *h* Deuter. 28: 67. *i* Psalm 29.
k Zeno de Resurr.

pidus ad sepulchrum noctis cognatae contendit, sciens in ipso se habere quod vivit: denique admittitur ei ortus, si ei auferatur occasus. Ille libro de Pallio sic differit: Dies & nox invicem vertunt solstitionibus annuis, Luna modulationibus mensuris variat, siderum distincta confusio interdum deficit quid, interdum resuscitat, cœli ambitus nunc sub divo splendidus, nunc nubilo sordidus, aut imbres ruunt, & si qua missilia cum imbribus, deinde substillum, & denuo fidum. Consentaneum est igitur, ut quidam profanus *m* admonet, neque nos ad subitas calamitates animo ita correre, ut omnem spem proficizonis: neque latis in præsentia rebus usque adeo efferrî, ut providentiam etiam perdamus; sed spem futuri in medio utriusque fortunæ collocatam habere, & tutò in utramque partem consilium capere. Lux, & tenebræ; frigus & æstus; dulcia & aspera mutuis vicibus veniunt, & redeunt; nascuntur & occidunt: sic disponente Domino, ut continua bonorum, malorumque successione vitæ nostræ alterna spatia constarent.

1 Tertullian. de Pall. cap. 2. m Dio Cassius lib. 47.

M E T R U M XX.

Non semper spatiosos irrigat
Turbidus imber agros.
Non semper rigidis aquilonibus
Pigra laborat humus.
Non semper sylvis pecus, & comas
Horrida tollit hyems.
Phœbeum quandoque serenius
Surgit ab axe jubar,
Quandoque alterna vice temporum
Solvitur aeris hyems.
Flores quandoque aura favonii
Imperiosa vocat.
Sic tempus certo ordine digerit
Quicquid in orbe viget.
Ille infans hodie qui nascitur
Cras tumulatur humo.
Qui nunc semina grata nepotibus
Spargit & arva colit,
Consita cras evellit, & arida
Concremat igne sata.
Est tempus, quo belli fulmine
Victima quisque cadit.
Est tempus quo sospitat omnia
Pacis alumna quies.
Destruit iste superba palatia;
Diruta at ille struit.

Nunc manant lacrymarum flumina,
Nunc dolor omnis abest.
Omnia sic spatia pertranscunt,
Conglomerata suis.
Perpetuum nihil est, stabile gradum
Nemo sub axe tenet.
Numina firmant lege adamantina
Quas posuere vices.

§. I I.

De eo quod scriptum est; Ad vesperum demorabitur fletus. Dicitur obiter de utilitate lacrymarum. Vesper contemplationem significat.

1. **S**apientissimus mortalium fuit, qui distinguit tempus flendi, & tempus ridendi. Quod si quæras quale tempus flendi, quale gaudii tribui debeat, jam audisti David respondentem: *ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Sed cur jubet Propheta vespere flendum esse? cur non & manè, & meridiè? aut quare cum lacrymis claudendus est dies, cum omni tempore hilarem datorem diligit Deus? Digna profecto solerti disquisitione res ista videatur, estque ejus explicatio ab antiquis Patribus petenda, quibus datum est nosse mysteria regni Dei. Primus offert sese ultrò Basiliius p: *Vespera*, inquit, præsens vita est, qua peccata plangi debent: scriptum est enim, *q Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Quicumque igitur dies sæculi hujus in consummatione jam existentis, & ad occasum tendentis in plorandis peccatis exegerint, hi demum vero illo matutino adveniente gaudebunt. *Nam qui fersunt in lacrymis, in gaudio metent*. Concinit Hieronymus r: *Vespera* tota ista vita præsens intelligitur, qua per peccatum Adæ omnes usque in finem sæculi gemunt: ad matutinum autem erit lætitia in generali resurrectione. Addo Augustin. s quo hujus rei explicatio insignior fiat. *Quid est, inquit, vespere demorabitur fletus? Vespera* fit, quando sol occidit. Occidit sol ab homine, id est, lux illa justitiæ, præsentia Dei. Ideo quando expulsi est Adam, quid dictum est in Genesi? *Cum deambularet Deus in Paradiso*. Ad vesperam deambulabat Deus. Jam ille peccator texerat se intra lignum, nolebat videre faciem Dei, ad quam gaudere consueverat. Occiderat illi Sol justitiæ, non

n Eccl. 3:4. o Ps. 29 p Basil. in Ps. 29. q Matth. 5:5. x Hieron. in Ps. 29. y August. in eundem Ps.

non gaudebat ad præsentiam Dei. Diu eris in fletu o genus humanum, naceris enim de Adam, & sic est factum. In matutino sperandum est, lætandum est; sed perferendum est modò, & gemendum. Antonius Patavinus & Seraphicæ Religionis decus eximium triplicem vesperam esse docet, & triplex matutinum, in quorum quolibet est fletus, & læticia. Prima vespera fuit Adæ culpa, in qua fuit fletus, cum de paradiso ejectus audire meruit u; In sudore vultus tui vesperu pane tuo: Primum matutinum fuit Nativitas Jesu Christi, Evangelizo vobis gaudium magnum. & Secunda vespera fuit mors Christi, in qua fuit fletus, Filia Hierusalem nolite flere super me. y Secundum matutinum fuit ipsius resurrectio, in qua fuit læticia, Gavisi sunt discipuli viso Domino z. Tertia vespera est in morte cuiuslibet hominis, in qua est fletus; Mortua est Sara, venitque Abraham, ut plangeret, & fletes eam a: Tertium matutinum erit Sanctis in generali resurrectione, in qua erit læticia sempiterna super capita eorum, ut dicit Isaias b: Isychius Hierosolymitanus c, qui Leviticum eruditissimis commentariis illustravit, per vesperam poenitentiam intelligit, ad quam fletus demoratur, quia nisi peccator lachrymarum flumine scelera abluat, semper immundus erit coram Domino: atque ideo præcipit lex, ut, qui aliquid ex iis, quæ lege prohibita sunt, fecerit vel attrectarit, immundus sit usque ad vesperam, donec scilicet peccati sordes abluerit lacrymis, & poenitentia.

Tanta est potentia lacrymarum, ut immun da quæque purgare valeant, infirma reficere, perdita restaurare. Luctus siquidem pius, ac religiosus, ut sanctus Abbas Igniacensis d docet, in doctrina spiritus, & ordine primus, & utilitate invenitur præcipuus: quippe cum sit summa sapientia sanctorum, custodia iustorum, sobrietas modestorum, prima incipientium virtus, proficientium stimulus, perfectorum cumulus, pereuntem salus, periclitantium portus, promissionem denique habens consolationum, quæ nunc sunt, & gaudiorum, quæ futura sunt. Joannes Climacus e majorem baptismate fontem lachrymarum audaci hyperbole dixit: & Absque metu, inquit, ruina est, qui ex mortis, scelerumque memoria genas suas viventium

aquarum perpetuis imbribus rigat. Optimè Petrus Cellensis f; Demergit lachryma populum criminum, rupiumque nostri pectoris solvit duritiam, iudicis emollit iram, jam intentatæ iræ humili ausu flectit minas, vibratas revaginat acies, erecta jam resupinat supplicia, exundantes irrorat flammæ, profundit de silice aquas, remollit aspera, rigida recurvat, humectat arida, sterilia fecundat, sordida lavat, decorat fœda, suscitât emortua, referat clausa, prohibita accelerat, intemperata temperat, portas refringit inferni, carbones extinguit ferreæ fornacis. Quid plura? Vincit invincibilem, ligat omnipotentem, naufragium est viciorum, portusque naufragatorum, Filium Dei ad nos inclinat, & ad veram Trinitatem interveniente spiritu nos elevat. O humilis lacryma, exclamat sapiens Idiota g, tuum est regnum, tua est potentia; ante aspectum iudicis intras, quicquid petis obtines, accusantibus inimicis silentium imponis. O virtutem, o efficaciam lachrymarum! rigant cœlum, terram diluunt, extinguunt gehennam. Ideò cor sapientum, ait Ecclesiastes h, uni tristitia est, cor stultorum ubi læticia. Exite lacrymæ jampridem exire cupientes, Aperiuntur catartæ miseri capitis; & erumpant fontes aquarum. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus, si fortè sufficiant inundantes aquæ sordes diluere culparum, quibus iram merui. Peccavi super numerum arenæ maris, iniquitatem feci in omnem justitiam Dei, à planta pedis usque ad verticem capitis non est sanitas in me. Cum nondum aliquid egissem boni, vel mali, præoccupaverunt me laquei mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me. A sæculo confregi jugum, dirupi vincula, & dixi: Non serviam. Commendavit autem charitatem suam in me Deus, quia cum totus in peccatis essem, Filium suum pro me tradidit morti, & ipse innocens in lacum missus est, ut solveret collum meum à iugo captivitatis. O ubi estis fontes lacrymarum, ut plangam die, ac nocte calamitatem meam! Lugete me montes, & colles: lugete me flumina, & maria: lugete me bestia sylvarum, reptilia terræ, & volucres cœli: quoniam vos quidem servitis Deo, legesque vobis ab illo impositas jugiter custoditis: Ego verò pactum mecum prævaricatus sum, & amantissimo patri me filium proflus degenerem exhibui.

Ubi

t. Anton. Patav. ser. Dominic. 17, post Pent. u Gen. 3. 19: x Luc. 2. 10. y Ibid. 23. 28. z Ioan. 20. 20: a Gen. 23. 2: b Isai. 35. 10: c Isychius in Levitic. cap. 11. & alibi passim. d Quercic. Abb. serm. 2. Pent. e Climac. gr. 7.

f Petrus Cellens. l. de panibus cap. 12. g Idiota de mens. sib. spirit. contempl. 2. h Eccl. 7. 3.

Ubi nunc es vanitas mea, superbia mea! Quò perrexistis delectationes carnis meæ, quid profuistis mihi! Heu pro vobis innocentiam perdidisti, Deum amisti, & æterna gaudia æternis suppliciiis commutavi. Propterea contremisco à gravissima illa voce, *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Illam formidabilem sententiam metuo; *Ite maledicti in ignem æternum.* Contremuerunt omnia ossa mea ab ira iudicis omnipotentis, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à voce Archangeli, & à verbo aspero. Tabescere me fecit pavor meus à dentibus bestiarum infernalis, à rugientibus præparatis ad escam, ab ardoribus sempiternis. Horreo conscientiarum vermem, fœtorem sulphuris, vaporem fumi, stridorem dentium, aspectus dæmonum, & spiritum procellarum. Horreo tenebras exteriores, horreo interminabilem tormentorum æternitatem. Heu me mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, & lacrymarum? cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem, & cibus ignis? Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & dolorem dolore? Contremuerunt columnæ cæli, viri sanctissimi, si forte legentes inciderunt in illud, *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta:* Et ego miser, ac deperditus homo in beata vitæ, æternumque deplorandæ mortis collimatio constitutus, nullo sanctimoniarum munimine septus, nullo innocentiarum suffragio adjunctus, nullo veræ penitentiarum præsidio vallatus, quasi jam securus nugabor, & ludens cum æternitate inter tot lacrymarum incitamenta ridebo in æternum periturus?

i. Eccles. 9. 1.

M E T R U M XXI.

Ite igitur lacryma, rapidis concrevisse rivis
Ite, rigate genas: ite, replete sinum.
Exul enim patris tam longè distans oris
Nam potero latus reddere voce sonos?
Non bene consilium mentitur gaudia pectus,
Nec bene marenti fingitur ore jocus.
Heu felix regio morsu deperdita pomi,
Quasibus heu! quoties es revocanda meis.
Atque utinam tristes gemitus, vigileque querela,
Flebilis aut posset te revocare sonus.
Mille genas, & mille oculos, & pectora mille

Optarem, & querulas fundere semper aquas.
O celum! o supera felicia gaudia vita,
Fulget ubi æterno lumine clara dies!
O Deus! o superi! (cessa, dolor anxie, cessa,
Ne impediatur lacrymis, carminibusque viam.)
Nam quid delicias patriæ, quid perditæ cæli
Gaudia, quid superos commemorare juvat?
Heu magis afficiunt maestum præsentia pectus,
Ipseque sum lacrymis causa sat apta meis.
Exulat orbe pudor, terras Astræa reliquit,
Sub pedibus pietas, fasque, fidesque jacent.
Vis colitur, jurisque locum sibi vendicat ensis,
Per vetitumque ruit gens scelerata nefas.
Contemptrix cæli, vilisque avidissima terra,
Improba turba soli sordida frustra colit.
Omne scelus regnat, gula, luxus, iusta rapina:
Fandæ nefanda malo mixta furore licent.
Ipse ego post puras sancti baptismatis undas,
Post ea que religant me tria vota Deo,
Heu quoties merui violati Numinis iram,
Committens variis crimina sæda modis?
Ergo serite genas, savite in pectora palma,
Ergo truces virgæ scindite terga manus:
Imminet ecce dies post tot peccata verendus,
Stamina quo vitæ mors suribunda secet.
Tendimus huc omnes, nulli mors dira pepercit,
In se quisque suis sinceris arma gerit.
Delicias luctus sequitur, malè sana voluptas
Multa sub Hyblæo melle venena premit.
Sustinet hanc scenam tellus, hæc fabula mundum
Ludit, & in tragico vitæ dolore gemit.
Atque utinam omniter cessarent morte dolores,
Sed gravior post hanc luctus, & horror erit.
Judicium super est, & ineluctabile tempus,
Arida quo tellus igne soluta ruat.
Cynthia pallefcet, vaga sidera luce carebunt,
Cælabitque nitens Phæbus in axe iubar.
Atque iterum tellus effunderet in æra viva
Corpora, qua vasto claudit avara sinu.
Tum veniet Judex procerum comitante caterva,
Et dicet reprobis Ite, Venite probris.
Heu quantus seriet tunc noxia pectora terror!
Impia quo poterit turba latere specu?
Ab miser! ab quantis tormentis tunc cruciabor,
Si mihi sit merito pena luenda rogo!
O mors! o Judex, & inexorabile Numen:
O mors extremum non habitura diem.
Parce animæ mens caca tuæ, sortique futura
Prospice, ne incautum nox tenebræ sa premat.
Felicis nimium lacryma, queis Numinis ira
Cedit, inexhaustis currite semper aquis.
Currite, & in duplices vertantur lumina fontes,
Perque oculos undæ, qua data porta, ruant.
Nam licet Oceanus me fluctibus amplius inundet,
Nulla meis lacrymis undæ sat esse potest.

Flebilibus

*Flebilibus capî nascens vagire querelis,
In lacrymis vixi, par quoque finierit.
Quod si mersa semel fuerint mea cyrmina plaudu,
Tunc aberit causa deficiente dolor.*

3. Non omittendum hoc loco, quod Bernardus & alius se furrigens docet. Nam per vespeream orium contemplationis intelligit, juxta illud; *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vespeream.* Surgit nimirum, & properat fidelis homo ad animarum lucra, ad vitæ activæ officia dum dies est: Vespere autem ad quietem contemplationis tantò ardentius regreditur, quantò fructuosius eandem se meminit intermisisse. Cæterum inter actionis negotium, & orium contemplationis fluctuat interdum, & exæstuat timens, ne plus iusto alteri horum inhæreat: Et fortasse tale aliquid S. Job m patiebatur cum diceret, *Si dormiero dicam, quando consurgam? & rursum expectabo vespeream, & replebor doloribus usque ad tenebras:* hoc est, & quietus neglecti operis, & occupatus perturbatæ nihilominus quietis me arguo. Vides virum sanctum, ait Bernardus, inter fructum operis, & somnum contemplationis graviter æstuarè: & in bonis licet semper versantem, semper tamen quasi de malis pœnitentiam agere, & Dei cum gemitu momentis singulis inquirere voluntatem. Unicum quippè in hujusmodi remedium, seu refugium Oratio est, & frequens gemitus ad Deum; ut quid, quando, & quatenus nos facere velit, assidue nobis demonstrare dignetur. Hoc itaque habet sanctæ contemplationis vesper, ut ad eum quoque fletus demoretur. *In tempore vespere* ait Isaias, *& ecce turbatio.* Peracto enim jam die turbati item solet quisquis studet placere Deo, cum in vespertina conscientia discussione pro negligentibus, & peccatis admissis orat, & lachrymatur, ut divinam sibi conciliet misericordiam. Qui verò fideliter ministrando, consulendo, & prædicando Domini sui lucra studiosè quæsit, *Dormiet ad vespeream in semitis Dedanim,* ut idem scribit Propheta, quia cœlesti desiderio fulgens supernæ contemplationis arcem commodis dumtaxat, & opportunis horis conscendit, dormitque in semitis Dedanim, id est iudiciorum, ut D. Hieronymus interpretatur, quia cooperante gratia est indulgentia præsumens, jam non laborat in gemitu suo sub timore iudicii;

k Bern. serm. 57. in Cant. 1 Psal. 103. m Job. 7:4.
n Isai. 17: 14. o Isai. 21: 13. ac ibi D. Hieron.

sed proficiens in melius; Deique gloriam cum ineffabili gaudio contemplans lætus sedet, vacuus dormit, quiescit securus, prohibente Domino, & contestante, ne quis dormientem præter ejus voluntatem excitare præsumat. De primis, id est incipientibus, & adhuc gementibus sub pondere diei, & æstus scriptum est q; *Venit mane, venit nox:* nam matutinam gratiæ illustrationem statim sequitur horribilis nox, ululatus, & planctus magnus, timor, & tremor, ac incessabilis gemitus pro remissione peccatorum obtinenda; fluctuante nimirum conscientia inter spem, & timorem, donec verbo Domini tenebræ, quæ sunt super faciem abyssi, plenioris luminis illustratione dissipentur. De secundis, qui jam pulso timore singulariter in spe constituti dormiunt in pace, mysticè intelligo, quod in mundi creatione Moyses sæpius repetit; Factum est vespere, & mane. Illis post mane sequitur nox: istis post vespeream sequitur mane, nec ulla fit mentio noctis. Ut enim subtiliter notat sacræ purpuræ insigne ornamentum Petrus Damiani, Vesper ipsa boni operis est perfectio, mane verò lux mentis. Nam cum bonum opus pervenit ad perfectionem, tunc in operantis mente lux gratiæ spiritualis exoritur, ut, dum lucidum opus foris exequitur, intrinsecus ipse gratia Spiritus illustretur. Nulla autem nox iis computatur, quoniam divina perfusi claritate amicti sunt lumine sicut vestimento.

p Cant. 2:7. q Psal. 21: 12. r Petr. Damian. ep. 5. l. 2.

S. III.

*Magna esse vespertini temporis sacramenta.
Notantur quædam de epistolis laureatis,
Pacis encomium, & ad eam exhortatio.*

1. Sed quorsum hæc tam multa, tamque sconquisitè? Nempè ut susceptam de vespere tractationem symbolicis explicationibus illustrem clarius exequamur. Quis enim hac hora non solito ferventior in Dei laudibus invenitur, quæ tot mysteriis insignis habetur, tot sacramentis nobilitatur? Eleganter ad hoc hortatur omnes Ambrosius s: Cum vespera diem claudit, Deo debemus per Psalterium laudem dicere, & gloriam ejus modulata suavitate concinere, quod operum nostrorum consummato certamine veluti victores requiem mereamur, & laboris quædam palma sit

Ccccc soporis

l Ambros. c. 2. in fine com. in Malach.

soporis oblivio. Omitto pleraque sacramenta, quibus hæc hora illustratur. Omitto, inquam, quod vespertinum officium diurni finis, diurnæ & alternæ lucis occasus est: atque idem seculi hujus interitum, vitæ nostræ finem demonstrat, ut Hieronymus *r* Presbyter, Salonius Episcopus *u*, Olympiodorus *x*, & Cæsarius, luculenter ostendunt. Omitto quod in umbra veteris testamenti vespertinum sacrificium quotidie offerebatur. Omitto quod ipse Dominus gentem suam à jugo ferreo Ægyptiæ servitutis solemniter strage primogenitorum liberaturus Agnum sine macula ab universa multitudine filiorum Israël ad vesperam immolari præcepit. Cujus vespertini sacrificii nos mysticam exprimentes intelligentiam cantamus quotidie cum Psalmographo *z*, *Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Illud quoque commendat vespertinum dignitatem, quod in sacra Genesis historia legimus. Noë vir justus, atque perfectus scire cupiens post cataclysmum, an tellus jam sicca, & detecta egressionem è tetro carcere permitteret, columbam emisit exploratricem. *At illa, ait sacer textus u, venit ad eum ad Vesperam portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo.*

Ergo emissa semel vitali è sede columba Nil vesperans certi, rursus dimissa reportat Paciferæ frugis parvum libamen olivæ b.

Consules, & Imperatores Romani post debellatos Imperii hostes literas laureatas ad Senatum mittebant triumphalis victoriæ nuncios, ut solus epistolæ aspectus non nisi prospera, & felicia indicaret. Narrat id Romanæ historiæ princeps *e*, eundemque morem recensent Julius Capitolinus *d*, Ælius Lampridius *e*, Cornelius Tacitus *f*, & ex recentioribus Alexander ab Alexandro *g*. Deus verò pro epistola columbam misit olivæ virentis ramulo insignitam, è cuius aspectu statim vir sapientissimus intelligeret magnam illam aquarum confugem imminutam, pristinamque terris faciem redditam esse. Explicat elegantissimè totius mysterii seriem Ambrosius *h* libro de Noë. Volat autem columba, dum dies

est; ingruentibus tenebris ad justum revertitur, quia justitia, & pax in tenebrosis iniquorum pectoribus quiescere nequaquam possunt, nisi diluvia passionum omnimodis deferbuerint. Emiserat Noë corvum avem rapacem, & symbolum habentem cum Divina justitia, & cum vespere severitatis. Nam apud Hebræos vespere dicitur *Herab*, corvus *Horeb*, iisdem literis puncto dumtaxat immutato. Ibat ille, non revertebatur quasi gaudens in executione justitiæ, donec cessarunt aquæ, & datus est locus misericordiæ, & emissa columba decerptum ex oliva surculum indicem pacis ad vesperam deportavit.

2. Monemur in hoc saluberrimo consilio, Apostolicum in omnibus sequi mandatum omnino præcaventes, ne *Sol occidat super iracundiam nostram i*. Sic veræ columbæ erimus dorso aureo, pennisque deargentatis fulgentes: sic gemmen virentis olivæ ore nostro portabimus ad vesperam, si Sole ad occasum approquinquante pacem loquamur cum proximo nostro, pacem cum nobis ipsis, & pacem habeamus ad Deum: sic delectabimur in multitudine pacis, & pacis non erit finis. Quod splendor in igne, quod serenitas in aëre, quod tranquillitas in mari, quod amoenitas in terra, id pax in corde. Ipsa enim est, ait Magnus Leo *k*, quæ parit filios Dei, nutrix dilectionis, & genitrix unitatis, requies beatorum, & aternitatis habitaculum, cujus hoc opus proprium, & speciale beneficium est, ut jungat Deo, quos secernit de mundo. Age verò, scribit Dionysius Areopagita *l* dictus Theoprophus, ut testatur Hilduinus *m*: Age verò Divinam, conciliandique principem pacem pace dignis laudibus ornemus. Ea enim est, quæ omnia conjungit, atque inter omnia concordiam, connexionemque & gignit, & absolvit. Itaque eam omnia expetunt, quod dividuam ipsorum multitudinem ad totam conjunctionem traducat; intestinumque bellum hujus universitatis ad ejusdem generis domicilium conjungit. Hæc & alia plura diffusè, & abstrusè de pace Dionys. Eandem multipliciter commendat vir eximius Potho Prumiensis *n* libro primo de statu Domus Dei, atque inter cætera hæc habet: Pactum pacis est, quo Deus in Christo mundum sibi reconciliavit. Ingrediens quippè mundum Salvator, pacem nobis per Angelos annunciavit.

Egrediens

r Hieron. *u* Salon. *x* Olimp. ad cap. 1. Eccles. *y* Cesar. inf. dial. 1. *z* Psalm. 140. *a* Gen. 8: 11. *b* Claud. Max. Victor. l. 2. com. in Gen. *c* T. Liv. l. 5. dec. 1. *d* Jul. Capit. in Maximino. *e* Lamprid. in Alexan. Severo. *f* Tacit. in vita Agric. *g* Alex. ab Alex. dier. genialium lib. 1. c. 27. *h* Ambros. l. de Noë, cap. 10.

i Ad Ephes. 4: 26. *k* Leo serm. 6. de Nat. *l* Dionys. Areopag. c. 11. de div. nom. *m* Hilduin. in Areopagiticis. *n* Potho Prum. lib. 1. de domo Dei. *o* Lucæ 2: 14.

Egrediens de mundo, testamentum pacis fidelibus suis reliquit, dicens Apostolis, & in Apostolis nobis: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis p.* Milis etiam in mundum prædicatoribus præcepit q: *In quacumque domum intraveritis, prius dicite; Pax huic domui: quod si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra.* Qui ergo sunt filii pacis, hi per gratiam pacis habitant in unum. O beata pax, ô jucunda tranquillitas! Tu perfectio sanctitatis es, tu iustitiæ regula, tu magistra doctrinæ, tu morum custodia, tu puræ mentis indicium, ac omnium desideriorum amplissima plenitudo. Custodienda igitur præ omnibus virtutibus pax est, ait Petrus Chrysologus r, quoniam Deus semper in pace est.

p Jo. 14: 27. q Luc. 10: 5. r Chrysol. serm. 53.

METRUM XXII.

O Sincera parens beatitatis,
Cœli delitium, Dei que proles,
Pax terræ columen, decusque morum.
Pax cunctis potior ducum triumphis,
Quos mundi colis abditos recessus e;
Hic te sollicito requirit æstu,
Urbanos fugiens procul tumultus.
Hic inter scopulos, vagosque fluctus,
Spumantis pelagi latere credit.
Hic deserta petit loca, & per antra
Te quaerens varias peragrat oras,
Qua lucens oritur, ceditque Titan.
Hic ut te celer assequatur, aurum
Congestum colit, atque dignitatum
Regalem sibi præparat decorem.
Hic demens iuga scandit, & remotos
Perstruat agros: tamen supernæ
Hi pacis nequeunt bonis potiri.
Cur sic ergo tuum benigna Numen
Cælans implacidum relinquit Orbem?
Pacem sic ego sciscitabar: illa
Respondit: Proprio imperare cordi
Si nosti, tibi cognitumque Numen,
Possessumque meum est: sinu receptam
Sic me perpetuo coles amore.

S. IV.

Vesperarum ex novo Testamento prærogative.
Vesper mundi finem significat. Oratio ad
Dominum, ut nobiscum manere dignetur.

i. Sed jam ad novum testamentum accedo, scujus veritas, & gratia *vergente mundi vespere* admiranda Divini Verbi incarnatione facta est. Vesper mundi erat, cum Christus venit, quia totus erat mundus in tenebris. Vesper erat, temporis scilicet plenitudo, & finis dierum, mundi senectus, & ultima ætas, ut Prophetæ futurorum præscii prænunciaverunt. Vesper erat omnibus, quos immanium delictorum squalor, quos diræ mortis tenebrosus horror urgebat. Porro per vesperam ultimam mundi peruentis ætatem intelligi, qua *Verbum caro factum est*, testes sunt, ut alios prætermittam, Origenes s, & Augustinus t. Nos sumus in quos deveniat fines seculorum. Nos senescentis ævi postrema proles veteris abolitionem legis, novæ vidimus promulgationem. Vitiis a gmina ab incarnato verbo expulsa, virtutes vidimus revocatas. Nobis æternæ beatitudinis ostium reclusurus æternus Dei Filius augusto Virginis thalamo inclusus est. Factus est mortalis Deus, ut nos faceret immortales. Verbum enim in Christo passim fuisse dicitur non simpliciter, sed ut loquitur Rusticus Cardinalis u, propter unionem propriificans ea quæ sunt passibilis naturæ per suificationem dispensativam: quod nos dicimus per Idiomatum communicationem. Quis non tantæ dignationis excessum dignis excipiat laudibus, digno colat affectu, digna gratiarum actione prosequatur? Vesper rursus erat cum transiturus de hoc mundo ad Patrem instructa legali cœna agnum comedit cum lactucis agrestibus ipse Agnus occisus ab origine mundi acerbissimæ suæ passionis amaritudinem præfigurans. Post hæc surgens à cœna immundos discipulorum pedes lavit, & ter sit: tum regressus ad mensam vivifica instituit preciosissimi sui corporis, & sanguinis Sacramenta. O cœnam admirandam, o gratiam super excellentem! Idem Dominus conviva est, & convivium; cibans, & cibus; offerens, & oblatio; victima sacerdotii sui, & suæ victimæ sacerdos: Manducat homo panem Angelorum; qui jumentis insipientibus comparatus, fœnum ut bos comedere dignus erat. Cibum percipit vitæ, qui de cœlo descendit, cibum omnis suavitatis, sanctorum delicias, ferculum immortalitatis. Vinum bibit supercœleste, vinum germinans virgines, & aridas sitibundæ animæ fauces pota salente in vitam æternam refocillat. In loco pascuæ, in loco

Ccccc 2 uberi

s Orig. hom. 7. in Exod. t Augustinus ser. 74. de temp.
u Rusticus lib. contra Acopulos.

uberi collocatus flumina mellis, fontes lactis, liquorem balsami fugit, torrente voluptatis potatur, & ab uberrimis cœlestis ambrosiæ inundationibus inebriatur. O cœleste convivium, ô suavissimam refectioem, ô amoris excessum! Hac ratione unus spiritus efficitur Sponsa cum Sponso, Ecclesia cum Christo, anima cum Deo. Hac inquam ratione devotus animus deliciatur, totus spiritualis evadit, omnem concupiscentiæ nebulam evaporat, tantique amoris incendio succensus hominem comburit in homine, & in abscondito faciei Domini gloriatur. Tantam verò mysteriorum profunditatem vespertino tempore in vesperæ suæ passionis operatus est Dominus, ut nos etiã in vespertinæ synaxis celebratione memoriam abundantiae suavitatis ejus eruçtemus. Propterea, ait Origenes x, in mundi vespera passus est Dominus, ut tu semper manduces de carnibus Verbi, quia semper in vespera es, usquequo veniat manè. Et si in hac vespera sollicitus fueris, & in fletu, ac jeuniis, atque omni labore justitiæ vitam duxeris, poteris & tu dicere: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Lætaberis enim manè, id est in seculo futuro, si in hoc seculo fructum justitiæ in fletu, & labore collegeris.

2. Est hæc materia, quæ ducere diem possit, si cuncta horæ hujus mysteria recensere voluero. Vesper enim erat, cùm è cruce depositus, & afflictissimæ matris sinu exceptus dolorem ipsius innovavit, cùm Angeli paciis ad obsequium Reginae circumstantes amarè flebant. Vesper erat, cùm post triumphalem resurrectionem duobus discipulis euntibus in castellum Emaus in habitu peregrini facundum se comitem adjunxit, ut corda propè desperantia mutua confabulatione ad spei constantiam revocaret. Sentiebant illi in scripturarum explicatione erumpentem ignem, qui per ossa diffusus totas animæ medullas ardentibus scintillis depascebat. Rursum per Vesperam finis mundi intelligitur, sicut dicit Chrysologus y, Vesper est cùm finitur dies seculi, mundus à luce temporum cùm declinat. Hæc est vespera, qua reddet Dominus unicuique juxta opera sua: in cuius rei typum duo Angeli impias civitates naturæ jura violantes devastante flamma consumpturi venerunt ad eas vesperæ, ut ipsa hora visitationis (quod Abbas Tuiçienensis z notavit) tristissimæ peccatorum causæ conveniret. Hæc est vespera, qua durissima Hebræorum corda convertentur ad

x Origen. hom. 10. in Gen. y Chrysol. serm. 18. z Rusp. Abb. lib. 6. in Gen. cap. 6.

Dominum, & qui cœlestis doctrinæ pabulum tanquam cibum levissimum nauseabant, Divini verbi famem patientur ut canes. Tunc multi fideles adorabunt bestiam, & dulcissimum Christi nomen saxo duriores abnegabunt, sicut scriptum est, a *Lupus ad vesperam vastavit eos*: & manè florebant, vesperi decident, indurabuntur, & arefcunt. Hæc est vespera, de qua scriptum est, b *Ad vesperam demorabitur fletus*, hoc est de peccatoribus: nam de justis Sophonias Propheta dicit, *Ad vesperam requiescent* c. Est quoque vespera finis vitæ, ut sanctus Abbas Rievallensis d testatur, atque ejus item symbolicè exprimit casum, qui post opera lucis opera inchoat tenebrarum, cuius sunt novissima pejora prioribus. Has tenebras, hunc occasum avertat à nobis Dominus, qui si nobiscum fuerit, etiam vesperæ tenebris carebimus, & *nox sicut dies illuminabitur*.

3. Dicamus igitur cum discipulis illis, quorum cor ardens erat in via: *Mane nobiscum Domine, mane nobiscum, quoniam ad vesperam scit.* Jam vespera mater noctis tenebrarum parturit, jam nos tristitia confundit, desperatio submergit, intraverunt aquæ usque ad animam, & non est substantia: jam mentes nostras horrenda concutit tempestas, jam frigus iniquitatis nos opprimit, glacies immunditiæ supercrescit, jam sauciata conscientia terribilem iudicii sententiam pertimescit. Mane nobiscum, clementissime Domine, quoniam sine te nihil possumus, nihil sumus. Tu solatium nostrum, tu refugium, & virtus, tu es turris fortitudinis à facie inimici. Omnes occupat nox perfidiæ, deficit lux veritatis, prævalent scelera, refrigescit charitas; ad te autem sunt oculi nostri, ne pereamus. Mane nobiscum, ne tenebræ nos comprehendant, & non extinguatur in nocte lucerna lucens, & ardens, quæ lucet nobis in loco isto caliginoso. Instat finis vitæ, diei vesperæ, eripe nos de potestate tenebrarum, & ne declines in ira à servis tuis, quia si nobiscum fueris, in medio umbræ mortis non timebimus mala, sed gratiæ tuæ fulgoribus coruscantes vitæ splendoribus illustrabimur in ipsa regione morientium. Bonum est tecum esse, Jesu dulcissime, mane nobiscum, & ne recedas à nobis: ostende nobis faciem tuam, & salvi erimus. Ecce longiores factæ sunt umbræ vesperæ, imminet nox obscurissima, in qua nemo potest operari, mane nobiscum, & claude ostium à foris, donec pertranscant tenebræ, & iterum lux oriatur, & nobis ostium

a Jerem. 5:6. b Psalm. 29. c Sophon. 2:7. d Elredus ser. de adventu Domini.

ostium aperias, ostium fidei, & amoris; ostium contra ostium, quod in montis ædificio Ezechieli Prophetæ monstratum est. Tu quidem habitas in excelsis, & ascendis super Cherubim, & volas super pennas ventorum, & non valent servi tui invenire locum tuum, nisi tu descendens non graveris venire ad nos; vel certe pertrahas ad te quærentes te, sicut pollicitus es dicens; *Omnia traham ad meipsum; & ecce vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Memento igitur verbi tui, in quo nobis spem dedisti, & mane nobiscum in vespera vitæ hujus, ut adveniente horribili mortis nocte educas nos de carcere isto ad confitendum nomini tuo, tecumque perducas in admirabilem domum tuam, in qua nullæ sunt tenebræ, nulla mastritia, sed lux perpetua, verum gaudium, & exultatio sempiterna. Ibi narrabimus quæ gesta sunt in via, quomodo cognovimus te in fractione panis. Ibi lætabimur in te, & cantabimus laudes tuas sine intermissione. Ibi sedebimus tecum in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.

S. V.

Quid sit Vesper, & quæ ejus etymologia. Qua hora vespertinum officium persolvi debeat. Notantur quedam de Lucernario, & hora lucernari. Mores nostros ab antiquis multum distare.

Ipsum nomen Vesperarum à Græcis duxit originem: nam ut testantur Macrobius e, & Isidorus f ab Hespero stella occidentali Vesper dicitur. Hæc una errantium est, de qua Plinius g, *Infra solem, ait, ambit ingens sidus appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis, & Lunæ: præveniens quippè, & ante matutinum exoriens Luciferi nomen accipit, ut Sol alter diem maturans: contra ab occasu refulgens nominatur vespèr, ut prorogans lucem, vicemque lunæ redens.* Notat Suidas verbo *Εσπερος* ὁ ἐκάλειτο, primò Parmenidem deprehendisse eundem esse vespèrum, & Luciferum, quod alii Pythagoræ tribuunt. De qua re sic canit Georgius Pisides h in Cosmurgia.

*Quis unum, & idem sidus acri lumine
Modo Phosphorum modo Vesperum si percipit,
Hoc nesciat binorum opificem cur suum
Lucis Prophetam, noctis esse nuntium?*

e. *Macrob. 1. sat. cap. 3.* f. *Isidor. 5. orig. cap. 31.*
g. *Plin. l. 2. cap. 8.* h. *Pisid. v. 349.*

Laudant Vesperum Callimachus i in hymnis, Quintus Calaber k in Paralipomenis, & Moschus l in Idylliis. A Musæo Βάρυρος ὁ ἀστὴρ stella umbrosa, ab Appollonio m in Argonauticis ὁ δὲ λῆων ἀστὴρ caularum stella nuncupatur. A Calurnio n Noctifer vocatur his versibus,

*Sed jam serâ dies cadit, & jam sole fugato
Rigidus æstivas impellit Noctifer umbras.*

Itemque à Catullo o in carmine nuptiali, ait enim, *Nimiram Eos ostendit Noctifer ignes.*

Scholiasies Euripidis Vesperum dictum arbitratur, quod omnia ferat quæcunque disperfit Aurora. Consentit huic etymologiæ Sappho p Poëtria apud Demetrium Phalereum his verbis; *Ἐσπερος πάντων φέρεται: φέρεται δὲ νύκτος, φέρεται ἀγῶνα, φέρεται ἰσχυρὰ πείθει,* Vesper omnia fers, fers vinum, fers capram, fers matrem filiam. Hoc idem sidus multi Venerem appellant apud Jul. Hyginum q, quibus apud Plotinum r. adstipulantur Platonici: Plautus s Vesperuginem vocat. Docet autem D. Hieron. t. Judæos, qui usque ad vespèram jejunium protrahabant, tunc solammodo ad sumendum cibum accessisse, cum primum hæc stella appareret.

2. Quod verò spectat ad legitimum tempus hujus officii solemniter celebrandi variant antiqui Patres. Sunt qui autem ipso noctis initio persolvendum, ideoque inter noctis officia Vesperas computant, cui opinioni favet Baronius u tomo primo Annalium. Alii verò extrema diei parte ante solis occubitum vespertinam synaxim agendam præcipiunt, quam propterea volunt ad diurnæ servitutis pensum pertinere. Stat priori parte Isidorus x, cuius sententiam repetit, & calculo suo approbat Rabanus Maurus y. Stat etiam auctoritas hymni, quem Mediolanensis Ecclesia, & Ordo Cisterciensis quotidie canunt ad Vesperas, his præsertim versibus:

*Grates peractis jam die, | Voti reos ut adjuves,
E noctis exortu preces, | Hymnium canentes solvimus.*

Stat denique copiosa phalanx eorum Patrum, qui vespertinum officium lucernarium, vel horam lucernarem appellant, quod tunc lucernæ ingruentibus tenebris accenderentur. S. Clemens Romanus z cohortem ducit. Is in Apostolicis Constitutionibus vespertinam obsecrationem,

Cccc 3 & gra-

i. *Callimach. hymn. in Deliam. v. 302. k Calab. lib. 5. v. 131. l Mosch. Idyll. 7. m Appollon. l. 4. n Calurn. in fine Eccl. 5. o Catullus. p Sappho apud Demetr. lib. de elocutione. q Jul. Hygin. circa fin. l. Astron. r Plotin. l. de amore enn. 3. l. 5. c. 8. s Plaut. in Amphitr. t Hier. l. 21. adv. Jovinian. u Bar. 10. 1. au. 51. x Isidor. de Eccl. off. l. 1. c. 20. y Raban. l. 2. de instit. cleric. c. 7. z Clemens Rom. l. 2. c. 34. & seqq.*

& gratiarum actionem, Francisco Turriano interpretante, Denuntiationem obsecrationis nocturnæ, & Nocturnam gratiarum actionem post incensa lumina inscripuit. Sequuntur Clementem antiquiores Patres, Epiphanius *a*, Hieronymus *b*, Cassianus *c*, Basilus *d*, Calliodorus *e*, Socrates *f*, Nicephorus *g*, Auctor sermonum ad fratres in Eremo *h*, Uranus Presbyter *i*, & alii multi apud Marcellum Francolinum *k*, qui lucernarium, horam lucernarem, psalmosque lucernales expressè commemorant. Hi omnes vespertinas preces nocturno tempore assignant. Non minorem tamen auctoritatem habent, qui à tenebris vindicant, & sole adhuc super sinuorem fulgente celebrandas esse contendunt. Satis superque pro innumeris aliis mihi est solus Benedictus * Monachorum Pater, & legislator, qui de Vesperis hæc in regula sancivit. In Quadragesima ad Vesperam referant. Ipsa tamen vespera sic agatur, ut lumine lucernæ non indigeant deficientes. Sed & omni tempore sive cœnæ, sive refectiois, hora sic temperetur, ut cum luce omnia fiant. Sic præcipit vir beatus; lucis amicus, discretionis exemplar, ut cum luce diei omnia consummentur, nempe ut monachi nocturnæ quieti quantum naturæ sat est tribuentes ad nocturnas vigiliis acriores surgant: tum etiam ut completorio hora diei postrema relinquatur. Et ne quis putet, solos esse monachos, qui diurnam Vesperarum celebrationem propugnent, alium testem profero virum doctum, & gravem Amalarium Fortunatum *l*. Is ramiæ lib. 4. de Ecclesiasticis officiis, Isidoro, quem supra citavimus, consentire videatur; libro tamen de ordine Antiphonarii, quasi Palinodiam canens, Nos, inquit, sæpissimè solemus vespertinale officium ante solis oecubitum celebrare. Notat autem Francolinus *m* vespertinum tempus statim post Nonam incipere. Constat ex hymno ipsius Nonæ, quo precamur, Largire clarum vespere. Constat præterea, quia licet vespera in solis oecasu propriè intelligatur, nihilominus totam quartam, & ultimam diei partem denominat, quæ post Nonam incipit, & in

a Epiphani. lib. 3. ad. hav. inf. *b* Hieron. ep. 7. ad Letan. *c* in 2. expos. Psalm. 119. *c* Cassian. lib. 3. cap. 3. *d* Basil. de Spiritu sancto c. 29. *e* Cassiod. in Trip. lib. 9. cap. 38. *f* Socrat. lib. 5. hist. cap. 25. *g* Niceph. lib. 12. cap. 34. *h* Ad. rati. in Eremo. serm. 1. *i* Uran. in vita S. Paulini. *k* Francolin. c. 17. * Bened. reg. cap. 41. *l* Amal. l. 4. c. 7. *m* de ord. Antiph. c. 6. *n* Francolin. c. 19. *o* 20.

solis oecubitu terminatur. Quia verò ultima diei hora Completorio assignatur, duæ tantum horæ Vesperis relictae sunt, decima scilicet, & undecima, ac proinde in fine undecimæ Vespertinae synaxis legitimum tempus erit, ut Francolinus *n*, Turrecremata *o*, Joannes Beletus *p*, & alii sapienter observarunt.

3. Noctis verò temporibus hæc horarum distinctio haudquaquam in usu est. Nam Vesperæ in Quadragesima circa meridiem, aliis temporibus circa horam nonam perfolvi solent. Rectè Pelagius Papa. Defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed ipsa hominum corpora defecerunt, distractionis illius non patitur manere censuram. Item Smaragdus Abbas *q*, Modò apud nos jam aliter, atque aliter habetur. Quantò enim ferocini à primitivis, tantò longius vitæ meritò ab antiquis distamus Patribus. Illi enim erant spiritu ferventes, Domino ferventes: nos autem tepidi, & nauseam facientes, sumus tamen in misericordia Domini sperantes. Potho *r* quoque Prumiensis: in ordine, inquit, Monastico, qui honestis studiis, & laudabilibus institutis aliquando præeminebat, nostris jam diebus color optimus Ecclesiasticæ gravitatis mutatus esse videtur, superinducto quodam fuce levitatis. Ecce enim vita Monastica, quæ erat columna, & firmamentum Religionis, in qua videlicet viguit disciplinæ censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne, in Ecclesiasticis Officiis repentinis visa est novitatibus acquiescere, & quadam juvenili passa est decolorari levitate. Numquid Patribus doctiores, aut devotiores sumus? Superba mente præsumimus quicquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. Hæc Potho, qui vixit ante annos quingentos: Quod si Monasticæ institutionis fervorem jam suis diebus refrixisse viri summi, & antiqui conqueruntur; quid nobis infelicibus vix nudum Monachii nomen habentibus post tot annorum centurias dicendum erit? Heu quantum recessimus à semitis antiquis, quas posuerunt Patres nostri! Heu quam tetra vitiorum fulgine obsecratum est aurum, mutatus est color optimus?

Nona ætas agitur, pejoraque secula ferri
Temporibus, quorum sceleri non invenit ipsa
Nomen, & à nullo posuit natura metallo. *s*

Hæc

n Francolin. *o* Turrecrem. tr. 73. in reg. S. Ben. *p* Beletus. cap. 26. sui Rationalis. *q* Smaragdus. in reg. Ben. c. 20. *r* Potho in su. l. 3. de cœna Dei. *s* Juven. sat. 13.

Hæc Satyrici objurgatio quam verè convenit a-
tati nostræ! Sed nunquid desperandum? Absit.
Ecce enim non est abbreviata manus Domini, ut
salvare nequeat: neque aggravata est auris ejus,
ut non exaudiat. Verumtamen iniquitates no-
stræ diviserunt inter nos, & Deum nostrum: &
peccata nostra averterunt faciem ejus à nobis, ne
ex audiret. Propterea fuis lachrymis indulgen-
tiam Domini postulemus, ne caliginosa scele-
rum nox nos incautos apprehendat. Hora unde-
cima est, ait S. Zeno ^a, conclusa sunt diei tem-
pora, curramus omnes, festinemus, ne nox
adsit, ne hora prætereat, ne nox mortis insit.
Beatus quidem qui à manè usque in noctem
laborans paratum denarium tanquam debitum
postulat. Sed quia bonus est Dominus, quia
misericors est, speremus in eum, ut undecimæ
licet horæ operarii laboris diurni denarium con-
sequamur.

CAPUT XI.

DE COMPLETORIO.

S. I.

*Completorium cur sic dictum. Quare à lectione
inchoetur. Ostensum contra quosdam san-
ctum Benedictum primum Completorii in-
stitutorem fuisse.*

Septem Divinis Officiis pro viribus inge-
nii mei, quod sentio quam sit exiguum,
Domino opitulante commemoratis, remanet
ostavum, quod Completorium dicitur, & pro-
pter sui nominis effectum in fine cæterorum ce-
lebratur. Completorium enim dictum existi-
mant quotquot de sacris Ecclesiæ ritibus scri-
bunt, vel quia diei cursus, nostræque servitutis
pensum hæc hora completur, ut post Venera-
bilem Bedam ^a notat Jodocus Chlichtoveus ^b:
vel quia in illo esus, potus, locutio, & alia ad
corporis sustentationem necessaria complentur,
& consumuntur, ut putant Amalarius, Fortuna-
tus ^c, & Hugo Victorinus ^d post D. Benedi-
ctum. Hic capite 42. suæ Regulæ gravissimè
præcipit, ut dicta vespera diebus jejuniorum,

^a Zeno in *su ser. de Psalm. 128.* ^a Beda *lib. de medit. Pass. Christi per 7. horas.* ^b Iodoc. *Chlicht. lib. 2. Eulicid. Eccl. cap. de horis Canonic.* ^c Amal. *lib. 4. cap. 8.* ^d Hugo in *speculo cap. 5.*

aliis autem diebus statim post cœnam, sedent
omnes in unum, & legat unus collationes, vel
vitas Patrum, aut certè aliud, quod ædificet
audientes, & lectis quatuor, vel quinque foliis,
vel quantum hora permittit, omnibus in unum
occurrentibus per hanc moram lectionis, si quis
fortè in assignato sibi commissio fuerit occupa-
tus, occurrat. Omnes ergo in unum congrega-
ti compleant, id est Completorium recitent,
quo Divinæ laudes complentur. Idè autem
sanctus Pater lectionem Completorio præmitti
voluit, ut Monachi ex diurnis operibus, vel ne-
gotiis distracti, ipsa lectione revocarentur ad
Deum. Quare libros magnæ ædificationis, &
pietatis legi præcepit, cujusmodi sunt collatio-
nes Patrum à Joanne Cassiano conscriptæ, vitæ
quoque Sanctorum, & diversorum Patrum asce-
tici sermones. Pro qua lectione Smaragdus Ab-
bas Diadema Monachorum composuit, ut ex eo
singulis diebus capitulum unum legeretur. Ex
hac verò Monastica constitutione ratio colligi-
tur, qua factum est, ut præter cæterarum ho-
rarum consuetudinem hoc Officium à lectione
inchoetur. Brevis enim lectio, quæ hodie
Completorium antecedit, illam procul dubio
repræsentat, quam ex Collationibus, vel vitis
Patrum olim Monachi facièbant, post quam
ipsum Completorium immediatè sequebatur.
Quo peracto omnem prorsus loquendi faculta-
tem sanctissimus Legislator denegavit, gravi-
oris vindictæ reum statuens Monachum, qui
hanc taciturnitatis regulam ausus fuerit prævari-
cari.

2. Quia verò S. Benedicti mentionem fecimus,
illud hic opportunè monebo, quod à nemine,
quod sciam, hætenus est observatum, ipsum vi-
delicet præclarissimum Patrem primum Com-
pletorii institutorem fuisse: quæ assertio, quia
apud aliquos non usquequaque eruditos admira-
tionem habebit, æquiori lance libranda, & soli-
dis rationum momentis stabilienda est. Facit in
primis ad ejus veritatem astruendam, quod, li-
cet in Scripturis, & Patribus frequens habeat
mentio orationis faciendæ in fine diei; ad
Vesperas tamen, & non ad Completorium il-
læ sententiæ referri debent. Accedit deinde
quod ipso nomine Completorii nullus Eccle-
siasticus Scriptor Benedicto antiquior usus fuit:
nec apud quempiam Græcum, vel Latinum
Auctorem hujus Officii nomen reperitur. Res
autem sub aliis nominibus vix à Vesperis discer-
ni potest. Nec est quod animum cujuspiam
moveat

moveat secunda Regula D. Augustini, quæ difertis verbis meminit Completorii, nam illa perperam tanto Doctore tributa est, & ab aliquo imperito conficta videtur; precibus enim matutinis Psalmos assignat octoginta octo, Lucernarium distinguit à Vesperis, & multas alias continet de Divinis Officiis absurditates, Nomen item Completorii in Regula Monacharum e inter opera D. Hieronymi reperitur, sed illa spuria est, & Auctoris recentioris. Cassiodorus f quoque explicans versiculum Psalmi, *Septus in die laudem dixi tibi*, septem, inquit, illas significat vices, quibus se Monachorum pia devotio consolatur, Matutinas, Tertiam, Sextam, Nonam, Lucernariam, Completorios, Nocturnos. At iste scripsit Regulam Benedictinam jam promulgata, ut diligentes Chronologi observant, & ex Annalibus doctissimi Baronii luce clarius constat. Errant igitur toto caelo, qui ab ipsis Apostolis originem Completorio fuisse asseverant. Et quidem Latinos Patres ante Benedictum expressam ejus mentionem nullatenus fecisse concedunt omnes diligentissimi rei hujus indagatores Marcellus Francolinus g, Franciscus Suarez h, Robertus Bellarminus i, & alii. Idem de Græcis sentiendum est, quicquid nonnulli homines alioquin non contemnendæ eruditionis in contrarium reclamant. Quid enim? commemorant illi orationem initio noctis ante somni dormitionem faciendam. Esto sanè. An idcirco hæc institutio ad Completorium trahenda est? Non credo. Enimverò vel de Vesperarum solemnitate, vel de aliqua privata oratione explicari debent: ideoque valde incompletum erat hoc Completorium. Miror in hac parte doctissimi viri sapientiam dormitantem. Scribit hic k expressam Completorii mentionem se primum invenisse apud Basilium l in Regulis fufius disputatis. Age, proferamus textum. Completo jam die, ait ille, postquam horæ nonæ mysteria ex Actibus Apostolorum explanavit, pro iis omnibus, quæ in eo data nobis fuerint, feliciter vè nobis evenerint, gratiarum actio succedat, eorumque quæ vel per consensum, aut secus contra animi sententiam prætermiffa sint confessio: ac sicubi latens delictum aliquod admissum fuerit verbis, operibusvè, aut etiam corde, pro his omnibus

oratione adhibita veniam nobis à Deo precabimur. Siquidem ad similia peccata iterum evitanda valde utilis est præteritorum consideratio. Idcirco David dicit, *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*. Tuam fidem obtestor amice Lector, agnoscisne hæcenus aliquod vestigium Completorii? An quia meminit confessionis, quam Ecclesia Romana Completorio præmittere solet, ideo quamdam ejus effigiem hic adumbratam existimas? Sed præstat sequentia Basilii verba recitare. Tum autem, inquit, primis se jam noctis intendentibus tenebris sequetur petitio, ut quies quam sumus capturi inoffensa, & ab omni perturbatione, ac vitio libera sit, qua hora etiam necessario nonagesimus recitari Psalmus debet. Hæc ille, qui dum ingruentes tenebras, & Psalmi nonagesimi recitationem commemorat, videtur sanè primo aspectu ipsum Completorium delineare. Sed neutra conjectura sufficiens est. Primum quia cum statim post Nonam vespertinas preces recenseat; quæ antiquissimæ sunt, & completo jam die ad lucernam cantari solebant, ut capite superiori ostensum est, quid mirum si de tenebris mentio fiat? Deinde tametsi nonagesimum Psalmum etiam nunc ad Completorium dicamus, hujus tamen Psalmi designatio nihil facit pro Completorio: nam etiam hora sexta hunc eundem Psalmum dicendum esse præcepit, ut liberemur ab incurfu, & dæmonio meridiano. Quid quod Baronius m hæc eadem Basilii verba de tribus nocturnis vigiliis interpretatur, quæ olim ter in nocte surgendo recitabantur? Tandem idem Basilii sermone primo de institutione Monachorum, qui aliis est sermo quartus exercitamentorum pietatis, horarum Canonicarum tempus, & numerum describens, aded clarè rem istam diffinit, ut nulla amplius dubietas relinquatur. Is est, inquit, horarum modus tenendus, qui à veteribus olim sanctis viris ad orationem descriptus est. Etenim eximius ille David ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ*. Addit deinde idem Propheta: *Vespere, mane, & meridie*. Quin & Spiritus sanctus circiter horam diei tertiam missus fuit, sicut ex Actis accepimus, quo tempore, cum propter illam variarum linguarum efficacem vim Pharisei discipulos irriterent, negavit Petrus eos ebrios esse, qui ea loquerentur, siquidem horam illam

c Reg. Monachar. cap. 39. f Cassiod. in Psalm. 118.
g Francol. cap. 14. & 21. h Suarez. de hor. Canonic. cap. 5. i Bellarm. lib. de bonis oper. in partikul. cap. 11. k Bellarm. ibid. l Basil. reg. fuf. 9. 37.

m Baronius ann. 51. num. 69.

illam tertiam fuisse. Porro Nona Dominicæ Passionis memoriam refert, illius quæ vitæ nostræ causa suscepta est. Verùm quoniam item hoc est apud eundem David: *Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiæ tuæ*: tempora autem illa, quæ diximus, nequiquam septenarium orationis numerum conficiunt, bibartito dividenda meridiana oratio est, ita videlicet, ut pars una cibum præcedat, altera subsequatur, quò perpetua hæc nobis formula sit Deum septies per singulas dierum conversiones laudibus celebrandi. Ecce quas horas Divino cultui suo tempore assignatas enumerat Basilii. Primò quidem ex Psalmis nocturnos, Laudes, Sextam, & Vesperas. Addit ex novo Testamento Tertiam, & Nonam. Postea ut septenarius Prophetæ numerus adimpleatur sextam in duas partes dividi jubet, quarum una cibum antecedit, altera subsequatur. Quis hic non videt nullum Completorium apud Basilium fuisse? Nam qua ratione jam dictæ horæ sextæ partitionem ad septenarii numeri supplementum instituisset, si post Vesperas aliæ preces superfuissent superioribus adjungendæ? Nulla igitur, non dicam expressa mentio, sed ne rudis quidem adumbratio Completorii in præcitata Basilii sententia reperitur, quam ideò ad Vesperas referre omninò debemus.

3. Confirmatur amplius hæc assertio ex diligenti cæterorum Græciæ Scriptorum discussione, qui multis sæculis post Basilium vixere. Nulla enim Completorii mentio apud illos habetur, adeò præcis Græcis ignotum fuit hoc officium. Joannes Climacus ad sextum pertinet sæculum. Is sermone de Pastoris officio; Quidam Pater, ait, post complementum vespertinarum orationum alicui duos, alii tres, alii centum psallere Psalmos ante somnum injungebat. Ergò post Vesperas nulla solemnior oratio remanebat, sed privata cuique psalmodia imponebatur. Euthymius Zigabenus Monachus vixit sæculo duodecimo tempore Alexii Comneni Imperatoris. Hic ad illum Psalmi versiculum, *Septies in die laudem dixi tibi*, sic enumerat horas Canonicas, mediam noctem, diluculum, manè horam tertiam, Sextam, & Nonam, & Vesperas. Nichil autem de Completorio. Eodem sæculo, vel paulò ante vixisse creditur Simeon Presbyter, & Præpositus Monasterii S. Mamantis, qui oratione vigesima quinta de fide, & moribus, vespertino officio completo præcipit Monachum benedictionem à Prælato percipere, tum in

cellam recedere, & obserare ostium, ac post privatas lectiones, & orationes super storem cubare. Ante istos, sæculo scilicet nono, floruit Simeon Metaphrastes, qui passim in vitis Sanctorum Matutinum commemorat, itemque Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperas, nunquam tamen Completorium. Denique qui voluerit omnes Scriptores Græcos evolvat, & inveniet de Completorio altum ubique silentium. Auctor libri *ἑξῆς* quem Jodocus Coccius in Thesuro Catholico scripsisse ait anno Domini 1480. primus est ex his quos vidi, qui Completorii meminerit. Sic enim scribit capite de horis Canonicis. Matutinum cantus obitur, quia primò omnis Christianus debet manè celebrare Christum: secundò mulieres manè venerunt portantes aromata ad unguendum Christum: tertio ipse Dominus manè surrexit è sepulchro. Inter matutinum, & vespertinum interveniunt aliæ Canonicæ horæ, quibus canitur prima hora, quia principium diei est, & monstrat nobis illam lucem, quam Deus nobis donavit educens nos è tenebris, & in lucem æternæ vitæ ponens. Tertia, quia tunc descendit in Apostolos Spiritus sanctus illuminans eos, & ipsi mutarunt linguas suas, ut proficiscerentur ad prædicandum Evangelium toti orbi terrarum. Sexta, quia tunc Christus in crucem sublatus fuit, in qua pependit usque ad nonam. Nona, quia tunc expiravit Dominus. Apodipna (quasi dicas: Postcænia, quæ nostro Completorio correspondent) canuntur, quia cubitum ituri sumus. Ideò Deo gratias agimus petentes, ut nobis sanctum suum Spiritum mittat, qui nos à laqueis diaboli custodiat, ne nos ille ad libidinem suam supplantet. Mediæ noctis canticum, quia dixit Christus, *Vigilate, & orate, quia nescitis qua hora Dominus veniat*. Rursus dicitur, *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit*. Hactenus prædictus Auctor. Quod si quempiam Græcum Scriptorum ex antiquioribus repereris, qui Latine redditus Completorii nomine utatur, id vitio Interpretum tribuendum est, qui nostrorum temporum consuetudinem attendentes, quoties in textu Græco hanc vocem τὸ λυγρὸν vel aliam similem inveniunt, Completorium vertunt, cum potius horam lucernarem, seu vespertinam interpretari debuissent. Denique, ut è Græcia in Latium regrediar, ex hymno S. Ambrosii, quem nos toto ferè anno in vespertina synaxi ritu

D d d d Cister-

Cisterciensi decantamus, licet evidenter colligere ipsas vespervas tunc solemnum precum complementum fuisse, quas idcirco ante somni quietem perfolvebant. Precamur enim in hoc hymno;

*Artus solutos ut quietes
Reddat laboris usui:
Mentesque lassas allevet,
Luctusque solvat anxios.*

Itemque,

*Exarsa sensu lubrico
Te cordis alta somnient:
Ne hostis invidi dolo
Pavor quietos suscitet.*

Sanctus itaque Benedictus, qui horam vespervaram sic temperari præcepit, ut subsequens cibi refectio luce adhuc diei clarescente fumeretur, ne Monachi, qui omnes in uno loco singuli in singulis lectis dormiebant, sumpto cibo fabulis, otioque vacarent, aut nullo orationum muniti præsidio quieti nocturnæ se traderent, prudenti consilio præcepit, ut audita prius spirituali lectione, tribus Psalmis directancis sine Antiphona Completorium perfolverent, acceptaque Prælati benedictione rectâ cubitum irent, ne forte privatâ, & indiscretâ oratione alter alterius necessariam quietem impediret; Sed communi locutione cessante, cæterisque diei exercitiis fideliter consummatis, omnia corporis membra, omnes sensus, & potentie soli Deo, qui non dormit, neque dormitat, committerentur, donec somno refectis artibus oberata nocturno silentio oris claustra janitor labiorum nostrorum ad annunciandas ejus laudes in nocturnis officii aperiret.

S. I I.

Completorium quâ horâ celebrandum. Admonet nos finis nostri. Mystica ejus significationes. Quâ sit bona, & vivificans mors, quam iusti oprant.

I. **P**Atet ex dictis, Canonicum tempus Completorii quale sit, hora scilicet duodecima jam exacta post cenam, & omnia opera somnum antecedentia, ante finem crepusculi vespertini, postremo scilicet termino abeuntis diei, ut docent Bellarminus, & Durantus, & alii

n. Bellarm. l. 1. de bonis oper. in part. c. 11. o Durant. de ritib. Eccl. l. 3. cap. 12.

Scriptores p apud ipsos. Non idèo tamen quorundam Canonistarum errorem sequi debemus existimantium Completorium unam esse ex nocturnis vigiliis: quamvis enim post solis occubitum celebretur, diurnis nihilominus officiiis tanquam ipsorum complementum deputatur. Finis autem officii finis etiam nostri nos admonet. Quotidie morimur, & quasi aquæ distillamus super terram, quæ non revertuntur: quotidie commuramur, quot puncta scribo, tot meorum temporum sunt detrimenta. Omni momento pars aliqua vitæ demitur, & tunc quoque cum crescimus, vita decrefeit. Quid in rebus humanis certius morte? quid hora mortis incertius invenitur? ut exclamat Bernardus q: Senibus quidem in januis, adolescentibus in insidiis est. Dicere quisque potest cum Poëta Venusino r.

*Quis scit an adjiciant hodiernæ crastina summe
Tempora Dii superi?*

Quare id agendum, ut una dies instar totius vitæ nobis sit: *No glories in crastinum*, ait Sapiens, *ignorans quid superventura pariat dies.* Romanus Philosophus luculentissimè s: Pectus mortale nunquam magis divinum est, quam ubi mortalitatem suam cogitat, & scit in hoc natum hominem, ut vita defungeretur. Quanti incolumes hodie vivunt, cras futuri pulvis, & umbra? Ille itaque beatus censerî debet, qui sic semper, & ubique vivit, ut ultimam quamque lucem tanquam non rediteram consumat.

p. Hosien. Jo. Andreas, & alii in cap. 1. de celebrat. Missarum. q. Bern. de conv. ad clericos c. 14. r. Horat. l. 4. od. 7. s. Prov. 27: 1. t. Seneca ep. 120.

M E T R U M XXIII.

Phosphorus ecce diem solito properantior affert,
En roseo jugat astra flagello.
Purpureis evecta rotis Tithonia conjux
Jam reduci parat æthera Phæbo.
Eccè moræ impatiens tremulis emergit ab undis
Claro fulgens Cymbibus ore.
Nascenti arridet persusum lumine cælum,
Plaudit tellus, concinit aër,
Vix tamen æthereo rutilans effulsit in axe
Terris undique luce relectis:
Cum subitò excelsum cali conscendere cælum
Cursum nititur ocior Euris
Attollitque diem, medioque è culmine victor
Totum flammis concremat orbem.
Non jam defessus rutilantes contrahit ignes.

Æquo-

*Aquoreas declivis in undas.
Deficit heu senio languens, victusque recedit
Obscuris obnubilus umbris.
Primum humili, hinc celsa fulgebat lampade; tandem
Furore cessit tempora nocti.
Flet largis cælum lacrymis, solique cadenti
Tellus aggemit, & aggemit ær
Funeris sacibus prælucent sidera, terram
Nigro nox involvit amictu.
Scilicet hæc hominum norma est, vitæ æque fugacis,
Quæ nascens jam desinit esse.
Quid senium, & multos fingis mansura per annos
Vitæ gaudia cæca juvenis?
Hora valet, finis properat, nox atra tenebris
Imminet, & caligine multa.
Vive igitur, medio dum Phœbus in æthere fulget,
Vive hodie, cras vivere serum est.*

2. Porro mysticæ hujus horæ significationes multæ sunt. Christus enim hac hora pridie mortis suæ ad hortum exiit post cænam, ut salutem ab orto auspicaretur, à quo nobis interitus, & perditio. Oravit prolixius procidens in faciem suam, ut orantis habitum ab ipso disceremus. Et cepit contristari, & moestus esse, non solum timore imminens mortis, sed multò magis ob Judæ infelicitatem, ob Judæorum perditionem, ob ingratum Christianorum animum erga ipsum, nam plerisque prævidebat nihil sui sanguinis effusionem profuturam. Tristitiam verò suam statim retulit ad Deum cum oratione dicens æterno Patri; *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Hæc vox capitis, salus est totius corporis, ait Magnus Leo Papa *n.* Hæc vox omnes fideles instruit, omnes Confessores accendit, omnes Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores: nisi Christus in omnibus, & pro omnibus patiens patri diceret, *Fiat voluntas tua?* Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesiæ filii magno pretio redempti, gratis justificati, & cum adversitas violentæ alicujus tentationis incubuerit, præsidio potentissimæ rationis utantur: ut superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam Passionis. Et cum prolixius oraret, sanguineus sudor æstuantis animæ indicium per omnes artus erumpens terram perfudit, ut hoc universo rore declararet Dominus terrenos homines Divino sanguine redimendos. Olim canebat Sponsa *x*, *Dilectus meus descendit in hortum suum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.*

n Leo serm. 7. de Passione. *x* Cant. 6: 1.

Sed mutata hic rerum facies, expiandis sceleribus, non legendis floribus destinatur hic hortus. O felicem hortum Dei cruore irrigatum, qui tui Creatoris preces audiens, ejusque meritoris, & agonizæ conficius primi illius paradisi felicitatem superasti. Utinam ariditas mea sanguineo hoc rore irrigetur. Anima mea Domine, sicut terra sine aqua tibi, fecunda eam copioso hoc imbre, ut reddat tibi fructum temporibus suis. Hac etiam hora Dominicæ sepulturæ memoriâ celebratur. Corpus enim Christi è cruce depositum in monumento positum est, non corruptioni obnoxium, sed ad immortalitatem resurrecturum. Quiescamus suaviter in hoc sepulchro quicumque Christi passionibus communicamus. Maneamus in eo securi, nam futurum illud gloriosum Propheta prædixit *y*. Eamus inquam & nos, & moriamur cum eo: ea scilicet morte, de qua psallimus *z*, *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus*: ut conspulti cum Christo ingrediamur in abundantia sepulchrum. Hæc mors vivificans est, qua nobis ipsis, & mundi actionibus morimur. Hæc mors perducit nos ad vitam, quæ non nisi mortua carne cognoscitur, sicut scriptum est *a*, *Non videbit me homo, & vivet.* Nos enim sumus anima immortale animal, inquit Xenocrates *b*, in habitaculo mortali clausum, & vitæ hujus amissio à malo in bonum est transitus.

3. Hominem duplici ratione mori agnovērunt Platonicæ apud Macrobiū *c*, primum si anima corpus relinquat: deinde si anima in corpore adhuc manens corporeas illecebras contemnat, & omnes affectiones, ac voluptates exuat. Utramque mortem, qui Dei amator est, libens amplectitur, teste Maximo Tyrio *d*: quia, nisi quis à semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat. Præcipuè verò mysticam mortem, qua anima à sensibus, & corporeis illecebris avellitur, optat quotidie perfectio- nis cupidus, & dicit *e*, *Moriatur anima mea morte iustorum.* Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona mors, qua corpus non cadit, sed anima sublevatur. Utinam hæc morte frequenter cadam, ne me laquei horrendæ mortis comprehendant: ut non sentiam lascivientis vitæ mortifera blandimenta: ut non movear ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ,

D d d d z. ad

y Isai. 53. 10. *z* Psalm. 115. *a* Exod. 33. 20. *b* Xenocrat. lib. de morte. *c* Macrobi. in Som. Scip. lib. 1. cap. 13. *d* Max. Tyr. ser. 1. *e* Num. 23. 10.

ad iracundiæ stimulos, ad angores sollicitudinum, & molestias curarum. *Moriatur anima mea morte iustorum*, ita ut illam nec fraus decipiat inimici, nec carnis blanditiæ inficiant, nec ignita mundi tela conficiant. Quis mihi det, non solum carnis oblectamenta, sed & undique irruentia corporearum similitudinum phantasmata mentis puritate transvolare, ut moriar cum Christo, cum Christo sepeliar, cum ipso transeam ex hoc mundo ad Patrem, & ostenso, ac viso Patre dicam cum Philippo, *sufficit mihi*? Hæc est mors, quam optabat S. Job, cum dicebat *f. Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea.* Hæc est mors non hominum, sed Angelorum, ut eam vocat Bern. *g* de qua fidelibus ait Apostolus, *h Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* De hac morte sic loquitur Clemens Alexandrinus *i.* Vir qui eam accepit lucem, ad quam non patet aditus, ad Dominum peregrinatur, etiam si in terra cernatur ejus tabernaculum: animam enim abducit à motibus, & affectionibus, & rursus vivit morte affectis cupiditatibus. De eadem hæc habet in moralibus Gregorius Magnus *k.* Quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippè eam vidit, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest Deum simul amplecti, & seculum. Qui enim Deum videt eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel affectu operis ac hujus vitæ delectationibus tota mente separatur. In hac morte, ut explicat Richardus Victorinus *l,* jacet corpus sine sensu, & motu, sitque illa valdè gravis, & verè mirabilis non dissolutio animæ, & corporis; sed alia hac multo mirabilior, multoque gloriosior divisio animæ, & spiritus. Hanc autem in nobis operari solet, sicut testatur Apostolus; *Vivus ille Dei sermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usq; ad divisionem animæ, & spiritus.* Quod verò Deum videre mors sit, hac ratione subtiliter explicat Marius Victorinus Afer *m:* Si quis Deum viderit, moriatur necesse est, quia Dei vita, & intelligentia in semetipsa est, non in actu: omnis autem actus foris est; hoc verò est nostrum vivere, quod foris est vivere: ergò est mors Deum videre. Omittenda igitur vita foris, omittenda

intelligentia, si Deum videre volumus, & hoc nobis mors est. Simili enim simile videtur. Sic differit obscurissimus iste Scriptor. Nec desunt mortis hujus exempla, præsertim in devoto foemineo sexu. Seraphica V. Catha. Senen. *n* quæ sæpè sæpius hanc Angelicam mortem passa est, scribit in ea separari animam ab omnibus potentiis, quia omnes elevatæ sunt, & absorptæ in Deum. Tunc autem, ait, amittit corpus sensus suos, quia oculus videndo non videt, auris audiendo non audit, & sic de cæteris sensibus, omniaque membra ab amore ligata sunt, ideòque clamant qui sunt hujusmodi, *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Altera Catharina Januensis *o* verè mirabilis, ac Theodidacta mulier ita de hac morte experientia magistra philosophatur. Postquam Deus expoliavit animum mundo, carne, divitiis, exercitiis, affectibus, & omni alia re, præterquam ipso Deo; voluit insuper eam seipsa denudare, & separare animum à spiritu forma quadam terribili, modoque patiendi subtilissimo, quem explicare, & intelligere difficillimum est, nisi aliquis Divino lumine perfusus id in se experiretur. Infudit Deus in cor ejus novum amorem adedò subtilem, & vehementem, ut animam cum omnibus suis potentiis à suo esse naturali abstractam traxerit ad se, quæ hoc amore semper occupata in nulla re poterat delectari, nec cælum, vel terram respicere. Corpus autem absque suo esse naturali quasi confusum, & attonitum remanebat nesciens ubi esset, vel quid deberet dicere, & operari. Denique Maria Vela *p* Ordinis Cisterciensis Sanctimonialis, quæ Abulæ in Hispania eximia hoc seculo floruit sanctitate, mortem, quam vivens subiit incendio amoris combusta sic scribens ad suum Confessarium describit: In ardenti charitate patitur anima felix, & delectabile tormentum, & terribile martyrium per manum ipsius Dei, adedò sæpè crescente incendio, ut animam comburat, & ad corpus etiam flamma pertingat. Cumque aliquando natura hunc ignem recusaret timens ne ab eo consumeretur, audit vocem Dei dicentis sibi, sine te comburi: itemque, in hoc igne purificaberis. Quid verò sentiat anima, dum cruciatur in hac flamma, quis poterit explicare? Moritur enim morte suavissima, sui obliviscitur, & omnium creaturarum, omne spatium

f Job. 7: 13. *g* Bernard. serm. 52. in Cantico. *h* Coloss. 3: 3. *i* Clem. Alexan. 6. Strom. *k* Greg. l. 18. mor. cap. 27. *l* Richard. de extrem. mali, & prom. boni tract. 3. cap. ult. *m* Mar. Victorin. initio l. 3. ad Ariam.

n Cathar. Senensis Dialogi sui c. 79. *o* Cathar. Januensis in dialogo cap. 2. *p* Ex vita Maria velæ par. 2. cap. 53.

angustum illi videtur, nec in se manere potest, nec toto cœli, terræque ambitu contineri. Vellet coram Deo annihilari, & in laudem ipsius omnino resolvi. Porrò corpus sine pulsu remanet intensissimis doloribus affictum, expers cibi, & somni, ac penè mortuum, nisi quod anima impetu amoris acta quandoque compellit ipsum voces tollere ad sidera altissimis gemitibus, & clamoribus inarticulatis. Hæc & alia plura de mystica hominis morte sanctæ animæ scripserunt, quæ inexpertis incredibilia videntur. Mors autem ista in contemplatione contingit, ad quam ferotinum tempus jam ingruentibus tenebris maximè idoneum esse omnes Theologiæ mysticæ Doctores asseverant. Sed & quidam Ethnicus q hanc veritatem non ignoravit, qui de seipso ad amicum scribens ait: Mirè silentio, & tenebris animus alitur, ab iis quæ avocant abductus, & liber, & mihi relictus non oculos animo, sed animum oculis sequor, qui eadem quæ mens vident, quoties non vident alia.

S. III.

Horâ Completorii obtulit Abraham sacrificium. Contemplationis series ex eodem sacrificio explicatur. Deprecatio pro dono contemplationis.

I Deo ante Completorium versiculus ille Psalmi decantatur r, *Converte nos Deus salutaris noster*, quo pe. actio jam die è negotio ad otium, ab externis ad interna, à militia diei ad noctis quietem, & ab actionum sollicitudine ad contemplationis suavitatem revocemur. In cuius rei typum Patriarcha noster Abraham s, cum accepta super numerum stellarum futuræ propagationis repromissione præscriptum à Domino sacrificium ipsa hora Completorii offerret, conversionem nostram ab activæ vitæ exercitiis ad contemplativæ sublimitatem non sine ingenti mysterio præfiguravit. Sume, inquit, *mibi vaccaam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam.* Ubi illud in primis observandum est, quod quadrupedibus bestiis volucres etiam in sacrificium adjunxit. Nam, ut ait Richardus Victorinus t, in avibus studia spiritualia, in animalibus corporalia exercitia intelliguntur. Qui verò ad

apicem perfectionis anhelat aves bestiis, interna externis, contemplationem actioni conjungere debet. *Et bestias quidem divisit Abraham in duas partes, volucres autem non divisit.* In internis enim exercitiis, quæ ad aves pertinent, cum soli Divino conspectui pateant, illud dumtaxat oportet intendere, ut Divinæ placeant voluntati: At in externis, & corporalibus quibus tum propter Deum, tum propter proximum insistimus, intentionem nostram necessariò dividimus, & geminamus, & ad Divinum beneplacitum, & ad proximi utilitatem attendentes. His autem studiis dum incumbimus, adhuc viget diei malitia, adhuc urit æstus concupiscentiæ, adhuc fervet carnalis prudentiæ calor. Ideò sacrificium nostrum custodire debemus, ne descendentes volucres, ineptæ scilicet, ac superbæ cogitationes, immisiones, per Angelos malos, illa coinquant, & diserpant. Sed quid dicit Scriptura? *Cumque Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus, ac tenebrosus invasit eum.* Ecce quomodo occidentem Solem comitantur sopor, & post soporem sequitur horror. Hunc verò soporem non illum arbitror esse, quem infirmitatis nostræ defectus, vitæque hujus necessitas immittit: soporem intelligo corporei sensus excessum, animi quietem, mentis alienationem. Dum igitur Sol occumbit, dum vanitatis deficit amor, dum carnis concupiscentia refrigescit, homo spiritualis, irruente desuper somno extra semetipsum rapitur, & ex Divina revelatione, quasi per somnum, ea incipit cernere, & cognoscere, quæ prius fervente Sole vix, vel nullatenus poterat intueri. *Per somnium in visione nocturna, ait Job u, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperis aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.* At hunc soporem horror magnus, & tenebrosus subsequitur, eodem attestante qui dicit x, *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, paror tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea præterita sunt.* Et y, *si dixero, consolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in strato meo, terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.* Quis enim non horreat, & contremiscat, dum mystico sopore supra semetipsum elevatus videt Deo revelante quantis quotidie periculis subiaceat, quam sit pronus ad casum, quam tardus ad surgendum, quam facilè perituræ carnis illecebris decipiatur; & insidiantis diaboli fraudibus ad ruinam impellatur?

D d d d 3

2. Per-

q *Plin. junior. l. 9. Ep. 36. r Psalm. 84. t Gen. 15.*

t *Richard. de differ. sacrificii, Abrahæ & Mariæ.*

u *Job. 33:15. x Job. 4:13. y Idem. 7:13.*

2. *Pergit Scriptura; Cum ergo occubisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans & lampas ignis irasius inter divisiones illas. Ea veram conversionem, quam initio Completorii postulamus: En totius seriem contemplationis. Primò occumbit Sol, postea soporatur homo, horror deinde invadit eum, tum caliginem videt tenebrosam, quam clibanus fumans dissolvit, & succensa lampas transeuntis ignis inflamat. Postquam igitur prædictus horror studium spiritualis vii à cadocis transtulit ad æternam, omni vitiorum tyrannide subacta, de conscientia incipit tranquillitate gaudere, & invalescente bonâ consuetudine in simplicem mentis nuditatem exaltatur. Tunc fit caligo tenebrosa humanâ ratione imperferutabilis, quam Magnus Areopagita z lucem esse ait, in qua Deus inhabitat, quæ propterea tenebrosa vocatur, quod lux excedens & exuperans, id quod luce tegitur, nimio splendore involvat. Nubes, inquit, a & caligo in circuitu ejus: & posuit tenebras latibulum suum. Ad hunc fulgentissimum radium divinarum tenebrarum, qui omni essentiâ superior est, mysticæ Theologiæ magister b Dei amatorem elevandum fore promittit, eum à se ipso, & ab omnibus liber fuerit & solutus. Ad idem Psalmus nos hortatur, qui dicit c: *Accedite ad eum, & illuminamini.* Ne fortè desperes, & dicas; Nulla est spes videndi Deum, nam *Deum nemo vidit unquam d, & lucem habitat inaccessibleem e,* præcipit Psalmus, ut accedas. Ad quem? Ad Deum. Sed scriptum est f, *Scrutator majestatis opprimetur à gloria.* Accede ergo humiliter, accede confidenter, & illuminaberis, & facies tua non confundetur. Ideò post caliginem sequitur clibanus fumans, & lampas ignis. Prius ignis fumigans, postea ignis flammans. In clibano fumante intelligitur incendium amoris, in lampade lux gratiæ revelantis. Nam quia lux Divinitatis iis tantùm, teste Dionysio g, verè collucet, qui immunda omnia, & munda transeunt, omnemque omnium sanctorum fastigiorum ascensum superant, & divina omnia lumina, rationesque cælestes relinquunt, & in caliginem ingrediuntur, in qua revera est, ut scripta divina tradunt, is qui est super omnia, ad quam sublimitatem non nisi charitate currendo pervenitur; ideirò amoris incendium in clibano cordis suc-*

cendi debet. Sed quia in hac vita, quantumcumque proficiat homo, nunquam ad summum perfectionis fastigium pervenire potest, ut Deum diligat totis viribus, totâ mente, totâ virtute, non sine causa succensus clibanus, molestum & lacrymosum eructans fumum ostenditur. Lampas verò ignis intimæ lucis quandam donat inchoationem, in cujus tenui, ac subobscurò fulgore æternorum honorum supereminetia nobis interrim manifestatur, donec crescamus usque ad perfectam diem, & ad illam felicem patriam perveniamus, in qua lumen lampadis, & lucernæ jam necessarium non erit, quia claritas Dei illuminabit nos.

3. O ignem! ô lucem! quæ post solis occasum immittitur, quæ tenebras peccatorum expellit, fiduciam gignit, nutrit spem, tollit timorem. O fidelem Abrahæ æmulatorem, cui datum est hostiam gratam offerre Deo, & post horrorem, & somnum divinum ignem, sanctumque lumen accipere. *Converte nos Deus salutaris noster, & averte iram tuam à nobis: festina ad adjuvandum nos hâc sacratissimâ horâ, quâ à diei negotiis ad otium contemplationis toto mentis affectu converti desideramus.* Ecce supplex, & lacrymans pedibus tuis advolor novellus Ephraim; qui quasi avis volavi, nidum quaerens mihi, ubi reponam pullos meos, affectus meos. Cognovi nimirum tempus miserendi, quia venit tempus. Non me deinceps, te adjuvante, benignissime Salvator, non me ad egena convertam hujus mundi elementa, ne mihi thesaurizem iram in die iræ, ne rursus vagari incipiam post greges sodalium meorum, ne ligatis manibus & pedibus projiciar à facie tua in tenebras exteriores, ne tanquam tepidum evomas me ab ore tuo, ne cum ipse veneris scrutans renes, & corda; scrutans Jerusalem in lucernis inveniar minus habens. Et nunc Domine, Pater meus es tu, ego verò lutum; fictor meus es tu, & opus manuum tuarum ego sum. Ne memineris iniquitatum mearum, & anticipent me misericordiam tuam. Unam petii à te, hanc jugiter requiram, ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitæ meæ. Effunde ergo, elementissime Deus, largam super me benedictionem de rore cæli, & de pinguedine terræ. Terræ inquam viventium, qui potantur torrente voluptatis tuæ, & fatiantur ab ubertate domus tuæ. Urinam dirumperes cælos, & ad me descenderes, ut durities mea liquefacta diffunderet, & amore tuo ignitus præsentia tuâ dignus in-

z Dionys. Areop. a Ps. 96. c. 17. b Dionys. Areop. cap. 1. myst. Theologia. c Psal. 33. d 1 Joan. 4: 12. e 1 Tim. 6: 16. f Prov. 25: 27. g Dionys. c. 1. mysticæ Theologia.

invenire. Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Quando veniam ad te supereminenti contemplatione elevatus de terra deserta, in via, & iniquosa, ut videam virtutem tuam, & gloriam tuam? Quamdiu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meae, clamans ad te Domine, & non exaudis? Audi clamantem de profundis tenebrarum, introduce me in caliginem tuam, in qua lucet radius majestatis tuæ, ut videam te, & sciam te nunc quidem per speculum, & in ænigmatibus: postea verò discussa caligine facie ad faciem, cum lux perpetua fulgebit super me, in regno felicitatis.

METRUM XXIV.

Hoc est quod opto: cætera diffuunt
 Vernæ more nivis, quæ tenui halitu
 Spirantis Zephyri liquefit.
 Quid mihi Regum culmina, quid opes,
 Quid mollioris gaudia vitæ,
 Aut vanæ ingeritis præmia gloriæ,
 Gentes sinistro tramite devia,
 Fussi que indociles Dei?
 Omnia sordent: quicquid celsum
 Magno cælum continet ambitu,
 Quicquid tellus fecunda parit.
 Tu Rex beate cælitum,
 Mundi sator & rector,
 Humani generis spes, amor, & quies,
 Qui lucido astrorum in solio sedens
 Intimos cordis penetras recessus,
 Interna pelle nubila,
 Composit fluctus turbidos,
 Ut spiritus contagio
 Emancipatus corporis
 Tranquillus ad te convolet.
 Da votis facilem te Pater optime,
 Tuæque lucis fulgidum menti jubar
 Emitte cælitus,
 Ut rursus patrio reddita cælo
 Veri se repleat luminis haustu.
 Tu poli terræque præses tumidi quoque pelagi
 Moderatrix mens veni, cuncta regens vice stabili.
 O sacrum mundi decus, Patris & unica soboles,
 Tuo semper parenti sapientia similis,
 Intelligibilem expressio, nec Patre junior,
 Nec minor, lux sempiterna effigies nitida Dei.
 Te semper generat, & semper amat, tibi placidus
 Annuit semper Parens: constat perpetuus amor
 Geniti, & Genitoris, ambos nam scedere sociat
 Eterno unus amor, & spiritus: hunc sine numero

Numerum facitis, Bonum simplex, unica Deitas,
 Simplex æternitas, parque potentia, par amor
 Tibi cum Patre est. Nihil te sine dicere potis est,
 Qui Verbo cuncta dicit. Sine te nihil opifex
 Aut facit, aut firmat. A te omnia condita numerum,
 Artemque habu: e normam quoque, pondera, speciem.
 Huc igitur ades boni fons sapientia, maculas
 Abscege mentis, cernere ut vultum queam,
 Vultum beatos qui facit Angelos.
 Tu quoque Amor Deus,
 Amor perpetuus Patris,
 Perpetuus Verbi Amor,
 Utrique compar, utriusque vinculum.
 Quem vis volendi vis redamanstium
 De corde semper inimo
 Spirat perenni amore.
 Ades præpes & ex alto
 Septena mitte munera.
 Tu lux siderea domus,
 Sanctorum fomes ignium,
 Vigor igneus orbis,
 Hospes pudici pectoris,
 Sanctique amoris pronubus,
 Dux ad astra, cordis ardor,
 Et mentium voluptas.
 Huc opum divinarum
 Divas, pax animi veni:
 Arcem pectoris occupa,
 Nam tuo sine Numine
 Mens torpet, ut flumen golu.
 At at recenti quo feror impetu
 Sublimis inter nubila?
 Subitus unde mihi
 Venit furor? quis me vigor,
 Aut quæ vis nova concitat?
 Cernitis? an rerum species deludit amantem?
 Per medias equitare nubes,
 Stelliferumque pedo
 Iam videor calcare polum
 Ad cælitum consortium:
 Super nitentis æthræ
 Altum feror cacumen.
 Ecce domus, turre que recedunt:
 Iam pendula in minimam coit pilam globosa tellus,
 Iam Solis, & Lunæ supervehor, Iovisque sedes.
 Modò quod erat culmen resurgens siderum pyropis.
 Calco pavementum pedibus, & sancta cerno
 Delubra Divum.
 Trahit me spiritus post se, meumque sacro
 Amore pectus urit.
 O raptus, atque excessus animæ,
 O mysticum silentium,

O sancta solitudo,
 Pretiosa mors carnis, quies tranquilla, fax amoris,
 Intus furens incendium,
 Suspendio beata,
 Pax cordis & suavissima
 Mentis bona voluptas!
 O quas Aligerum lyras
 Dulceque cantus audio!
 Carmina resonant non prius
 Accepta æthereis choris.
 Auditis ut decemlicem
 Amor intus agit molem!
 Amor hic est, nosco sonantium
 Errores digitorum.
 Ut blanda pubes calitum
 Arripit aure sonitum!
 Ut accinunt Amori
 Aligerum phalanges!
 Ut astra mulcent cantibus!
 Hic eloquenti verberare
 Chelym flagellat auream.
 Hic garrientes fistulas
 Blandis maritat vocibus.
 Hic leni auratum pectine tangit ebur,
 Doctus hic est molles ungue cedere fides,
 Hic patrios sacro personat ore modos.
 En ut decoris saltibus
 Errantes quatiant solum!
 Nunc implicantur invicem,
 Et sese manibus trahunt.
 Nunc delicatis gressibus
 Cantui occinunt sonoro.
 Nunc in obliquam ceceles catervam
 Disgregant sese placido rotatu,
 Latoque plausu.
 O pura mentis gaudia,
 O sancti Amoris Orgia!
 Adeste Amantes, quotquot ad æthera
 Promovet virtus levioris penna
 Adbuc caduca corporis
 Mole gravatos.
 Nunc est canendum, nunc superum choris
 Fas est adesse, & psallere.
 Ergo huc canora tympana, & lyras ferte,
 Ferte vota, ferte laudes.
 Ludite, plaudite, psallite Amori:
 Ducta carmina pangite Amori:
 Pangite laudes, fundite versus,
 Cœlica promite cantica Amori.
 Pulsate novo sydera cantu.
 Plaudite cœli, plaudite terræ,
 Plaudite Amori.
 Sed quis repente corripit mentem dolor,

Et nostra turbat gaudia?
 Scilicet injecta curarum compede, & arcto
 Carnis ligata vinculo
 Ad ima rursum labitur
 Mens è polorum culmine.
 O Amor, O tetrica tandem fastidia vite
 Tolle: ut siderea tibi liber fistar in arce.
 Tunc mea securus jactabo gaudia, quando
 Unica visa duos junget, & una dies.

§. IV.

Completorio ferventius adesse debemus multis
 de causis. Somnus imago mortis.

HAc horâ totius diei defectus supplere debemus, ut, si cæteris forsân officiis minus alacriter, & devotè interfuimus, majori nunc fervoris, ac pietatis conatu peractæ per diem orationis negligentiam compensemus. Illud autem summo perè Monacho cavendum est, ne absque gravissima necessitate publicæ desit officii hujus recitationi. Fratres Prædicatores huic pietati fœdè incumbabant. Nam ut ait Theodoricus in vita sancti Dominici, ceu rem valde optatam Completorium expectabant, atque ad illud tanquam ad solemne quoddam festum se præparantes, mutuis se precibus commendabant. Multæ autem sunt causæ ad hanc observationem acrius stimulant, quas magistri spirituales h recensent. Primum enim hæc hora est, quâ de labore vitæ activæ ad tranquillam contemplationis pacem modo superius explicato transimus, Canticum justis propterea psallentes i: Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. De impiis scriptum est k; Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt. Justi autem si dormiunt non timebunt, quiescent, & suavis erit somnus eorum. Creavi fructum labiorum pacem, dicit Dominus l, fructum scilicet sacrarum precum, quas hac hora complemus, pacem ei, qui longè est, & qui propè. Quomodo enim perturbato animo ille poterit inveniri, de quo scriptum est: Et factus est in pace locus ejus m. An non illa, quæ dilectum quærebat elapsam & lectuli, & noctis secretum elegit? In lectulo meo, ait n, quæ servi per noctem quem diligit anima mea. En loci, & temporis quam prudenter adhibet oportunitatem! Per lectum siquidem sanctæ quietis otium intelligitur, quo nihil accommodatius ad usum amoris, ad sapientiæ investigationem;

h Umbertus in Reg. S. August. c. 38. i Luc. 2. 29: k Psal. 133. l Isai. 57. 19: m Psal. 75. n Cant. 3. 11

ad gratiarum incrementa. Per noctem finis exprimitur occupationum, perturbationum fuga, omnium laborum oblivio: *Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam*, & non ultra. Nocte enim ingruente tempus taceandi est, tempus vacandi, & videndi quam dulcis est Dominus. Deinde hac hora præparandus est locus, in quo animus cum Deo quiescat sancti Regis exemplum imitando, qui per diem assiduis regni curis distractus die peracto quasi quoddam Completorii rudimentum describens dixit *p: Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitacionem, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob*. Sed ubi inquit locum Domino præparabo? *Quæris ubi? In teipso: Deliciae meæ, dicit Dominus q, esse cum filiis hominum*. Audi autem ipsum designantem sibi locum. *Quis est iste locus quietis meæ? Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperulum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos r?* Si tale fuerit cor tuum, locus gratissimus Domino factum est. Denique quis non studeat adversus potestates tenebrarum, hac hora potentius armari, quarum noctu major est vis? Sunt verò hæc arma specialis ad id oratio, aquæ lustralis aspersio, Prælati benedictio, & solemnis B. Mariæ invocatio.

2. Unum addiderim, turpe admodum esse invidenter hoc tempus transigere, quo totius diei acta ad censuram revocare debemus, finemque nostrum Domino cum lacrymis commendare. Morti enim initiamur cum dormire incipimus, ait Plutarchus: pallimque Auctores primæ noctæ & somnum vocant mortis fratrem. Quia videlicet, ut in libro de resurrectione scribit Athenagoras, similia accidunt sopitis, & defunctis. Apud Pausaniam in Eliacis in Cypseli Tyranni monumento efformatum legitur simulachrum noctis cum duobus infantibus, nigro uno, candido altero cum mortis, ac somni epigraphæ. Dormiunt mortui Deo, sicut dormientes velut mortui sunt nobis. Locus sacer, in quo ossa mortuorum requiescunt Græco vocabulo cœmeterium, hoc est dormitorium dicitur à κοιμίζω, quod est dormio, & communiter in sacris literis dormire dicuntur, qui felici securitate in Domino moriuntur. Hinc teste Amalario *u*, aptatur quodammodo officium Completorii commendationi,

o *Psalm. 103. p Psalm. 131. q Prov. 8: 31. r Isai. 66: 2. t Plutar. de consol. ad Apoll. t Homer. ll. 14. n. 231. Moschus, & Theocr. Idyl. 3. Virg. 6. Æn. Sen. Herc. jur. act. 4. & alii. u Amalar. l. 4. cap. 8.*

quã se homo commendat Deo, quando transit de sæculo: petimus enim dimitti in pace, & spiritum nostrum in manus Domini commendamus. Sic optimo fine claudimus diem, si nostri quoque finis recordamur. Hac autem recollectione nil efficacius ad traducendas hominum mentes à scelere ad virtutem, ut si benè animo concipiatur, omnem hominem quantumvis barbarum horrore percellere, & ad meliorem frugem convertere possit. *Statutum est omnibus hominibus semel mori: & in quocumque loco ceciderit lignum, sive ad Aquilonem, ibi erit x*. Quis verò hæc audiens, & credens non perhorrescat? Momento vivimus, momento rapimur, & quidem momento inevitabili, unde pendet æternitas. Rectè priscus Satyricus *y*:

Heu, heu nos miseros quam totus homuncio nil est!
Ergò dum licet benè vivere studeamus. Sat dictum de Completorio. Jam tacendum, & quiescendum est. Hoc est autem summè, & perfectè quiescere, ait Richardus Victorinus *z*, à Creatoris pia laude nunquam cessare.

x *Ad Hebr. 9: 27. Eccles. 11: 3. y Petr. Arbitr. z Richar. lib. 2. in Apoc. c. 2.*

CAPUT XII.

De Officio Parvo B. Virginis.

§. I.

Quam difficile sit de Maria laudibus scribere. Cur negotium omnium seculorum dicatur esse. Ejus cultum semper viguisse. Ad ipsam Beatam Virginem deprecatio.

IN celebrandis Beatissimæ Virginis MARIÆ præconiis tot jam sudarunt ingenia, tot sunt attriti calami, tot manus & mentes occupatæ, ut, si ejus honori conscripta volumina in unum congregarentur, insignem se solis constituerent Bibliothecam. Pia quadam emulatione omnis natio, quæ sub cælo est, juvenes, & virgines, senes cum junioribus in recensendis Mariæ laudibus qua ligata, qua soluta oratione decertasse videntur. Sed ut devotus fuerit, gratulæque Deo generosus eorum conatus, quicquid tamen de ineffabili meritorum ejus prærogativa manu scriperint, ore protulerint, mente conceperint, stilla stultæ est, momentum stateræ, gutta roris antelucani; ut non minus de illa, quam

E e e e

quam de Filio ipsius Domino nostro illud pleno ore decantare possimus, *Tibi silentium laus a*: postitque facilius immensum pelagus exigua serobe concludi, quam omnium hominum, & Angelorum vocibus Mariæ laudes exhauriri. Quis Regiæ cœlorum potentias loquetur, auditas faciet omnes laudes ejus? Major est enim omni laude, omnemque exuperat modum, quæ omnium decus creatorarum excellentissimâ dignitate transcendit. S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus sermonem de hac Virgine habiturus sic exorditur: Si palmo metiri terram possumus, ac funiculo mare circumscribere: si cubitis cœlum continetur, & stellarum numerari copia potest: si guttæ pluvie, tellurisque glebæ, ventorumque impetus, atque arenæ comprehenduntur, certè poterit quod in manibus est argumentum comprehendere. Arnoldus Abbas Bonævallensis in initio Tractatus de laudibus Deiparæ hæc habet: Si linguis hominum loquar, & Angelorum, nihil dignè, nihil propriè de sanctæ, ac perpetuæ Virginis Matris Christi Mariæ gloria eloqui poterò, quia verè in laudibus ejus modulandis non invenies organum, & hebes est cujuscumque subtilitatis ingenium. Res mira, & inaudita, Mater Virgo, Verbum caro, Deus homo! Quis in tam celebri miraculo fileat! Item quis hæc prædicare sufficiat? Scimus quidem supra nos esse hoc aggredi, sed ille in cujus sacro utero Verbum caro factum est, locutus de Verbo conciliat verbum: nec fas est muta esse gaudia Ecclesiæ, ubi implente nos Verbo hoc habemus in mente, quod mater in utero. S. Amedeus *b* ex Abbate Alæcumbæ Episcopus Lausanensis magis Virginis Encomiastes, Omnis sancta, inquit, & rationalis anima investigans cœli secreta mysteria, & distinguens ordines supernorum spirituum invenit primam post Redemptorem illam in mulieribus benedictam, illam plenam gratia, quæ Deum genuit, & virginitatis gloriam non amisit. Hæc Virgo beata omni luce clarior, omni suavitate gratior, omni que potentatu sublimior totum mundum illuminat, & unguenti optimi perfusione innovans omnia Cherubim, & Seraphim agmina potestate transcendit, & majestate. Solus igitur Deus, cui soli secunda est, eam digni poterit encomiis honorare, qui ad tantam dignitatem humilem, & parvulam sublimavit, qua majorem ipsa Dei omnipotentia creare non potest. Hoc unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere

sequentem, ut unum eundemque Filium cum Deo Patre meruerit habere communem. Hæc illa mulier est olim in Paradiso promissa, quæ caput serpentis antiqui Dei virtute calcavit. Hæc illustris illa mulier præ cunctis mulieribus benedicta in igne, & rubo; in virga, & flore; in rore, & vellere antiquis Patribus præmonstrata. Hæc arca mystica testamenti, aureum propitiatorium, scala Jacob, virga Jesse, thronus Salomonis, arcus fœderis, janua Paradisi. Hæc fons irrigans universam terram, hæc aurora veri Solis prænuntia. Hæc salus universorum, totius mundi conciliatrix, inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis. Hæc reparatrix protoparentum, posteriorum vivificatrix, vera mater salutis, vera mater viventium, desperantium salus, miserorum solatium, afflictorum refugium, spes unica peccatorum. In ipsa omnis gratia vitæ, & veritatis: in ipsa omnis spes vitæ, & virtutis:

Sola fuit mulier, paruit qua janua letbo,

Et qua vita redit, sola fuit mulier c.

Sub ejus umbra qui pauperit in æstu vitiorum refrigerium inveniet, in pressuris sæculi umbraculum, in laboribus quietem.

2. S. Bernardus *d* in Mariæ laudes semper effusus eam *Negotium omnium sæculorum* aptissimo profus, ac singulari titulo nuncupavit. Ipsa enim tanquam mediatrix fidelissima omnium negotia in cœlesti curia procurat. Ipsa una omnium negotium est, quæ sola potuit omnia sæcula occupare, quæ magnum negotium sæculorum omnium ingeniis facessivit. Sed consultius est dulcissimi Doctoris lacteam orationem audire: lac merum loquitur, quod ab uberibus Virginis insigni privilegio suxit. Ad Mariam sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut refarciantur; & qui in inferno, ut eripiantur; qui præcesserunt ut Prophetæ fideles inveniantur, qui sequuntur, ut glorificentur. Ed beatam te dicunt omnes generationes Genetrix vitæ, Domina mundi, Regina Cœli. Omnes inquam generationes, quæ omnibus generationibus vitam, & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiâ, iusti gratiam,

c. Turcius Rufus in collat. vet. & novi Testam. d. Bernæ. serm. 2. de Pent. cost.

a. Psal. 64. ex vers. Hebr. b. Amed. hom. 1.

pœccatoris veniam invenerunt in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotens quicquid creaverat recreavit. Apud Græcos omnibus sacris Hymnis, de quocunque argumento sint, Therocion, in laudem Deiparæ adjungi solet, ac si minimè congruum esset ex aliis capitibus Deum laudare hoc prætermisso. Jodocus Coccus omnium sanctorum Patrum diligentissimus excerptor toto libro tertio tomi primi sui Theauri Theologici quicquid à Græcis, & Latinis Patribus de beata Virgine præclarè dictum, & excogitatum fuit in unum collegit. Theophilus item Raynaudus vir infinitæ lectionis omnes titulos B. Virginis ex sanctis Patribus excerptis, & ex iis librum confecit, quem inscripsit Nomenclatorem Marianum. Possunt autem iidem tituli valde locupletari ex Menæis aliisque libris Ecclesiasticis Græcorum, quod egregiè præstitit vir eruditus Simon Wangnereckius in sua Pietate Mariana Græcorum edita Monachii. Multa quoque collegerunt ad B. Virginis laudem pertinentia præclari & noti Scriptores Petrus Antonius Spinellus in libro quem inscripsit Maria Deipara thronus Dei; Aloysius Novarinus in Umbra Virginea, & Joannes Baptista Novatus in opere de Eminentia Deiparæ e. Demum in colenda Virgine nemini cedit hoc sæculo vir religiosissimus Hypolytus Maraëcius Lucensis; nam præter varia Latinorum, Græcorumque opuscula de ipsa Dei Genitrice quæ in lucem emisit, & notis illustravit: præter Bibliothecam Marianam in qua recenset summa diligentia omnes qui de beata Virgine aliquid scripserunt: Edidit etiam Prophetas Marianos, seu de Prophetis Mariæ Præculturibus: Apostolos item, & Pontifices Maximos Marianos, Purpuram Marianam, Antistites, Fundatores, & Religiosos Marianos, Palmam Marianam, Lilia Mariana, Heroides Marianas, Cæsares, Reges, & Principes Marianos: habetque prælo paratam Polyanthem Marianam, & alia multa, quibus bene mereri, de cultoribus Virginis non cessat. Istos consulat Lector, qui eximias Mariæ laudes noscere cupit, non eum pigebit legisse.

c Videndi etiam Joan. Bonifac. in historia Virginal. Petrus Canisius lib. quinque de Deipara & aliis innumera-
rabiles.

METRUM XXV.

Virgo Regina polorum,
Summo quæ proxima Regi

Mundi moderaris habenas,
Huc è celsa æthereis aula
Descende, & discice mentis
Rutilo splendore tenebras
Meritas tibi promere laudes
Amor est, cupioque per omnes
Te dignos currere honores.
Aps, ut studiosa, per arva
Que circum ludit Hymetti,
Non uno è cespite florum
Carpit fragrantia mella:
Sed lati plurima veris
Præguans munera, rorem
Depascitur arvia cali.
Laudes sic ipse, tuasque
Celebrabo carmine doctes,
Si tu, dulcissima Virgo,
Lucem digneris, & æstum
Tenebroso infundere cordi.
Tu nostræ es gloria stirpis
Tu lux, tu vita, decusque,
Hominum spes certa, tuumque
Observant omnia nutum.
Placido me respice vultu
Inopem, incertumque salutis.
Da veri cernere sedem
Cecâ caligine pulsâ.
Duce te mihi gratia semper
Divina aspiret, ut omni
Deterga ærugine culpa
Puro tibi pectore possim
Canere hymnos, pangere versus.

3. Semper Deiparæ cultum in Ecclesia viguisse, ut cætera desint argumenta, ex hoc potissimum conjicere licet, quod nullum ejus principium ostendi potest. Nam nec Pontificis alicujus decreto, aut Concilii sanctione, nec consuetudine aliqua, cujus sciatur origo, introductus fuit, sed omni ætate, omni tempore semper fideles cœli Reginam summo honore prosequi, & venerari consueverunt. Hæc enim ab æterno prædestinata, & prælecta à Deo fuit, ut arcanum Incarnationis mysterium in ea perficeretur. Hanc nascituram promisit Deus statim post lapsum primi parentis, cum serpentis malignitati iratus dixit, *Ipsa conteret caput tuum.* Hanc venerabiles Patriarchæ & sanctæ mulieres veteris testamenti ante & post diluvium multiplici allegoria præfigurarunt. Hanc Prophetæ futurorum præscii vaticinante præconio prædixerunt: inter quos Hieremias, cum in Ægypto exularet, ejus immaculatum puerperium sacerdotibus

Ecce 2 dotibus

dotibus idolorum indicasse dicitur, ut Auctor synopsi de vita, & morte Prophetarum, siue fuerit Dorotheus Martyr, siue alius recentior, qui fuit Romæ Abbas, & Epiphanius f. Episcopus asseverant. Etiam ab Ethnicis, & Turcis eam coli, & celebrari docet Joannes Bonifacius g in historia Virginali. A fidelibus autem Catholicæ, & orthodoxæ Ecclesiæ speciali cultu hyperdulia adoratam fuisse ab ipso Ecclesiæ ortu usque ad hæc tempora innumeri Scriptores testantur, quorum testimonia, & auctoritates si ex scriptis ipsorum excerpere, & hic inferere vellem, rem ineptissimam facerem, nam & immensi id operis foret; & materiam ab aliis dudum præoccupatam attingerem, quorum diligentia, & eruditioni quidpiam adicere non præsumo. Optimos quosque profert Canisius h singulorum dicta perpendens, & ex his sectarios convincens. Incipit autem à D. Laurentio Justiniano, tum servata temporum serie ad anteriora secula ascendens fide dignissimis auctoritatibus evincit, in religiosa Matris Dei veneratione retinenda, & promovenda magnum semper fuisse totius Ecclesiæ consensum in omni natione quæ sub cælo est. Frustra convellere hunc cultum oblatrantes Hagiomachi, & Iconoclastæ conati sunt. Viguit, semperque vigebit in æternum & ultra B. Virginis veneratio, & portæ inferi non præ valebunt adversus eam. Quis enim post Deum ita generis humani curam gerit? quis nos ita tuetur in afflictionibus, liberat à periculis, præservat à malis?

4. Ideo ad te, gloriosissima Virgo, omnium fidelium corda suspirant, omnium oculi respiciunt, omnium vota confugiunt. Te celebrant omnes linguæ, te laudant omnes populi, & beatam te dicunt omnes generationes. i Gloriosa dicta sunt de te, sed adhuc locus est tuæ laudationi, adhuc in tuis laudibus balbutit omnis lingua. Non enim sunt loquelæ neque sermones, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari. O magna, o pia, o multum amabilis Maria, tu nec nominari quidem potes, quin accendas: nec cogitari quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita piæ memoriæ portas ingrederis. Et nunc sequimur te, o Domina, ex totis præcordiis vociferantes ad te, adjuva im-

f Epiph. in vita Hieremia. g Bonifac. lib. 2. cap. 16. h Canisius lib. 5. de Deip. cap. 27. & seq. i Ebertus in laud. de B. V. inter opera D. Bernar. li. 3. c. 7. Alex. bom. adv. Nestorium.

becillitatem nostram, aufer opprobrium nostrum. Tibi revelamus cum fiducia causam nostram, quia cæli & terræ mediatrix es, peccatorum refugium, salus pereuntium. Per te sancta Trinitas in universo orbe glorificatur; per te cælum exultat, lætantur Angeli, fugantur demones: per te prolapsum plasma rursum in cælum subvehitur: per te gentes adducuntur ad poenitentiam: per te fundatæ sunt Ecclesiæ, destructa infidelitas: per te clausa sunt tartara, apertæ sunt fores Paradisi:

Salve sancta parens, enixa puerpera Regem,
Qui cælum terramque tenet per secula, cuius
Imperium sine fine manet, quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa es, nec habere sequentem.
Sola sine exemplo placuisti sàmina Christo. k

Tuo interventu, benignissima Mater, & nos Christo placeamus, ut te perducete post hujus mortalitatis cursum ad eum perveniamus, qui ex te pro mundi redemptione carnem suscipere dignatus est, teque in supremo gloriæ folio tanquam nobilissimam inter omnes creaturas super choros Angelorum exaltavit.

S. I I.

Officii parvi B. Virginis memorabilis institutio. Ejus origo antiquior, quam vulgus putet. Deipara encomia, & ad eam salutatatio.

1. **T**Ametsi Ecclesia primi temporis tum publicis, tum privatis opplorationibus Deiparæ auxilium quotidie flagitare, eamque erectis templis, festisque diebus ejus nomini attributis venerari consueverit; usus tamen recitandi preces ejus horarias non tantam videtur præ se ferre antiquitatem, sicut officium Defunctorum, de quo capite sequenti disseremus. Enim verò si generales Ecclesiæ Synodos, quarum est cunctis fidelibus leges imponere, sedulo dispiciamus, hujus officii celebratio indicta est post mille, & amplius annos à Christi nativitate in Synodo Claromontana. Institutionis hujus occasio ex Ecclesiasticis Annalibus hæc est. Anno Domini 1095. l Urbanus Secundus Romanus Pontifex ægrè ferens Christi incunabula, ejusque sepulchrum ab infidelibus Turcis omni genere contumeliarum affici, in generali Concilio apud Claromontem in Galliis celebrato bellum sacrum in-

k Sedulius l. 1. oper. paschal. | Bayen. 1095. num. 50.

indixit, & divino spiritu percitus classicum potenter intonuit toto penè occidentali orbe pro fide Christi ad arma concurrente. Ut autem res difficillima, & hætenus intentata optatum consequeretur effectum, optimum duxit sacrosanctæ Virginis precibus sibi Deum conciliare. In cuius rei gratiam rogata Patrum sententia sancivit, ut ejusdem sanctissimæ Virginis officium jam à quibusdam Monachis frequentatum ab illis deduceretur ad clericos, qui piè susceptum onus singulis diebus persolventes Dei Matrem exorarent, quò ejus aspirante gratia fidelis populus in tantis discriminibus subeundis divino præsidio muniretur. Quod officium ea occasione institutum tanto deinceps studio propagatum fuit, ut ipsi etiam laici cum magno gratiarum scenore illud soleant frequentare. Ex dictis error quorundam convincitur, qui Urbanum Secundum primum harum precum faciunt auctorem, cum earum promotor, non institutor, quod natum & educatum in claustris Monachorum fuerat, in lucem gentium sapienter eduxerit. Tolerabilior aliorum error videtur sacræ hujus institutionis originem ad Petrum Damiani referentium, qui paucis annis ante Synodum Claremontanam diem clausit extremum. Nam & hic clarissimus vir monasticorum rituum propugnator accerrimus est, qui in Annalibus Ecclesiasticis *m* virgineam synaxim instituisse narratur. Id autem in suo quodam Cœnobio divinitus confirmatum idemmet eleganter describit epistola *n* ad suos Eremitas Gamugnenses. Statutum, inquit, erat, atque jam per triennium ferè servatum, ut cum horis Canonicis quotidie B. Mariæ semper Virginis officia dicerentur. Erat autem inter eos Gozo habitus monachus, reprobæ quidem vitæ, sed dicacis, & accuratæ facundiæ. Hic cœpit conqueri satis superque sufficere quod sanctus præcipit Benedictus, nec novæ adinventionis pondus debere superponi, nec nos esse antiquis Patribus sanctiores, qui videlicet hæc superstitiosa, & supervacanea judicantes psallendi nobis metam, omnemque vivendi regulam præfixerunt. Hac sanè debere nos esse contentos, ne ab illa incautius declinantes per anfractus, & invia ducamur errorum. Quid plura? Contra Reginam mundi præliari visus est; & confecit. Ad hoc nimirum fratres versuta machinatione pellexit, ut solitas B. Mariæ laudes ulterius non offerrent. Sed ò divinum judicium à nostræ pravitatis intuitu non

m Idem anno 1056. *num.* 66. *n* Pet. Dam. ep. 120. quæ est 32. lib. 6.

dormitans! Mox enim adversus præfatum Monasterium tot adversitatum grandines, tot undique bellorum, atque confictuum exortæ sunt tempestates, ut ipsis quotidie Monachis minaces gladii necis exitum intentarent. Quia ergo Matrem veræ pacis de suo Monasterio projecerunt, dignum est, ut inquietis calamitatum, tribulationumque procellis atque turbinibus agitentur. Quæ fratres illi vera probantes tandem ad cor redeunt, pavimento se humiliter sternunt, ac perceptâ poenitentia nunquam se de cætero neglecturos solita Genitricis Dei præconia unanimiter pollicentur. Mox itaque tanta serenitas rediit, ut ex tunc usque hodie jucundæ pacis otio perfruantur. Qui ergo faciliè seniorum suorum statuta convellunt, ista considerent, & ne divini furoris super eos gladius veniat, non sine causa formident.

2. Ex hoc exemplo, quod vir disertissimus pluribus verbis exequitur, occasionem sumpsere nonnulli asserendi officium Deiparæ in venerabilis viri Monasteriis incœpisse. Sed ne illi hac in re primatum deferam, faciunt Scriptores vitæ ejus graves, & fide dignissimi Joannes Monachus *o* ejus discipulus, Joannes Antonius Flaminus Forocorneliensis *p*, Augustinus Fortunatus Camaldulensis *q*, & Hieronymus Rubeus *r*: Hi enim uniformiter asserunt officium D. Virginis à B. Petro non institutum, sed restitutum, ut, cujus desuetudo paulatim irreperat, ipso procurante ad pristinam observantiam revocaretur. Et ne lectorem diutius protraham, in utraque Ecclesia Græca, & Latina horas S. Mariæ institutas invenio trecentis, & amplius annis ante Damianum. Et è Græca quidem Episcopus Beluacensis *s* testem profert Joannem Presbyterum Damascenum, de quo sic scribit. Joannes Damascenus in amore Dei, ac gloriose matris ejus se exercens monachalem habitum assumpsit, virgoque permanens Reginæ Virginum horas quotidie studiosissimè decantabat, factusque Presbyter in ejus honore Missas devotissimè, ac frequentissimè celebrabat. Porrò vivebat Damascenus anno Domini 728. cujus officia de B. Virgine ritu Græco per totum annum extant M. SS. in Monasterio Cryptæ ferratæ in agro Tusculano. E Latio autem testem

Eeeee 3 habeo

o Jan. Monach. c. 15. *p* Flamin. post med. *q* Fortunat. hist. Camaldul. lib. 5. *r* Rubeus hist. Ravennat. lib. 5. *s* Vincen. in Specul. hist. lib. 17. cap. 105.

habeo Petrum Diaconum Cassinensem *r.* Hic in regulam S. Benedicti insignem commentarium composuit, quod Romæ manuscriptum asservatur apud D. Constantinum Cajetanum: In hoc igitur libro verba faciens Petrus de Abbatis Cassinensis consecratione ait: Eo die Abbas nihil aliud nisi panem, & aquam comedit, & Canonica septem horarum officia in commemoratione B. P. Benedicti nunquam dimittat, salvo scilicet eo, quod in honorem sanctæ Dei Genitricis perfolvi consuetudo est, quod etiam generaliter sub districto præcepto Cassinensi Congregationi Zacharias Papa observare præcepit, constituens, ut totius anni tempore tam æstatis, quam hiemis ante nocturnale, vel diurnale officium mox ut fratres in choro convenerint, incipiant officium de S. Benedicto: & eo expleto inchoent officium, quod Regula præcipit, adjuncto etiam sanctæ Dei Genitricis, & Virginis Mariæ officio. Hæc Petrus, qui & alibi eandem institutionem ad Gregorium Secundum refert. At verò Gregorius, teste Baronio, Pontificatum inivit anno salutis 715. cui post Gregorium Tertium successit Zacharias. Antiquior igitur, quam vulgus hominum putet, hujus officii usus, & ordinatio est.

r. Pet. Diac. in Reg. S. Bened. cap. 64.

M E T R U M XXVI.

Virgo parens, utcunque polo me cernis ab alto,
Audi pulsantes sidera celsa preces.
Quod mea cumque sonat fidibus testudo canoris
Lenior è summis excipe, Diva, choris.
Tu sine labe nitens precibus sera crimina mundi
Diluis, & certam pandis ad astra viam.
Te duce tutaratis rapidis dat carbasa ventis,
Jussa cadit matu fracta procella tuo.
Te sine nec flores horti, nec gramina vales
Nec fruges campi, gratæque poma ferunt.
Te celebrant tartarique senes, juvenesque decori,
Et quibus invictis robore membra vigent.
Te teneri cantant pueri, innuptæque puella,
Gratus perspicua virginitate chorus.
Et tibi lactæoli, dulcissima turba, puelli
Truncatis recinunt carmina blasa sonis.
Te caelum, te terra colit, te pontus adorat,
Omnia te mundi vota, precesque petunt.
Melicet horrenda circumsonet ira Malea,
Demersumque minax obruat unda caput.
Dum pelagi rabies sævit metuenda, per ipsas

Eripies nantem me tua dextra neces.
Sive pharos, pontique jubar, navisque vocari
Ambigus nautis seu cynosura cupis.
Si me moris sero comburat Syrius aestu,
Afflet & ardenti divus ab axe calor.
Tu mihi tegmen eris, seu celso in colle cupressus,
Seu cedrus dici, seu cerebinthus amas.
Bellica si armato circumstent agmina campo,
Si mille enses, specula mille petant.
Tu mihi, tu Virgo, diceis eburnea turris,
Quam nequit excussis rumpere flamma globis.
Si te sideribus noctu mea musa sugatis
Evocet, ut referas ore nitente diem,
Clavio aurora potis es tu sola tenebras
Discutere, & roseâ fronte aperire diem.
O tandem titulo gaudes quocumque vocari,
Huc ades, huc felix ad tua sacra veni.
Mille tibi spirant teneri suspiria cordis,
Mille calent aræ pectora mille gemunt.
Quaque patet tellus liquido circumflua ponto,
Mille tibi laudes, carmina mille sonant.
Scilicet horribili scelera sub nocte sepultis
Tu rutilam præfers per vada caeca facem.
Celsaque caelorum referas penetrabilia genti,
Qua prope tartareis mensa peribat aquis.

3. Si ergo fratres mei, inquit Radulphus Ardens *u*, malignus spiritus nos infestat, si caro nos tentat, si mundus nos oppugnat, ad Mariam respiciamus, ad Mariam confugiamus, ad Mariam conclamemus. Ipsa est nostra singularis apud Deum advocata, adjutrix Christi in humani generis redemptione, *a* apex gaudii nostri, *b* dulcedo credentium animarum, *c* spes & anchora Christianorum. *d* Ipsa est arca sanctificationis, quæ manna cœlesti portavit; *e* capacitas illum capiens, quem nulla res capit; *f* scelum ejus, qui fecit cœlum; *g* receptaculum Divinitatis. *h* Ipsa est fons lucis omnem hominum illuminantis; *i* ortus solis, qui nullum ferre potest occasum, puteus aquæ semper viventis; *j* Bonum & lætitia generis humani, *k* Fons incorruptionis, fons misericordiæ, janua penitentia; *l* fons signatus sigillo totius Trinitatis, interemprix uni-

u Radulph. serm. in Annunt. a Richard. à S. Laur. lib. 2. b Jo. Geom. hymn. 3. c Richard. lib. 4. d Emman. Makaxus l. 2. Turco gratia. e Georg. Nicomed. orat. de oblat. Deip. f Amphiloeh. or. in Deip. g Andr. Crete. orat. 1. de dormit. Deip. h Sergius Hieropol. orat. in Nat. Deip. i Chrysipp. orat. de Deip. k Apollinar. in fin. Tragad. Christi patientis. l Theosterict. in canone conciliariorio.

universæ hæreticæ pravitatis. *m* Ipsa est navis infitoris de longè portans panem suum; *n* mater clementiæ, & pietatis; *o* flos de spinis spinâ carens; *p* solatium eorum, qui affliguntur, ultio eorum qui vexantur; amictus eorum qui sunt nudi, quæ semper suis ulnis fovet Christianos. *q* Ipsa est fidelium fax, nutrix omnia nutrientis, omnia continentis comprehensio; *r* Rubus ardens, qui non exurit, revocatio Adæ, Evæ redemptio; *s* castitatis speculum, sigillum virginitatis; *t* tabernaculum non manufactum, id est non hujus creationis; *u* per quam omnia ad unitatem, & perfectam charitatem sunt redacta. *x* Ipsa est clypeus pugnantium contra invisibiles & visibiles hostes; cujus ope Christianos Principes de barbaris nationibus sæpè triumphasse refert Spinellus diffusè & ex antiquis Historicis, Niceta, Cedreno, Procopio, Nicephoro Gregora, Joanne Curopalata, Theophane, Zonara, Vincentio Beluacensi, & aliis recentioribus. Narrant, & alii *z* venerandam imaginem in clypeis olivâ pictam ad bellatorum præsidium: cujus item aspectu sanari morbos, fugari daemones, omnem auferri tribulationem quotidiana constat experientia.

4. Esto igitur protectrix nostra, Beatissima Virgo, & audi preces servorum tuorum ad te clamantium die ac nocte. Deprecare unicum Filium tuum pro excessibus multorum filiorum, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta. Ecce procido coram te, ô benedicta, inventrix gratiæ, mater

m Sophron. homil. de assumpt. n. Idiota par. 14. cap. 39. *o* Goffrid. Pindoc. serm. 8. *p* Adam de S. Viêt. in prosa de Assumpt. *q* Eutychian. de penitent. Theophili *r* Method. or. in Hypap. *s* Theophan. hymno de Annuntiat. *t* Alanus in cap. 5. Cantic. *u* Dionysius Alexand. epistol. contra P. Samosat. *x* Epiphani. Constit. epist. ad Hormisdam. *y* Spinell. in Append. lib. de Deip. tract. 2. *z* Will. Maleb. lib. 1. histor. Angl. *Co* Jac. Philipp. Berzomas in Suppl. Chron. lib. 9. *Am* brof. Auserb. hom. de Purific. Bern. serm. 2. *Ad* vent. Hildeous. lib. de virginitate Maria cap. 12.

salutis, procido, & humilior coram te, ut obtineas deleri facta peccati mei, ut jubeas mudari me ab iniquitate operis mei, ut facias me diligere gloriam virtutis tuæ, ut reveles mihi multitudinem dulcedinis Filii tui: ut des mihi loqui & defendere fidei sinceritatem Filii tui: concedas etiam mihi adherere Deo, tibi; servire Filio tuo, & tibi; Illi sicut factori meo, tibi sicut ancillæ Domini omnium. Illi sicut Domino virtutum, tibi sicut ancillæ Domini omnium. Illi sicut Deo, tibi sicut Matri Dei. Attende, & fac per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, & ne deseras sperantem in te. Ad te confugio singulare solatium cordis mei, ut te intercedente Jesus Christus Redemptor meus participem me faciat gloriæ suæ, qui te mediantefactus est particeps humanæ miseriæ & infirmitatis.

§. III.

Ritus officii explicatur. Ordo Cisterciensis specialiter Deiparæ dicatus est. Exhortatio ad implorandum in omnibus Mariæ nomen, & auxilium.

1. **I**N officii parvi B. Virginis recitatione idem ferè ritus observatur, quo solet majus officium recitari. Nam & septem Canonicis horis constat, & eodem Psalmorum, Antiphonarum, ac orationum numero expletur. Sola differt nocturna synaxis, quæ tres dumtaxat Psalmos habet, totidemque Lectiones. Psalmi nocturni ritu Romano novem sunt, qui ter in hebdomada mutantur, ut notum est. Aliæ quædam Ecclesiæ eosdem semper recitant, quos Romani die Dominico psallunt. Per horas dici Psalmi Graduales distribuuntur. Monachi verò quibus diebus psalmos graduales juxta regulam S. Benedicti ad horas officii majoris dicunt, in officio parvo ea capitula psalmi 118. illis substituunt, quæ à Romanis ad Tertiam, Sextam, & Nonam semper cantantur. Hujus ritus meminit Radulphus Tungrensis libro de Canonum observantia. Nescio quâ ratione hanc psalmorum distributionem mutarint, qui Breviarium Monasticum sub Paulo V. compilarunt, in utroque officio eosdem psalmos graduales repetentes. Sanè Cistercienses, & Cartusiani antiquum morem retinuerunt. In his Ordinibus laus virginalis officio majori semper præponi-

praepositur, excepto Completorio, quod postponi solet. Id verò Cartusienſibus divinitus revelatum fuiſſe narrat in Chronico vir probatæ fidei Petrus Dorlandus *b*: A Romanis autem ſemper officio majori poſtponitur, excepto Matutino & Vesperis. Hoc officium, inquit Radulphus, intermittitur aliquando propter temporis incongruentiam, ut in hebdomada Paſchali, & triduo præcedenti: aliquando ne bis dici videatur, ut quando ſervitium principale ſit de Virgine glorioſa: itemque in quibuſdam majoribus ſolemnitatibus. Sed Cisterciensẽs nunquam illud omittunt, nullaque dies eſt quantumvis ſolemnis, qua ſe eximant à laudibus B. Virginis tum publicè, tum privatim perſolvendis: quæ conſuetudo longiſſimi temporis præſcriptione firmata ad hoc penſum quotidianum ſub graviore culpa noſtros obligare certiffimum eſt, quicquid aliquis majoris ingenii, quam pietatis Auctõr in contrarium ſcribere auſus ſit.

2. Infinita ſunt Ordini Cisterciensẽi à clementiſſima Regina collata beneficia, quæ nunquam poterunt ejus alumni digna proſequi gratiarum actione, quantumvis ſtudeant multiplicatis obſequiis congruum illi exhibere famulatum. Ipſa Robertum *c* ſanctiſſimum Abbatem Ordinis inſtitutorem aureo ſibi annulo deſponſavit, hæc amoris exhibitione declarans ſe Matrem futuram Monachorum. Ipſa Beatis viris Alberico, & Stephano Roberti ſucceſſoribus albi coloris cuculam tradidit, habitusque formam præſcripſit, ut docet in Annalibus Cisterciensibus Angelus Manriquez *d*. Ipſa mellilloſum Bernardum Ordinis propagatorem virgineis laſtavit uberibus. Ipſa Monachorum detractores gravi cenſurâ compeſcuit, loca Ordinis moleſtantes acerbiffimè caſtigavit, ſe Ordinis Advocatam profeſſa eſt, vocavitque Monachos optimos amicos ſuos; illis pſallentibus, laborantibus, iter agentibus, agrotantibus, periclitantibus, morientibus aſſicit, apparuit, miniſtravit. Magni voluminis opus foret ſingula recensere, quæ in Annalibus *e* fuſius deſcripta reperiuntur. Ubi ſunt igitur, ſi qui tamen ſunt, filii Belial neſcientes quæ ſunt ſpiritus Dei, qui dicunt, Regina cœli non regnabit ſuper nos? qui videlicet malo ſpiritu inflati nullo nos præcepto adſtringi aſſerunt ad Virgineas laudes quotidie recitandas. Date viros, ut auditis tot Deiparæ erga nos benefi-

ciis ad meliorem frugem convertantur. Ordo noſter, ut Gregorius X. Romanus Pontifex ait in quodam Privilegio *f*; inter cæteras religiones ſingularitate devotionis glorioſæ Virgini ex primaria inſtitutione adſcriptus iuit. Omnes Eccleſiæ noſtræ in honorem ejuſdem Virginis conſecratæ ſunt, idque ab initio ſtatutum fuiſſe tum ex Cæſario *g*, tum ex antiquis diſſinitionibus conſtat. In quibus Eccleſiis, ne ipſi Virgini debitus cultus deeſſet, Patres noſtri doctrina & ſanctitate conſpicui decreverunt præter quotidianum officium, de quo ſermo eſt, in ſingulis etiam horis majoris officii B. Mariæ commemorationem fieri; ſinguliſque diebus ſacrum in ejus honorem à Sacerdote ad id ſpecialiter deputato celebrari. Non eſt autem omittendum hoc loco, quod narrat Cæſarius in fine libri ſeptimi dialogorum. Monachus quidam Ordinis noſtri Dominam noſtram plurimum diligens, ante paucos annos mente excedens ad contemplationem gloriæ cœleſtis ductus eſt; ubi cum diverſos Eccleſiæ triumphantis Ordines videret, de ſuo Ordine ſolicitus, cum ſtare & circumſpiceret, nec aliquam de illo perſonam in illa gloria reperiret, ad beatam Dei Genitricem cum gemitu reſpiciens ait: Quid eſt, ſanctiſſima Domina, quod de Ordine Cisterciensẽi neminem hic video? Quare famuli tui, tibi tam devotè ſervientes, à confortio tantæ beatitudinis excluduntur? Videns eum turbatum Regina cœli reſpondit: Ita mihi dilecti, ac familiares ſunt hi, qui de Ordine Cisterciensẽi ſunt, ut eos etiam ſub ulnis meis foveam. Aperienſque pallium ſuum, quo amicta videbatur, quod miræ erat latitudinis, innumerabilem multitudinem Monachorum, Converſorum, & Sanctimonialium illi oſtendit: qui nimis exultans & gratias referens ad corpus rediit, & quid viderit, quidve audivit Abbati ſuo narravit. Hæc Cæſarius. Scio quidem haud diſſimilia de aliis quibuſdam religioſis Ordinibus narrari; ſed ut integrum cuique maneat ſuum decus, Ordo certè Cisterciensẽis de ſingulari Domine noſtræ protectione poteſt non inſipienter gloriari.

3. Diutius morarer in hoc argumento, ſi poſſem cum Damasceno Auguſtiſſimæ Virgini ejuſque dignitati novos hymnos promittere: aut ſaltem auferem cum Ephrem orare, & dicere, Dignare me laudare te Virgo ſacrata; ſed videns paupertatem meam, & memor imbecillitatis meæ,

b Dorland. lib. 4. cap. 1. *c* Otho Molifmeni in vita Roberti. *d* Ann. 1103. cap. 1. *e* *2*. *f* Cæſar. lib. 7. cap. 6. *7*. 42.

f Privileg. 43. *g* Cæſar. lib. 1. cap. 1.

meæ, ejus præconia quibus impar omnino sum tacitus præteribo, non audens præ confusione, & conscientia sordium meorum os aperire. Nomen autem ejus sanctum & venerabile cum tremore invocabo, ut propicia mihi sit Mater misericordiæ, & reficiat languentem animam meam. Audito hoc nomine ad spem peccator erigitur, reficitur mens justi; ridet terra, gaudet cœlum, lætantur Angeli, Dæmones contremiscunt. Sunt qui quotidie hoc nomen venerentur recitatis quinque psalmis quorum literæ initiales Mariæ nomen efficiunt, præmissâ singulari Angelicâ salutatione. Psalmi sunt isti; *Magnificat, Ad Dominum cum tribularer, Retribue servo tuo, In convertendo, Ad te levavi oculos meos.* Insigne de hac re miraculum ex Beluacensi, & Cantipratano refert Spinellus in fine capituli quarti. Optime Franco Abbas b. Post singulare nomen Jesu Christi, quod est super omne nomen, nullum aliud nominatur, unde tantum gratiæ, tantum spei, tantum suavitatis, tantum consolationis piæ mentes concipiant. Quotiescunque enim dulcissimum nomen MARIA amatores illius audiunt, toties ex pio auditu, & suavitate auditi nominis nescio quid inenarrabilis jucunditatis intus trahunt. Nomen namque Mariæ mirum quid suave, ac divinum in se continet, ut cum sonuerit amicis cordibus amicis suavitatis odorem spiret. Et mirum illud est de nomine Mariæ, & valde mirum, ut millies auditum semper audiatur quasi novum. Concludo hæc dulcissimâ Parænesi devotissimi Patris Bernardi; Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus ad folia fugiebas. Jesum dedit tibi mediatorem. Sed forsitan & in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, mansit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipsum? Ad Mariam recurre. Exaudiet utique matrem filius, & exaudiet filium Pater. Hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, plena pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ. Ideoque modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere

h. Franco in fine tom. 6. de gratia Dei. i. Bernard. serm. in Nativit. B. Mariæ serm. super signum magnum. serm. 2. sup. Missus est. & serm. 4. de Assumpt.

cura, si non vis sustinere repulsam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde: & ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris. Sileat misericordiam tuam. Virgo beata, si quis est, qui te invocatam in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Ad hunc fontem sitibunda properat anima nostra. Ad hunc misericordiæ cumulum totâ sollicitudine miseria nostra recurrit. Sit pietatis tuæ ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo, reis veniam, periclitantibus adjutorium, & liberationem tuis sanctis precibus obtinendo. Plena es gratiarum, plena rore cœlesti. Ciba hodie pauperes tuos, Domina, ipsi quoque catelli de micis edant, sed & camelis potum tribue de superfluente hydria tua, ut omnibus, qui dulcissimum nomen tuum cum laude invocant, per te, Regina clementiæ, gratiæ suæ munera Jesus Christus Filius tuus Dominus noster misericorditer largiatur.

CAPUT XIII.

De Officio Defunctorum.

§. 1.

Cur oremus pro defunctis. Quadam de Purgatorio. Que peccata in eo puniantur. Voces purgantium animarum.

1. **N**on sine causa mater Ecclesia spiritum habens sponsi, & Dei sui post solemnem officii Divini recitationem specialem pro defunctis cursum instituit. Omnes enim filios pari complectens amore postquam Dei Optimi Maxima erga viventes beneficia debitis gratiarum actionibus diu, noctuque celebravit, misericordes oculos ad eos convertens, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis; eorum etiam spiritus aeterno

F f f f

aeterno

æterno Regi, cui omnia vivunt, devota precum solemnitate commendat. Non omnes Ecclesiæ filii, quibus data potestas est hæredes fieri vitæ æternæ, post ultimam vitæ hujus clausulam transire statim merentur ad patriam. Pauci omnino, quos Deus insigniter prædestinavit, in suavissimo ipsiusmet Dei osculo moriuntur, qui baptismalis innocentiae candorem usque ad finem vitæ illibatum conservarunt. Cæteri salvi quidem erunt, sic tamen quasi per ignem. Hanc Catholicam veritatem aptissimo ædificii paradigmate illustrat Apostolus *a* *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem super ædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod super ædificavit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Hanc metaphoram communi calculo approbatam de anima fidei, deque igne purgatorio explicant sancti Patres. Fundamentum Ecclesiæ, & cuiusque Ecclesiæ filii Christus est, fidesque viva per charitatem, super quam alii aurum, argentum, & lapides pretiosos, alii verò lignum, fœnum, & stipulam superædificant. Aurum, ait D. Thomas *b*, charitas est, argentum sapientia, & contemplatio, lapides pretiosi sunt aliæ virtutes: è contrario lignum, & fœnum, & stipula peccata levia, & venialia sunt, quibus per vanitatis studium inficitur mens. Nec enim de mortalibus hic sermo est, quæ ipsum destruunt vitæ fidei fundamentum. Coacervant in anima sua res cremabiles, inquit Eckbertus *c* Schonaugiæ Monachus, qui se non custodiunt à levioribus culpis, velut est otiosus sermo, risus, & joci, ira, vana lætitiæ, excessus in cibo, & potu, & hujusmodi quotidiana peccata, quæ capitalia non dicuntur. Hi ligna, fœnum, stipulam aggregant super fundamentum suum, & hæc excoquenda sunt per ignem. Clarius Augustinus *d* ligna, fœnum, & stipula non absurdè accipi possunt rerum secularium, quamvis licitè concessarum tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint. Cum autem iste dolor urit, si Christus in corde fundamenti locum habet, id est, ut ei nihil anteponatur, & malit homo, qui tali dolore

uritur, rebus quas ita diligit magis carere quam Christo; per ignem fit salvus. Si autem res hujusmodi temporales, ac sæculares tempore tentationis maluerit tenere quam Christum, eum in fundamento non habuit, quia hæc priori loco habuit, cum in ædificio prius non sit aliquid fundamentum. Purgatorium igitur ex doctrina Ecclesiæ locus est, in quo animæ temporariâ poenâ plectuntur, quæ in obitu, nec ob mortalem culpam à Dei gratia, & amore sunt exclusæ, nec ad eod defæctatæ, ut confestim ad conspectum Domini possint admitti: *Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum celorum.* *e*. Eleganter Origenes *f*: Non omnes purgantur eo igne, qui de altari assumitur. Aaron purgatur illo igne, & Isaias, & qui sunt similes illis. Alii verò, qui non sunt tales, alio igne purgantur. Timeo ne illo, de quo scriptum est: *Fluvius ignis currebat ante ipsum.* Ille ignis non est de altari. Qui de altari est ignis, ignis est Domini, qui autem extra altare est, non est Domini, sed proprius est uniuscujusque peccantium de quo scriptum est *g*, *Ambulate in igne vestro, & in flamma, quam accendistis vobis.* Ideo illum ignem sapientem vocat Paulinus Nolanus Episcopus *h*, quia id tantum comburet in nobis, quod combustione dignum reperiet.

2. Vacantis operæ fuerit plures congerere rationes, proferre testes, coacervare Scripturas ad hanc veritatem astruendam. Ne tamen hæc etiam in parte eruditi lectoris curiositati deesse videar, sanctos Patres, & Doctores orthodoxos rem istam pertractantes in fine capitis indicabo. Sunt autem duo, quæ suppono, & Purgatorium esse, & vivorum suffragia defunctis ad expianda peccata in eo detentis prodesse. Quæ duo fidei documenta cum certissima sint, transcendendum nobis est per affectum miserationis ad eos, quibus juncti fuimus per humanitatem. Vadam, ait Bernardus *i*, in regionem istam, & videbo visionem hanc grandem, quomodo pius pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquit; non ad occisionem, sed ad purgationem; non ad iram, sed ad misericordiam; non ad destructionem, sed ad instructionem; ut jam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergo in adjutorio illis, interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari, si forte videat Dominus,

a 1 Cor. 3: 11. *b* D. Thomas 1^a 2^a q. 187. *c* Eckbert. serm. 9. ad v. Carbaros. *d* August. Ench. ad Laurent. c. 68.

e Apoc. 21: 27. *f* Orig. hom. 9. in Levitic. *g* Psal. 50: 11. *h* Paulin. epist. 9. ad Severum Sulpitium. *i* Bernard. serm. de quinque negotiis rationibus.

minus, & judicet, ut laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim, & hujusmodi officiis potest eorum poenitentia refecari, finire labor, destrui poena. Hac tanti viri exhortatione animati percurramus & nos regionem istam, videamus quid fiat in ea: qualiter benignus pater filios examinat, sicut examinatur argentum: ducit per ignem, & aquam, ut educat in refrigerium.

METRUM XXVII.

Vos avernales lacus stygisque squalentes specus,
Tænari tristes hiatus, ac inamœnum chaos,
Vos gementum dira regna, Diis obscuræ domus.
Semper orbis orbis, infames paludes tartari,
Ignis quæ fluctibus manes rotatis noxios:
Vos forores dissolutis concitæ serpentibus,
Quæ cruentis scæda poenis vindicatis crimina:
Vos furoris administris, quæis severa Numinis
Conterit reos manus sævisque castigat modis:
Si quid in surdo igne vocis prævalent viventium.
Huc adeste, & immitis pandite citò portas stygis.
Pandite horrendos sinus, liceatque moestificæ obstitum
Noctem diem cernere: liceat lacunas sulphure,
Fœtidaque pice plenat insuervi: ubi vindex
Pœna justè noxiorum sævit in præcordiis.

3. Cruciantur nimirum animæ Deo dilectæ, ita exigente justitia, inmanissimis tormentorum generibus, donec culpas eluant, quæ tamen veniales, culpæ tamen sunt. Noctem illarum tenebrosus turbo possidet, non computatur in diebus anni, nec numeratur in mensibus: obscurant eam tenebræ, & umbra mortis, occupat eam caligo, & involvitur amaritudine. Et quod omnium malorum supremum est, projectæ sunt interim à facie Dei, ab ejus felicissima visione ad tempus exclusæ. In momento indignationis, dicit Dominus per Isaiam *l.*, abscondi meam faciem parumper à te, paupercula, tempestate convulsa, absque ulla consolatione. Quale enim gaudium illis erit, qui lumen cæli non vident, qui dulcissima increata lucis claritate non fruuntur? Obsecro ut videam faciem Regis, dicebat ille sanctissimi patris degener filius *m.* Idem tot poenis eruciatæ clamant ab imis tormentorum sedibus, si fortè sit aliquis cujus viscera acerbissimis fratrum querelis moveantur, qui considerans contritionem filiæ populi sui audiat ploratum, & ululatum multum, atque infixis in limo profundi manum porrigat adjutricem.

& Job. 3: 5, 6. 1 Isai. 54: 8, 11. 2 Reg. 14: 3.

Penetrabo igitur omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino *n.* Descendam vivens in infernum, & videbo utrum clamor, qui venit ad me, verus sit, an non est ita, ut sciam. Videbo, inquam, utrum cuncta prospera sint erga fratres meos, ut possim enunciare quid agatur. Benè est. Jam veni, & vidi. Mirum quantum exclament afflictæ animæ omnium poenarum genetibus laceratæ. Misere mini mei, misere mini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Gravavit me iniquitas mea, & ab angustia mea avolare non possum. Sagittæ Domini intra me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. In me transierunt iræ ejus, & terrores ejus conturbaverunt me. Omnes fluctus suos induxit super me, afflictæ sum, & humiliatâ nimis, quoniam comprehenderunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem. Dæmones me calumniantur, & frendent adversum me: nunc impropere scelera, ad quæ falsis adulationibus pertraxerunt. Omnes amici mei dereliquerunt me, & non est auxilium mihi in me, nam & necessarii quoque mei recesserunt à me. Verumtamen non contradico sermonibus sancti, sed hæc mihi consolatio, ut affligens me dolore non pareat: nec enim inde exibo, donec solvam universum debitum usque ad novissimum quadrantem. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec judicet causam meam, & faciat judicium meum, educet me in lucem, videbo justitiam ejus. Sed vos qui vivitis, qui superstites estis, adjuvate infirmitatem nostram, onera nostra portate; non enim opus est sanis medico, sed malè habentibus. Non exurimur in ea flamma, in qua dives cruciatur: ignis noster refrigerium admittit, & aquis vestris extingui potest. Sic animæ in Purgatorio constitutæ & suam deplorant miseriam, & nostram implorant misericordiam, quatenus suffragiis nostris adjunctæ ad patriam supernæ beatitudinis quantocumque introducantur.

n Eccl. 24: 45.

§. I I.

Quot, & quibus operibus animabus defunctorum suffragari possimus. Officii pro defunctis quam antiqua sit institutio. Cur certi quidam dies sacris pro mortuis offerendis tribuantur.

Fffff 2

1. Sunt

1. **S**unt autem quatuor bonorum genera, quibus potest viventium charitas animabus in Purgatorio detentis suffragari. Nimirum elemosina, jejunia, & alia quaelibet opera pœnalia, orationes, & sacrosanctum Missæ sacrificium. De primis scriptum est, *o Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam iusti constitue.* De secundis refert Beda p. testimonium Angeli afferentis jejunia multos juvare, ut ante diem iudicii è probatorio igne eruantur. De tertiis dicit Scriptura; *q Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* De quarto tandem, quod præcipuum est, Jeremias sermone mystico testatur dicens, *Matribus suis dixerunt, ubi est triticum, & vinum? cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum.* Nec enim cibarium panem, aut vinum Mallicum, vel Falernum eos desiderasse putandum est, qui corrupto sensu, omnisque saporis discretione extinctâ conclamati jacebant in compitis sine ulla spe temporalis remedii. Alius panis, aliud vinum hic intelligitur, *s. Ecce dies veniunt, dicit Dominus per Amos, & mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem panis vivi, qui de cœlo descendit, sitim vini refrigerantis, quod fiat in viventibus fons saliens in vitam æternam. Quid enim est bonum ejus, & quid pulchrum ejus, ait Zacharias, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Hic est panis, qui descendens in castra Madianæ percussit tabernacula, atque subvertit. Hoc est vinum quod gratis offertur sitientibus, *x Venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum.* An quispiam audire cupit parvulum aliquem morientem, & dicentem, *Ubi est triticum, & vinum?* En virum illustrissimum, parvulum in oculis suis, magnum in oculis Domini Petrum Damiani Cardinalem y, qui à Desiderio Abbate Montis Casinalimenta post mortem his verbis exquirat: Quia infelix ego dum vivo præ desidæ torpore non semino, post obitum meum, si supervixeris, de manibus tuis alimoniam spero, quatenus oblationis tuæ Sacramentum animæ meæ vertatur in epulum, & orationis tuæ sacrificium mihi vitale sit alimentum. Et quid mirum si sacræ oblationis hostia refectio creditur esse defunctis, cum in alimenta vertatur aliquando etiam viventibus in periculis constitu-

tis? Hæc sanctus Pater, qui quod posterius dixit exemplo comprobatur cujusdam fossoris saxorum, qui per annum rudibus obrutus in angustiis viscibus excavati montis vivus permansit, quod ejus uxor quotidie fecerat hostiæ salutaris Sacramentum pro anima illius, quem mortuum putabat offerri z. Is revera nescit lassari, ait Chrysostomus, mori non potest; cui panis, cui vita Deus est.

2. Cùm igitur viventium precibus, & suffragiis fidelium defunctorum animæ à pœnis eruantur, alma mater Ecclesia primo quidem salubri consilio decrevit, ut in tremendis Divini libaminis oblationibus eorum semper memoria à Sacerdotibus recolatur, quod olim fieri solebat recitatis ex sacris Diptychis mortuorum nominibus, ut ex sacris Canonibus constat, præsertim ex Epistola Joannis Constantinopolitani ad Hormisdam Papam a, & ex Epistola ejusdem Hormisdæ; Sunt autem Diptychæ duplices tabulæ, quæ à Dionysio Areopagita * *requirituræ* vocantur, quarum una parte defunctorum, altera viventium nomina inscribantur. Deinde speciale officium pro defunctis instituit post reliquas Canonicas horas recitandum. Quamvis autem officii hujus, ut nunc est, institutio ignoretur, constat tamen consuetudinem orandi pro mortuis ab ipsis Apostolis emanasse, ut infra demonstrabo. Scio quidem Guilielmum Durandum officii, de quo loquimur, ordinationem referre ad Origenem, cujus rei testes allegant nonnulli Sanctos Iliodorum, & Augustinum: scio etiam Arnoldum Uvion ejusdem Auctorem facere Amalarius; sed quod mala fide testes proferant antiquiores, haud digni plenaria fide credendi sunt. Ipse Amalarius ait de Officio Defunctorum lib. 4. de Eccl. Officiis cap. 42. Quid verò in eo ordinando præstiterit docet in libro de ordine Antiphonarii cap. 65. 66. & 79. Eadem ex causa opinio exploditur Isidori de Insularis, qui ad Ambrosium, & Jacobi de Valentia, qui ad Augustinum originem referunt hujus officii. In hoc verò conveniunt omnes, antiquissimum illud esse, & à primis Ecclesiæ Patribus institutum. Apud Maronitas, Melchitas, Coptos, & alias nationes Orientales varia esse pro defunctis officia ex Apostolica traditione docet Abrahamus Ecchellenis in notis ad librum Hebedielu de Scriptoribus Chaldæis pag. 165. & sequen-

o Tob. 4: 18. p. Beda lib. 5. hist. c. 12. q. 2. Mat. 23: 46. r. Thren. 2: 12. s. Amos 8: 11. t. Zach. 9: 17. u. Judic. 7: 13. x. Isai. 55: 1. y. Petr. Damiani, lib. 2. Epist. 14.

z. Bern. serm. de obitu Umberti. 2. Hormisdæ, Ep. 28. * Dionys. cap. 5. Eccl. hier.

sequentibus. Primas dumtaxat Vesperas habet, tres Nocturnos, & Laudes. Nocturnos quædam Ecclesiæ certis diebus tres simul recitant, vocantque Agendam pro mortuis. Ab aliis alternatim, & seorsim dicuntur. Horis minoribus, & secundis Vesperis caret, tum quia humanæ vitæ occupationes tot precibus vacare Ecclesiasticos non sinunt: tum quia par erat ab aliis officiis solemnioribus hoc discrimine has preces discerni: tum denique quia Sanctorum memoria cum Deo regnantium, & purgantium electorum commemoratio non pari Psalmorum numero recolenda videbatur.

3. Solemus autem mortuorum memorias generaliter celebrare die post obitum tertia, septima, trigesima, & anniversaria: quæ institutio antiquissima est, ut ex Augustino, & aliis Patribus liquet. Ad has dies nonam, & quadragesimam adjunxit Simeon Metaphrastes in vita S. Theodosii Cœnobiarchæ, quas etiam commendant Eustrathius Presbyter tractatu de animis vita sanctorum apud Photium *b*, & Ambrosius in concione de obitu Theodosii. Sed frequentius habita ratio septimi, trigesimali, & anniversarii. Mysticas harum dierum rationes explicant eleganter Amalarius *c*, & Alcuinus *d*. Nam die tertia solemnior fieri solet defunctorum recordatio, ut pius Dominus quicquid peccarunt cogitatione, verbo, & opere erga Deum, proximum, & seipsum misericorditer indulgendo sanctæ Trinitatis similitudinem in eis restaurare dignetur. Sicut autem Christus tertia die resurgens ex mortuis vitam nostram in melius reparavit: ita nos tertia die pro spiritibus mortuorum sacrificia offerentes spem futuræ resurrectionis, & securam beatæ perennitatis gloriam profiteamur. Septimo quoque die, quo numero universitas designatur, universa eorum peccata desinemus. *Luctus mortui septem dies*, ait Scriptura *e*. Sic filii Jacob optimi patris celebrantes exequias impleverunt septem dies *f*. An quia septima dies Sabbatum est; Dominum Sabbati precamur, ut requiem æternam eis donet, & amodò jam dicat spiritus, ut requiescant à laboribus suis? An verò quia anima tribus potentiis, corpus quatuor elementis constat, idcirco septenarium numerum observamus, ut anima corpori reconcilietur, & maculæ ex carnis cogitatione contractæ deleantur? Ad celebrandam verò trigesimalam diem veteris Te-

stamenti suffulti sumus exemplo. Scriptum est enim *g*, quod omnis multitudo filiorum Israel videns occubuisse Aaron, flevit eum triginta diebus. Itemque cum mortuus esset Moyses, fleverunt eum triginta diebus in campestribus Moab *h*. Ternarius per denarium ductus tricenarius facit, per quod fides Trinitatis cum observatione præceptorum Decalogi significatur. Idèò trigesima dies in observatione est, ut animæ quiescentium delictorum obtineant remissionem, quæ transgrediendò decem mandata contra Patrem ex fragilitate, contra Filium ex ignorantia, contra Spiritum sanctum ex malitia commiserunt. Denique anniversariam diem reperimus, ne fortè criminibus nondum expiatis adhuc lustralibus flammis crucientur, nostrisque suffragiis indigeant, quæ quidem melius est, ut illis supersint, quàm ut per oblivionem, vel incuriam desint. Porro annua sacra pro defunctis etiam ab Ethnicis fieri consueverunt, ut Plato & Thucydides *i* testantur.

g Num. 20: 10. *h* Deuter. 34: 8. *i* Plato 4. de legib. Thucid. lib. 3.

S. I I I.

Quo ritu officium Defunctorum celebretur.

Dicitur quadam de mortis recordatione.

Qui mores Ethnicorum erga defunctos, deque variis sepeliendi modis. Qui mortui plangendi. Purgatorii acerbitas, & ad illud declinandum adhortatio.

1. **I**ncipit Officium istud absolute sine solemnium Divini adjutorii invocatione, sine sanctissimæ Trinitatis glorificatione, sine benedictionibus, aliisque ritibus lætitiæ indicantibus, quia, ut notat Amalarius *k*, ad imitationem agitur Officiorum, quæ aguntur in morte Domini. Accedit quod in lege veteri præceptum erat, ne in sacrificio pro peccatis oleum lætitiæ, & thus suavitatis admiscerentur; idèò etiam in his precum oblationibus pro peccatis mortuorum suavia lætitiæ Cantica reticemus, ne fiat quod scriptum est *l*, *Musica in luctu importuna narratio*. A primis Vesperis iachoatur, quæ quinque Psalmorum modulatione complentur, ut Dominus noster Jesus Christus efficacissimo quinque vulnerum lavacro quicquid illi peccarunt

Fffff 3

per

b Phorsius Cod. 178. *c* Amalar. lib. 3. cap. 44. *d* Alcuin. in fine libri de divin. officio. *e* Eccle. 22: 13. *f* Gen. 50: 10.

k Annal. lib. 3. c. 43. *l* Eccles. 22: 6.

per quinque corporis sensus abstergat. Sequitur Canticum B. Virginis, ut omnia eorum inquinamenta ipsa Deipara intercedente deleantur. Psalmum tandem 145. in fine recitamus, in quo exitum spiritus, & extincti corporis reversionem in terram suam commemoramus. Nocturnæ preces tribus Psalmis, totidemque lectionibus, & Responsorii constant, ut perceptâ veniâ peccatorum cordis, oris, & operis, Angelorum consortio, quorum triplex est Hierarchia, & ter triplex chorus aggregari mereantur. In Laudibus quinque Psalmos eodem quo in Vesperis mysterio decantamus. Tum per Canticum Zachariæ gratias agimus Domino, quia per viscera misericordiæ suæ visitavit sedentes in tenebris, & umbra mortis, & fecit redemptionem plebi suæ. Clauditur Laudes Psalmo 129. qui est unus Gradualium, quem in persona cupientium ad Deum ascendere modulatur, ut de profundis, extremisque malis liberati refrigerii sedem obtineant, quietis beatitudinem, luminis claritatem.

2. Generaliter verò cum pro defunctis oramus, finis nostri recordamur. Mortui sunt illi, moriemur & nos; illi heri, nos hodie. Sed præstat de hac re virum doctissimum Hugonem Eterianum *m* audire. Inspice, ait, sepulchra mortuorum, & videre non reuens triste, & nequam delectabile spectaculum. Vide pulverem dissolutionis, & nostri fastus calamitatem sustine. Replere odore nimio, intolerabili fœtore. Patere fortiter evaporantem de putredine halitum, & tabem expirantem. Suffer vermium acervos aspicere. Intuere diligentius, si libet; discerne, si tibi posse suppetit. Aptâ rursum os ossi, & si vis singulas eorum, quæ cernis soluta, partes partibus compone. Considera si vales, cujus hæc, cujus illa sit: quis iste, quis sit ille: utrum senex, an adolescens; felix, an pressus infortunis vixerit; longævus, an citò vita functus; gloriosus, an ignobilis. Hæc expende, circumspice, quanto mœrore, quantaque maceraberis tristitia? Quò inquires figura horum & decor abiit? Quam ingratus est iste aspectus! Quam displicens, quam sordidus, & quam tristifer! Heu hanc sortem! Carnes solutæ sunt, viscera dirupta, partes disgregatæ, plasmationis, & fabricæ decor exterminatus. Ad horum certè similitudinem quisque nostrum in loculis deponetur, computrescet, deinde eadem vermium ingluvie consumptus dissolvetur. Intelligis, ô homo, quid dicatur! Circumspice sepulchra, & vide ossa humanæ compaginis, re-

versusque ad te collacryma, ingemisce, suspira de profundo, animadvertite humanam calamitatem, qualem finem sortita sit animadvertito. Hæc, & alia lectu dignissima Hugo. Joannes autem Chrysostomus *n* ad hujus quoque, & æternæ mortis contemplationem Theodorum lapsum hortatur his verbis. Perge quæso ad sepulchrum, contem- plare pulverem, cineres, vermes, loci deformitatem, & amarè suspira. Atque utinam ad pulverem tantum hujusmodi damnâ pertingeret. Verùm interim à sepulcro, & his vermibus deduc oculos mentis ad vermem illum immortalem, ad ignem illum inextinguibilem, ad fremitum dentium, & extremam afflictionem. Hæc est nimirum mors secunda, quam timere debemus, mors animæ, mors æterna: mors enim corporis transitus est ad vitam, & ut rectè philosophatur Marcus Antoninus Imperator *o*, si quis eam per se intueatur, cogitationeque omnia ab ea separet, quæ ei inesse videntur, is jam nihil aliud existimabit esse mortem, quam opus naturæ. At verò puer est, qui naturæ aliquid opus formidat. Mortem itaque quotidie considerare, & contemplari, non autem timere debemus, ut ab ejus meditatione vitam sapienter instituere discamus. Sententia est enim sapientissimi inter Philosophos veram, solidamque Philosophiam in mortis contemplatione sitam esse.

n Chrysol. ad Theod. Lapsum par. an. 1. o M. Antonin. lib. 2. de seipso.

METRUM XXVIII.

Nil me amplius cultos legere libros juvat,
Et noctu ad tremulas exiguare faces.
Quicquid lycæum, porticus quicquid sonat
Despicio: & quicquid Castalis unda rigat.
Jam nolo patri squallidas chartas situ
Excitare, & vigili volvere scripta manu.
Docere parvus plura me potest cinis,
Dum pede nobilium contero membra ducum.
Cessate mœstis questibus funus sequi.
Si patris, aut nati stamina Parca secet.
Sincera amarum comprimat luctem fides,
Discite, quid mutis vocibus urna sonet.
Quod cernitis cadaver in me conditum
Nunc mage Rhipæo diriguisse gela.
Non semper est a vermibus sedis erit,
Nec rigidus semper contiget ossa lapis.
Sed surget arctæ vincta dissolvens necis,
Cum dabit extremum buccina in orbe sonum.
Non ergo mors est horrida, ut vulgus putat,
Nec miserum ut vivas est periisse semel.
Quid larva manus inquit viris metum?

Mors

m Hugo Eter, lib. de Animæ. regressu cap. 19.

Mors nihil horrificum, quod timeatur, habet.
 Hac post tumentis naufragum murmur maris
 Navibus oprata dat statione frui.
 Hac post laborem præmium iustus refert.
 Matris & gremio corpora sessa locat.
 Hac vita mors est, sic graves tradunt Sophi,
 Mors est in mundo vivere, vita mori.

3. Solemne fuit apud omnes nationes pietate uti erga defunctos. Quia verò & ipsis Ethnicis id unum erat iustitiæ genus, factum est ut parentalia, sacrificia, & funerali celebrata iusta dicerentur. Curatio autem funeris, inquit Augustinus p̄ conditio sepulturæ, pompa exequiarum magis vivorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum. Nec ideò tamen contemnenda, & abicienda sunt corpora defunctorum, maximeque iustorum, ac fidelium, quibus tanquam organis, & vasibus ad omnia bona opera sanctus usus est Spiritus. Unde & antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura provisã: ipsique eòdem viverent de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus filiis mandaverunt. Quare, ut scribit Julianus q̄ in Prognostico, quicquid impenditur humano corpori non est præsidium salutis, sed humanitatis officium secundùm affectum; quo nemo unquam carnem suam odio habuit. Valeat Stoicorum rigida nimis, & inhumana secta, quibus nihil interest humi-ne an sublimè putrescant. Neminem de supremo officio rogo, ait Seneca r̄, nulli reliquias meas commendo: ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit. Nimis barbaræ fuerunt gentes, quæ sepelire cadavera non probarunt. Huiusmodi fuere Persæ, quorum pessimum fuit mos feris dilaniandos projicere mortuos, si vera tradunt Agathias f̄, & Theophylactus Simocatta r̄. Legimus etiam, Parthorum sepulturam aut avium, aut canum laniatas olim fuisse *. Apud quosdam immanes populos narrat Solinus x̄ usu receptum esse, ut à propinquis consumantur defuncti, adeò quidem ut objurgentur regi frequenter, quod carnem suam faciant deteriorem. Ponti Euxini incolæ, teste Tertulliano ȳ, parentum cadavera convorant: qui non ita decesserint, ut escalites fuerint, maledicta mors est z̄. Modestinus I. C. proponit quemdam in suo testamento hæredem scripsisse sub tali conditione, si reliquias in mare abjecisset. De astuta quadam anu sic canit Horatius ā,

p̄ Aug. lib. de cura pro mortuis gerenda. q̄ Julian. lib. 1. Prognost. c. 18. r̄ Seneca Ep. 93. s̄ Agath. hist. l. 2. t̄ Simocatt. l. 3. Hist. c. 7. ū Justinus Hist. l. 41. x̄ Solinus c. 55. ȳ Tertull. l. 1. adv. Marcionem. z̄ L. quidam ff. de conditionibus institut. ā Horat. lib. 2. Sat. 5.

Me dicam sene quid factum est: Aus improba Thebis
 Ex testamento sic est elata cadaver
 Unctum oleo largo nudis humeris tulit hares,
 Scilicet elabi si posset mortua: credo
 Quod nimium instruxerat viventi.

Nota est apud Satyricum b̄ illius barbaries, qui morti proximus post conditum testamentum; Omnes, inquit, qui legata habent, hac conditione percipient, si corpus meum in partes conciderint, & astante populo comederint. Silius Italicus c̄ tumuli, & cinerum discordes sententias apud diversas Gentes his verbis describit:

Tellure, ut perhibent, is mos antiquus Ibera,
 Exanima obscurus consumit corpora vultur.
 Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est
 Hircanis adhibere canes. Egyptia tellus
 Claudis odorato post funus stantia saxo
 Corpora, & a mensis exanguem haud separat
 umbram.

Exhausto instruit Pontus vacuare cerebro
 Ora virum, & longum myrrhata reponit in avum.
 Quid qui reclusa nudos Garumantes arcua
 Infodimus? quid qui saxo sepelire profundo
 Exanimis mandant Lybicus Nasamones in oris?
 At Celta vacui capitis circumdare gaudent
 Ossâ (nefas) auro, & mensis ea pocula servant.
 Cecropida ob patriam Mavortis sorte peremptos
 Decevere simul communibus urere flammis.
 A gente in Scythica suffixa cadavera trunco
 Lenta dies sepelit patri liquentia tabo.

Differunt de eadem re Cicero in Tusculanis d̄, & Sextus Empyricus in Pyrrhoniis. ē

4. Irrident etiam mortuorum curam, qui nihil hominis putant superesse post mortem, cuiusmodi fuere Lucretius f̄, & Lucianus ḡ. At hi rationem in vinculis habentes brutalem animum humano exuvio calabant. Non sic Romani, & aliae nationes politioribus disciplinis excoltæ: magno enim apparatu suorum funera curabant, & corpora ingesta humo sepelientes terræ tanquam magnæ parenti commendabant. Sed ne plura hic de funeribus dicam, viri docti præoccuparunt, quorum nomina in fine capitis recitabo. Præstat autem hoc loco illud Christianis ingerere, quod Charonda, apud Stobæum h̄ monet, defunctorum unumquemque non lacrymis, aut miseratione; sed bona recordatione, & fructuum quotannis nascentium oblatione honorandos esse. Aliqui enim postquam inutilibus

b̄ Petr. Arb. prop̄ finem c̄ Silius lib. 15. d̄ Cicero. 1. Tuscul. ē Sext. Emp. l. 3. Pyrrh. hypot. cap. 24. f̄ Lucret. lib. 3. ḡ Lucianus de luctu. h̄ Stobæus serm. 42.

bus lacrymis, fœmineoque ululatu suorum transitum deplorarunt, nullam amplius de anima defuncti curam habent, ac si nulla spes esset futuræ resurrectionis. Chrysostomus *i* luctum prohibens pro mortuis: Dic mihi, ait, quid sibi volunt claræ lampades? An non eos tanquam Athletas deducimus? Quid autem Hymni? An non Deum glorificamus, & gratias agimus quod eum qui excessit jam coronavit? Quod à laboribus liberaverit? Quod ejecto metu eum apud se habeat? Non idè sunt Hymni? Non idè Psalmodiæ? Hæc omnia sunt latantium. Idem alibi *k*. Luge, inquit, infideles, luge eos, qui nihil ab infidelibus differunt, qui sine illuminatione, sine signaculo decesserunt. Hi lamentis digni sunt, hi lacrymis, hos lugeamus. Verè enim moritur apud Deum, ut scribit sanctus Gaudentius *l*, qui ab Apostolica fidei veritate discedit; cui Christus Deus, qui vita est, amputatur. Quod si manentes ab oculis lacrymas cohibere non potes, ostendet tibi Ambrosius *m* quem mortuum debeas flere. Habet unusquisque quos fleat mortuos suos, ait ille. Mortui sumus quando peccamus, quando implemur ossibus mortuorum. Cui consonans Absalon Abbas *n*, Plange, inquit, mortuum tuum. Mortuus tuus spiritus tunc est multitudine scelerum tanquam plagis multis extinctus. Non est hic mortuus quatuordecim dies in sepulchro, qui à memoria tua jam exciderit: non est mortuus in porta, qui jam evanescat ab oculis tuis: sed est in domo tua, præ oculis tuis, ut semper eum videas, & horrore concutiaris, & indefinenter plangas mortuum, cui viventi placere noluit. Non dico omnem luctum, omnem miserationis affectum excludendum esse in amissione suorum, cum sanctos Patres in morte amicorum, & consanguineorum passim flevisse legamus: sed hoc moneo, juvenes potius esse defunctos orationibus, aliisque suffragiis, quam planctu, & lamentis, quæ nihil eis profunt. Lex charitatis ad hoc nos urget, & obstringit. Charitas enim fortis esse dicitur *o* sicut mors, dura sicut infernus æmulatio, quia, ut Philo *p* Carpathiorum Episcopus scribit, ita obfirmatur animus charitate Dei, ac proximi, ut vel ad inferos preces penetrare faciat Divina gratia nixus ad sublevandas animas purgandorum.

5. *Quæcumque vultis, ut faciant vobis homines,*

i Chrys. Hom. 4. in ep. ad Hebr. *k* Idem Hom. 3. ad Philipp. *l* Gaud. in Præs. ad Benevolam. *m* Ambros. in Luc. cap. 6. *n* Absal. Abb. Ser. 31. qui est 3. in Annunc. *o* Cant. 8. 6. *p* ac ibid. Philo in comm.

q vos facite illis: hæc est enim lex, & Propheta, dicit Dominus Salvator noster *q*. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis *r*. Quare si quis defunctis misericordiam præstiterit, & ipse misericordiam consequetur, cum ad eluendas culpas in ardentissima purgatorii fornace cruciabitur. Quis enim tam perfectus, tam sanctus est, ut, cum exierit à vita, nihil illi debeat igni: qui gloriari possit, & dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato? Pauci quidem sunt electi, sed inter illos paucissimi sunt ita perfecti, ut omnem purgationem impleverint in hac vita. Consigno hoc caput aurea parænesi dulcissimi Patris Bernardi *s*. De reliquo, fratres, dico vobis, si hæc assidue cogitaretis, non tam facilè in vanis cogitationibus, & otiosis sermonibus, in jocis, & scurrilicibus laboreremini, quia in his multum perditis, & de vita vestra, & de tempore vestro. Volat irrevocabile tempus, & tempore creditis vos cavere poenam istam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur usque ad novissimum quadrantem. Scio ego, quia durum est homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere, sed durius, & multò durius erit futuras illas molestias tolerare. Et ne fortè parvipendens Purgatorii acerbiter non ad te pertinere dicas, quamdiu moreris in illo, dummodò tandem pervenias ad vitam æternam, sugillat te Sanctus Cæsarius *t* Arelatensis Episcopus his verbis. Nemo hoc dicat, fratres charissimi, quia ille ipse Purgatorius ignis durior erit, quàm quicquid potest poenarum in hoc seculo aut cogitari, aut videri, aut sentiri. Sugillat te quoque Petrus *u* Archidiaconus Bathoniensis dicens: O insensati, & cæci, *Si laverit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu iudicii, & spiritu ardoris.* Nonnè consultius vobis erat brevi contritione cordis, & confessione purgari, quàm illud incendium expectare, quod licet non sit æternum, omnes dolores vitæ præsentis, omnes angustias nostræ sensibilitatis excedit?

6. Heu quantò melius nunc arderemus delectabili amore, quàm tunc illo penali ardore? Quantò suavius nunc igne amoris purgaremur,

ut
q Matth. 7. 12. *r* Luc. 6. 38. *s* Bernard. serm. de obitu Umberti. *t* Casar. Hom. 8. *u* Petrus Blesensis. Sermon. de Transfig.

mundanum in nobis non relinqueretur quod mundi incendio obnoxium inveniretur: sed sicut tribus pueris ventus toris fieret nobis fornax Babylonis. Alloquitur x si tepidè, & negligenter viventes ligna, fœnum, stipulam nobis coaccervamus, & tantam ignium materiam hinc nobiscum portamus, cum examen illius Purgatorii tales intraverimus, quid poterit de nobis habitare cum igne devorante? aut quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis? quando omne etiam vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. Scio quidem, quia si satis arderem igne charitatis, de me quoque diceretur, *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* y. Nunc autem si purgari non mereor igne dilectionis; utinam vel purgaretur alicujus igne passionis, fieretque mihi, quod Propheta imprecatur sibi z; *Ingradiatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, ut requiescam in die tribulationis.* Utinam qui cepit ipse me conterat, solvat manum suam, & succidat me: & hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. Verumtamen nosti Domine infirmitatem figmenti mei. Quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam, aut quis finis meus, ut patienter agam? *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est a.* Hoc igitur peto Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Respice infirmitatem meam, & secundum illam moderare manum tuam, ne vehementia verberis frangat patientiam cordis; sed magis tribulatio patientiam operetur, patientia probationem, probatio spem: Væ autem mihi, si quotidie uror, & non emundor, ut & de me dici contingat b; Multo labore sudatum est, & non exivit de anima rubigo ejus neque per ignem. Væ mihi, si mundari in illa dumtaxat die potero, quando sedebit ipse Judex quasi ignis confans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi, Audiam itaque Apostolum dicentem c, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; & dum tempus habemus, operemur bonum.* Audiam consilium Sapientis, qui ait d, *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.*

x Guerr. Abb. Ser. 1. in Quadrage. y Luc. 7: 47.
z Habac. 3: 16. a Job. 6: 9. b Ezech. 24: 12.
c 2 Cor. 6: 2. Galat. 6: 10. d Eccl. 9: 10.

S. IV.

Indicantur Auctores, qui fidem Purgatorii, ritumque orandi pro defunctis astruunt. Addita quaedam ex profanis scriptoribus de funerandi ratione.

1. **N**on sine nutu, & providentia Dei factum arbitror, ut receptos Ecclesiæ ritus ab ipsa Apostolorum ætate ad hæc nostra tempora viri doctissimi divinitus excitati, & scriptis illustraverint, & moribus approbaverint. Ræviderat enim Spiritus sanctus in extrema hac delirantis mundi senectâ improbos Hæresiarchas futuros, qui suggerente inimico universam Ecclesiasticam Hierarchiam convellere, & perturbare conarentur. Quod cum in cæteris bonis operibus, tum maxime in iis quæ pro defunctis fieri solent abrogandis, irritò licet conatu, vehementius tentarunt. Ut fidem igitur liberem, quam nuper dedi, eademque opera hujus sacri ritus antiquitatem ostendam; viros præstantes, veteresque Scriptores (servata quantum fieri poterit temporum serie) breviter indicabo, qui fidem Purgatorii, ritumque orandi pro defunctis semper in Ecclesia viguisse disertis verbis testantur e.

2. Cæ-

c Primum locum tribuo liturgiis Sanctorum Jacobi majoris, & minoris, Matthæi, & Marci, in quibus speciales sunt orationes pro spiritibus quiescentium. Sequitur Dionysius Areopagita, qui in libro de Ecclesiastica Hierarchia, postquam disserat de actibus Hierarchicis, qui sunt circa ingredientiæ Ecclesiæ, & circa procedentes, ac proficientes in ea; de his actibus deinde tractat, qui circa ex ea egredientes, videlicet circa defunctos, exercentur. Hunc comitantur plures ejusdem spiritus, nimirum Clemens Romanus episcopus. 2. & lib. 8. constit. Apostolicæ cum Notis Francisci Turriani, Hermes in Pistore visione 3. Tertullianus lib. de testim. anima cap. 4. de corona militis cap. 3. de exhort. Castitatis cap. 11. de Monogamia cap. 10. de Resurr. c. 43. cum Notis Jacobi Pamelii. Origenes Hom. 4. in Job. Hom. 14. in Levit. & 6. in Exod. Cyprianus lib. 1. ep. 9. Zeno Veronen. Serm. de Resurr. Athanasius ep. ad solitariam vitam agentes, & q. 34. ad Antiochum. Lactantius Firmianus l. 7. cap. 21. Cyrillus Hierosolymit. catech. 5. mystagogica. Euseb. Cesariensis. lib. de vita Constantini c. 60. & 71. Ephrem Syrus par. en. 49. & in testamento cum scholiis Gerardi Vossii. Nazianzenus orat. 10. in obitu Casarii strati. Epiphanius lib. 3. har. 75. &

Ggggg 11

2. Cæterum de funeribus, variisque ritibus sepeliendi cadavera multa quoque ex profanis Scriptoribus colligi possunt, è quibus constat etiam ab infidelibus magnam curam adhibitam, ut iusta mortuis persolverentur. Extant de hac re in Codicibus civilium legum insignes tituli de Religiof. & sumptibus funerum, de mortuo inferen-

do, de sepulcro violato, de cadaveribus punitorum, de debita impensa in exequiis, & ne defuncti, seu funera eorum injuriuntur à creditoribus. Copiose etiam differunt de ritibus antiquorum funerum Scriptores qui sequuntur f, & alii plures, quos isti citant, & commendant.

Sat

in fine ejusdem libri. Basilius Magnus in cap. 6. & 9. Isaia. Ambrosius orat. de obitu Satyri item de obitu Valentiniiani. & Theodoti. & lib. 2. ep. 8. de obitu sororis. Gregorius Nyssenus orat. de dormientibus. Hieron ep. ad Pammachium de obitu Paulina. l. 1. adv. Pelagianos in cap. 1. Ezechiel. & in fine Commett. in Isaia. Chrysostomus hom. 32. & 35. in Matth. hom. 61. in Joann. hom. 41. in 1. ad Cor. hom. 21. in Act. Apost. Serm. 3. in Ep. ad Philipp. hom. 69. & 70. ad populum Antiochenum. Homilia vero 35. in Mattheum ostendit multas rationibus suavis esse corpora mortuorum putrescere, & dissolvi, quam integra conservari. Augustinus integro lib. de cura pro mortuis gerenda. lib. 9. conf. c. alt. ep. 64. ad Avel. Ser. 31. & 33. de verbis Apost. Ser. 41. de sanctis. Auctor Ser. ad fratres in Erema Ser. 44. Paulinus ep. ad Alitibium. & Pammachium, itemque ep. 5. ad Delphinum, & paraphr. in Psalm. 1. Theodoretus lib. 5. hist. c. 26. Socrates lib. 7. c. 25. Eusebius Emissenus, seu verius Eucherius Lugdunensis hom. 3. de Epiph. Victor Uticen. lib. 2. de persecut. Vandal. Casarius Arelaten. hom. 8. Boethius de consol. Philos. lib. 1. pr. 4. Jo. Climacus gr. 4. Gregorius Magnus in 1. Reg. l. 2. c. 3. in 1. Ps. pavit. v. 1. & passim l. 4. Dialog. Joannes Moschus in prato spir. c. 24. & 44. Isidorus l. 1. de Eccl. officiis. c. 18. Eligius Noviomon. hom. 8. Bonifac. Archiep. Moguntin. & Martyr. ep. 35. 36. 70. 84. 90. & alibi. Julianus l. 1. Prognosticon c. 18. usque ad finem libri, & varisuml. 1. jere per totam. Anastasius Nicaenus qu. 20. in scripturam. Beda in Ps. 37. & l. 5. hist. c. 13. Joannes Damascenus orat. de iis, qui in fide dormierunt. Germanus Constantinopol. in Theoria rerum Ecclesiasticarum. Analarus supra citat. Haymo Halberstatisen. l. 2. in Isaia. c. 28. & in c. 3. 1. ad Cor. Metaphrast. in vitiis Pachomii. & Theodoti Abb. & Eusebia hospita. Rabanus l. 2. de inst. Cleric. c. 44. Regino Abbas l. de disciplina Ecclesiast. c. 190. Luitprandus Ticinen. l. 4. hist. c. 7. Petrus Dam. ser. 2. de S. Andrea, & serm. de S. Nic. Theophylactus inc. 12. Luca. Anselmus Cantuar. seu verius Petrus Babyon. in c. 12. Matth. Idem Anselmus, vel sub ejus nomine Hervaeus in c. 3. 1. ad Cor. Occumonus item in c. 3. 1. ad Cor. Sigibertus in Chronicis an. 998. Hugo Vitorin. l. 2. de Sacram. p. 16. c. 4. & 6. Petrus Venetab. passim l. 1. de miraculis. Rupertus Abbas in Genes. l. 3. cap. 32. Bernardus

Serm. 66. in Cant. serm. de quinque Regionibus, & in obitu Umberti. Petrus Cellensis l. de Panibus c. 7. Eckbertus Monachus Schonaugra serm. 9. adv. Catharos. Arnoldus Abbas Bonavallis tract. de 7. verbis Domini in cruce c. 2. Nicephorus Gregorius l. 3. & 9. hist. Thomas Waldensis tom. 3. tit. 11. c. 107. Bernardus contra Waldenses c. 9. 10. 11. Ermgardus contra eosdem c. 7. Item Petrus Pischdorfus c. 21. & 22. Scholastici omnes cum Magistro 4. Sent. d. 44. & 45. & cum D. Thoma in sup. 3. p. qu. 70. & 71. Bonaventura in Breviloquio p. 7. c. 2. & tom. 3. Serm. de animabus. Gemadius Patriarcha Constantinopol. expol. pro Conc. Florent. c. 3. Recentiores omitto. Sunt autem inter hos praecipui Baronius an. Christi 34. num. 310. & seqq. item an. 226. nu. 12. Antonius Demochares diffuse ex Conciliis, & Patribus, aliisque Doctoribus l. 4. de Missa c. 18. Bellarminus tom. 2. contrav. libris duobus de Purgatorio. Suarez in 3. p. tom. 4. disp. 45. cum trib. sequentibus. Alphonsus à Castro v. Purgatorium. Eckius c. 25. Enchiridi. Antonius Augustinus in epit. Juris Vet. Pontificii l. 27. Martinus Perez 3. p. traditionum. Jodocus Coccius tomo 2. sui praclarissimi thesauri l. 7. art. 5. ubi citat plures Rabbines qui Purgatorium admittunt: & lib. 10. art. 6. Theodorus Politanus in suis tract. de igne Purgatorii, de suffragiis defunctorum, de sepulcris, & anniversariis. Petrus Tyrus de multiplicibus suffragiis defunctor. Jac. Gretzerus de receptaculis subterraneis animarum & de funere Christiano. Jacobus Gualterus in Tab. Chronographica verit. 10. Joseph. Vicecomes lib. quart. de antiquis ritibus Missae. Henricus Spondanus in doctissimo, & eruditissimo opere de sacris Caemiteriis. Curam autem mortuorum, & ad fidem Purgatorii à primo parente Adamo usque ad nostra tempora semper viguisse ostendit in Notis Chronicis Genebrardus.

f Joannes Rosinus lib. 5. Rom. antiquit. c. ult. additis Thomae Dempsteri Paralipomenis. Lel. Bistiola Horrar. sub l. 5. c. 1. Lilius Giraldus lib. de vario sepeliendi ritu. Joannes Kuchmannus Lubecensis, qui Romanorum funerum Solemnitates libris tribus de jure maritiam. Spondanus in laudato opere de sacris caemeteriis. Philippus Cluverius l. 1. Germania antiqua c. 53. Alexander ab Alex. dierum Genialium l. 3. c. 2. & 7. Calius Rhodiginus l. 17. antiq. lect. c. 19. c. 2. & 7.

20. &

Sat dictum de hac re. Illud autem in fine mone-
ndum, ut, cum oramus pro mortuis, mortis
quoque nostræ recordemur, sicut scriptum est:
Memorare novissima tua, & in aeternum non pecca-
bis.

20. & 21. Justus Lipsius l. 1. elect. c. 6. ad l. 4. An-
nal. Hieronymus Magnus var. lect. l. 1. c. 13. & l. 2.
c. 17. usque ad 22. Ludovicus Cartio l. 1. emend.
c. 6. Wolfangus Lazius comment. Reip. Rom. l. 3.
c. ult. Cicero 2. de legibus. Onofander in strategico
c. 36. cum notis Joannis Chokeri Leodiensis. Janus
Durantius Castellus l. 1. var. c. 4. & l. 2. c. 3. Lu-
cianus in dialogis mortuorum. Herodotus l. 4. hist.
Diadotus Siculus l. 2. c. 2. & 5. & l. 4. c. 1. Caesar.
l. 5. de bello Gallico. Eudi funebres quando, & cui
primum instituti fuerint narrat Pausanias in Arca-
diis. Idem in Messenicis edictum olim ait, ut veste
pulla prosequerentur omnes funera optinatum. Pa-
ces, & candelas adhibitas in funeribus constat ex
Tacito 2. Ann. Persio sat. 3. Seneca de Tranquillit.
amicis 11. Suetonio in Augusto, & ex D. Hierony-
mo ad Vigilantium. Cantu prosequi mortuos ad se-
pulturam plurimarum gentium instituta sanxerunt,
teste Macrobio in somn. Scip. lib. 2. cap. 3. Graeci de-
functos osculabantur, quam consuetudinem commemo-
rat Euripides in Alceste: sed inhibitu postea
fuit hujusmodi osculum à Conciliis Antissiodorensi,
& Matisconensi. Pompas funebres Italico idiomate
describit Franciscus Petucius. Quadam item de fu-
neribus tractat Natalis Comes in Mythologis l. 1.
c. 13. Dabantur olim convivia in mortuorum memo-
riam, de quibus Synesius ep. 3. Chrysostomus hom.
28. in c. 1. prime ad Corinth. quorum etiam abusum
damnant Zeno Veronensis in Psalm. 49. & Gauden-
tius tract. 4. de Paschate Petrus Gregorius Tholosa-
nus l. 1. de immortal. animor. ex corporum mortuo-
rum cura argumentum desumit ad probandum animarum
immortalitatem. Ob hanc enim insitus est unicuique
à natura amor. & cura proprii corporis etiam post
mortem. Olympias Alexandri mater, cum Cassandri
jussu interficeretur, capillis, & veste se haereticom-
posuit, ne quid posset in cadavere inhonestum videri.
Narrat id ex Trogo Pompejo Justinus in fine l. 15. Si-
milia refert de Polyxena Euripides in Hecuba v. 68.
& Ovidius 13. metam. v. 477. De Lucretia idem
Ovidius 2. Fast. v. 83. de Cornelia Vestali Plinius
l. 4. ep. 11. De Glauca Statius 2. Sylvar. v. 154.
De Cleopatra Florus l. 4. De Casare Suetonius. De
Virginibus Milestis Aulus Gellius noctium Attic. l. 15.
c. 19.

CAPUT XIV.

De Psalmis Pœnitentialibus, &
Litanis.

§. I.

Pœnitentia utilitas, & effectus. De Psalmis
Pœnitentialibus, eorumque usu. Laudes
pœnitentiae. Cur septem tantum sint Psalmi
Pœnitentiales.

1. **C**Adit infelix homo in foveam peccati mor-
talis, & non adjiciet ut resurgat: infigi-
tur in limo profundi, & non est substantia: in-
fernalis tyranni servituti se subjicit, & non est
qui redimat: bibit sicut aquam iniquitatem ama-
rissimum virus, & nemo est qui alexipharma-
cum misceat: à planta pedis usque ad verticem
non est in eo sanitas; vulnus, & livor, & plaga
tumens, & non est qui circumliget, aut curet
medicamine, aut foveat oleo: nisi respiciens
desuper Pater misericordiarum, & Deus totius
consolationis manum porrigat adjutricem. Lapsus
enim ex voluntate homo, inquit Bernardus
a, non æquè ex voluntate resurgere jam li-
berum habet, quia etsi datum fuit voluntati posse
stare ne caderet, non tamen resurgere si cade-
ret. Non enim tam facile quis valet exire de fo-
vea, quam facile in eam labi. Cecidit sola vo-
luntate homo in foveam peccati, sed non ex vo-
luntate sufficit & posse resurgere. An igitur pec-
cantis casus irreparabilis erit? An infirmitas hæc
prorsus ad mortem, ut qui fecerit iniquitatem
omnino moriatur in ipsa? Absit. Sed quid dicit
Scriptura? *b Perditio tua ex te Israel, tantum-
modo in me auxilium tuum.* Benignus itaque Deus
excitante gratia præventum peccatorem è sterco-
re sublevat, erigit à ruina, liberat à servitute,
sanat à vulnere, è morte transfert ad vitam.
Pulsat enim ad cor ejus per fidem, expergefatum
concutit per timorem, concussum suffulcit
spei adminiculo ne labatur, suffultum elevat
ad altiora per actum dilectionis, elevatum deni-
que perfectissimè sanat per contritionem, &
pœnitentiam. Appositè ad hanc rem Fulgen-
tius Ruspensis Episcopus c: Prævenit gratia Dei
impium, ut fiat justus: subsequitur justum, ne
fiat

Ggggg 2

a Bern. de grat. & lib. arbitrio. b Osee 13: 9.
c Fulg. l. 1. ad Monimum.

fiat impius. Prævenit cæcum, ut lumen, quod non invenit, donet; subsequitur videntem, ut lumen, quod contulit, servet. Prævenit elisum, ut surgat: subsequitur elevatum, ne cadat. Cecidit miserando lapsu Regius Propheta, vir secundum cor Dei, vixque protulerat salu- tiferum illud *Peccavi*, cum subito in sermone Domini dictum est illi, *Dominus transulit peccatum tuum à te*. Quem pœnitet peccasse penè est innocens, ait Tragicus *d*. Ceciderunt & alii, & computruerunt in sœcibus suis, carebant videlicet veræ pœnitentiæ præsidio, ac sinceræ contritionis adiutorio. Saul quoque re- prehensus à Propheta; *Peccavi dixit*, sicut & David: nec tamen in pari voce par subsequuta est peccati remissio. Cum ergo in confessione pec- cati, inquit Fulgentius *e*, utriusque una vox fuerit, cur non una est utrique concessa remis- sio? nisi quia in similitudine confessionis vide- bat Deus dissimilitudinem voluntatis: nec so- num sermonis attendit, sed intentionem cordis in utroque discrevit.

3. Sanctus ergo Spiritus arguens mundum de peccato, sponsæ suæ Ecclesiæ inspiravit, ut præter pensum Horarum Canonicarum, Psal- mos etiam Pœnitentiales, quos David pœni- tentiæ Præsul (ut eum vocat sanctus Laurentius *f* Novariensis Episcopus) composuit, cer- tis diebus pro venia delictorum recitaret. Usum autem horum Psalmorum antiquissimum esse vel ex eo colligere licet, quod de sanctissimo Patre Augustino narrat Possidius. *g* Nam cum Hippo- ne à Vandalis obsessa morti proximus decumbe- ret, hos tanquam ab omni jam antiquitate sus- ceptos in tabella describi, sibi que ob oculos in pariete affigi iussit, ut assidua eorum lectio- ne se ad extremam cum diabolo luctam præpara- ret. Horum quoque crebra fit mentio in anti- quo pœnitentiali Romano. Extant autem præ- clara sanctorum Patrum commentaria, quibus hosce Psalmos exposuerunt, duorum præsertim summorum Pontificum Gregorii Primi, & In- nocentii Tertii. Eisdem per modum orationis explanat Gerson tomo tertio. Eos quoque Chri- stophorus Varkevicius eleganti Paraphrasi illu- stravit. In eisdem scripsit Meditationes Ludo- vicus Vives, non pietati, sed ostentando inge- nio. Quo ritu olim dicerentur docet in libro de Canonum observantia Radulphus Tungren-

d Seneca in *Agamemno* v. 243. *e* Ful. l. 2. de remiss. peccatorum. *f* Laurent. Novar. hom. 1. *g* Possid. in vita Aug.

sis *h*. Hodie ex institutione Pii Quinti sextis fe- riis Quadragesimæ recitantur. At Religiosi va- rias consuetudines habent, quas laudabiliter ob- servant. In Ordine nostro Cisterciensi statutum fuit à primariis Abbatibus ad generalia comitia congregatis anno ab orbe redempto 1194. ut omni sexta feria per totum annum processiona- liter post Primam dicerentur, cujus institutio- nis occasio tametsi fuerit terræ sanctæ, belli- que sacri subsidium; non tamen debent ob pœ- nitentiæ meritum omitti: & sic revera ab uni- verso Ordine observatur. Cum patent igitur januæ veniales, ut eleganter scribit Victor Car- tennensis Episcopus, cum fluctuantibus, & cri- minum tempestate jactatis pœnitentiæ portus offertur, cum mentibus promittitur cura lan- guentibus, & sauciatis vitalem pollicetur ultro- neus artifex medicinam, cum misericordia ha- betur in promptu, antequam iustitia capulo te- nus extrahat pugionem, sumamus arma pœni- tentiæ, & iudicis rigorem satisfactionis officio mulceamus.

3. Notat autem Nemefius *k* Episcopus, & Philosophus æquè convenire homini pœnitenti- am, ac risibilitatem. Solus homo, inquit, in- ter omnia, quæ ratione sunt prædita, habet hoc præcipuum, ut ejus erratum pœnitentiæ condonetur. Nam Angeli cum nullam habeant cau- sam necessariam, quæ ad peccandum impellat, sed natura omni affectione corporis, & inopia, & voluptate vacent, merito per pœnitentiam ad veniam aspirare non possunt. At homo non modò rationis particeps, sed etiam animal est, & necessarij usus vitæ animalis, motusque turbi- di persæpè rationem attentant, & labefaciunt. Quare cum ad sanitatem rediit, & declinatæ turbulentis animi motionibus virtutem comple- titur, iusta illi misericordia, id est venia tribui- tur. Atque ut proprium ejus naturæ ridere est, nam & soli adest, & omni & semper: ita in rebus non naturæ lege, sed Dei erga nos bene- ficio constitutis, proprium est hominis, ut per pœnitentiam ab omni culpa liberetur. Nam soli homini, & omni, & semper quoad in terris vivit hoc datum est. Deus enim, ut docet Tertul- lianus *l* post tot, ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auspicata, post condemnatum hominem cum seculi do- te, post ejectum paradiso, mortique subje- ctum, cum rursus ad suam misericordiam ma-
tura-

h Radulph. prop. 21. *i* Victor Carten. l. de pœnit. c. 32. *k* Nemef. l. de nat. hominis c. 1. *l* Tertul. de pœnit. c. 20.

turavisset, jam inde in sempiterno poenitentiam dedicavit, rescissa sententia irarum pristinarum, ignoscere pactus homini, & imagini suæ. Ut verò per poenitentiam peccatorum remissionem obtineamus, talem eam oportet esse, qualem describit Abbas Cellensis *m* ut sit videlicet in ore veritas, in corde charitas, in conscientia puritas, humilitas in habitu, abstinentia in victu, modestia in excessu, castitas in aspectu, in omni loco oratio, in omni tempore meditatio, in toto corpore afflictio, in tota anima devotio, desiderium ante Deum, lacrymæ die ac nocte ad Deum. Sic justificatur anima à sordibus pristinis lota flumine lacrymarum, deterisa veritatis linteo, accensa charitate, purgata confessione, ornata humilitate, cincta abstinentia, circumcincta modestia, castitate glorificata, oratione elevata, meditatione suffulta, devotione inuncta, desiderio in cœlis recepta. O felix humilitas poenitentium, exclamat Guericus Igniacensis *n*, o beata spes confidentium! Quam potens es apud Omnipotentem, quam facile vincis invincibilem, quam citò tremendum judicem convertis in piissimum Patrem! Evangelicæ prædicationis gratia à poenitentia sumpsit exordium: o Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum. Initium etenim revertendi ad Deum est poenitentia, Hæc porta veniæ, spes indulgentiæ, gratiarum custos, misericordiæ conciliatrix, terror dæmonum, lætitia Angelorum, gaudium universæ terræ. Hæc Deum placat, serenat conscientiam, referat cœlum, de terris elevat, & in excelsum attollit. Magna revera hominibus fit poenitentia, ait vir venerabilis Ephrem *p*, quia tanquam videntes Deum per ipsam reconciliamur. Magna super terram est poenitentia, quoniam scala animabus fit eò ascendendi, unde per peccatum deturbatæ sunt. Lætantur cœli, & qui illic Angeli de poenitentia hominis, ut loquitur Tertullianus *q*. Heus tu peccator bono animo sis: vides ubi de tuo reditu gaudeatur. Opera autem poenitentia hæc sunt sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obsecurare, animum meroribus dejicere, jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire noctes diesque ad Dominum Deum, presbyteris advolvi, & charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis sua injungere.

m Pet. Cellen. l. de panib. c. 3. *n* Gueric. ser. 2. in
 Quadr. o Matth. 3. 2. *p* Ephrem. tr. de pa-
 nis. *q* Tertull. l. de panis.

METRUM XXIX.

Utilis placet dolor,
 Quem spes jururæ mitigat solutis.
 Nec labor premis gravis,
 Si mereor illo gloria coronam.
 Terra quid mihi, aut polus
 Offert colendum? vilibus probrosas
 Gentibus relinquo opes,
 Satis beatus pauperum lacerna.
 Quid juvat domum auream,
 Jovemque clausum possidere in arca?
 Lautæ quid refert gula,
 Et empta magnis sumptibus voluptas?
 Quid metalla, quid Gœa
 Merces beata, Mexicique Gaza?
 Nam nec aurea domus,
 Quæ lavigatis emicent columinis,
 Nec clientium favor,
 Aut sceptrum eois fulgidum lapillis,
 Nec minax tuba syragor,
 Mortis rapacis impetum coërcent.
 Ite nobili luto
 Tago, vel Hermi, splendidiisque canis.
 Ite divitum manus,
 Lesbique duras submovete leges.
 Quod si avara civium
 Potentiorum dona, vel corona
 Nil juvant, & ultimis
 Revulsa ab Indis, ac Hydaspæ gemma?
 Si nihil valent opes,
 Nec sceptræ Averni leniunt furorem:
 Sat mihi abâto in specu
 Arcto cibari pane, & annis unda.

4. Septem sunt autem poenitentium Psalmi, vi. scilicet, xxxj xxxvij. L. cj. cxxix. & cxlij, quos magni mysterii significatione majores nostri instituerunt. Docet Calliodorus *r* post Origenem * septenario numero conclusos esse, quia septem modis peccata nobis dimitti possunt: per baptismum, per passionem martyrii, per eleemosynam, per hoc quod remittimus peccata fratribus nostris, cum converterit quis peccatorem ab errore viæ suæ, per abundantiam charitatis, & per poenitentiam. Inveniuntur & alii fortasse modi remissionum: congruit enim ut numerum supplicationis nostræ indulgentia divina transcendat. Antiqui etiam canones septenem poenitentiam pro gravioribus peccatis imposuerunt. Leprosus mundandus septies in veteri lege aspergebatur. *s*. Naamam Syrus septies

Ggggg 3. 12-
r Cassiod. in ps. 6. * Orig. hom. 2. in Levit. l. Le-
 vit. 14. 7.

lavari in Jordane iustus est ab Eliseo. Septimo anno fiebant remissiones, eratque magnus Jubileus post quadratum septenarium *n.* Septimo die emissæ columba aquas ultrices cessasse indicavit *x.* Septies oscitavit puer à morte revocandus ad vitam *y.* Septem gradibus ascendebar ad portam templi apud Ezechielem *z.* Septem diebus foror Moïsis separata est antequam mundaretur *a.* Ipse vertex Theologorum Petrus, coryphæus, & os Apostolorum, ut eum vocat Paulus *b.* Episcopus Emisenus, sublimiori instructus sapientia septenarium proposuit numerum, cum ageret de remissione, à quo numero Christus respondens discedere noluit, ut ex Evangelica constat historia. *Domine, inquit e, quoties peccabis in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies? Dicit illi Iesus; Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Non ergo sine causa horum Psalmorum numerus ad septenarium redactus est, ut septuplum expurgati *d,* à septem plagis immunes *e,* exclusis septem Dæmoniis *f,* septiformi spiritus gratia illustremur. Notat autem Innocentius Papa *g* initio expositionis horum Psalmorum, quæ D. Bernardo Claraevallensi ab imperito quodam impressore Veneto olim perperam tributa fuit, notat inquam inter istos septem Psalmos quatuor esse consimiles, & tres dissimiles in principiis. Semper verò, ait, inter duos consimiles unus dissimilium constituitur: & inter duos dissimiles unus consimilium collocatur. Consimiles sunt primus, tertius, quintus, & septimus: dissimiles secundus, quartus, & sextus. Nulla enim in via sunt ita perfecta, quibus non interveniat aliquod imperfectum: nec aliqua tam sunt mala quibus non intercedat aliquod bonum; quatenus nec perfectis præsumptio, nec malis desperatio tribuatur: quod maxime convenit, & expedit poenitenti, ut nec de misericordia nimium præsumat sperando, nec de iustitia nimium desperet timendo; sed inter superiorem, & inferiorem molam spiritualiter conteratur. Porro de singulis Psalmis operæ pretium erit quædam notasse.

r 4 Reg. 5: 10. *u* Levit. 25: 4. 8. *x* Gen. 8: 10.
y 4 Reg. 4: 35. *z* Ezech. 40: 26. *a* Numer. 12:
 14. *b* Paul. Emisen. homil. de Incarn. 1. in actis
 Concilii Ephesini tom. 6. *c* Matth. 22. *d* Psal.
 11: 7. *e* Apoc. 15: 6. *f* Marc. 16: 19. *g* Inno-
 cent. tertius proem. in 7. Psal.

Notantur quædam de singulis Psalmi Poenitentialibus. Denique adhortatio ad poenitentiam.

Psalms sextus, *Domine ne in furore tuo arguas me,* primum inter poenitentiales occupat locum. Senarius autem numerus personæ poenitentis aptatur, quia in naturali numerorum serie primus est, cui conveniat perfectio sui ipsius. Titulus ejus est, *in finem in carminibus, sive in hymnis pro octava.* In finem *ἐν τῷ τέλος,* quod quidam viri docti assidue, vel in perpetuum vertunt: aliquot enim Psalmi certis Hebdomadæ diebus assignabantur, hic verò nulli alligatus diei assidue psallendus erat. Finis etiam consummatæ rei perfectionem significat, ut videlicet admoneantur initio poenitentialis cursus poenitentes jugiter in oratione versari, & ad summum perfectionis culmen, ad Christum qui est finis universonum, aspirare. Quod nos in finem, Græci *ἐν τῷ τέλος,* Hebræi legunt *lamnaseach,* quam vocem D. Hieronymus *victori* est interpretatus, Symmachus *in victoriis,* versus Epinicius ob partam victoriam, Theodosio *in τῷ vicῳ,* in victoriam. Nam quæ major victoria, quam post lapsum resurgere, durum poenitentia iter arripere, carnem propriam subjugare, mundi pompas contemnere, adversarium ad petram, qui est Christus, allidere, super aspidem, & Basiliscum ambulare, & conculcare leonem, & draconem? Hæc est victoria, quæ vincit mundum, compunctio cordis, poenitentia rigor, orationis instantia. Gladius est poenitentia peccatum radicibus evellens, ut non immerito poenitentia præces à victoria ducant initium: ferventer enim in via Domini inceperunt, jam vicisse est. In carminibus ergo, sive in hymnis oremus, ut det nobis tota charitate compungi, qui supplicandi præstitit rationem. Oremus inquam in hymnis, & carminibus, nam qui tactus dolore cordis intrinsecus peccata sua humiliter confitetur, dulces personat hymnos coram Deo, & Angelis ejus, sicut scriptum est: *h Gaudium est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente.* Dicitur cantari hic Psalmus pro octava, qua literaliter asserunt Hebræi genus quoddam cytharæ fuisse octo chordarum. Amavit enim vir sanctus David musicam piam, ut scribit Augustinus, & in ea studia nos magis ipse, quam ullus alius auctor

h Luca 15: 10. *i* Aug. epist. 131.

ductor accendit. Alii ajunt hoc carmen Hypomixolydio concentu, quem nos octavum tonum nuncupamus, fuisse cantatum, ac propterea octavæ titulum præ se ferre. Sancti Patres communiter per octavam mysterium Resurrectionis intelligunt. Quæ est autem octava, inquit Chrysostomus &, nisi dies illa, illa Domini, inquam, dies magna, & terribilis, quæ est ut clibanus ardens quam tremunt etiam virtutes coelestes? Futuræ enim resurrectionis, tremendique judicii consideratio animam excitat ad penitentiam, & ad orationem: Unde tremens, sed cum fiducia ad thronum gratiæ accedens dicit: *Domine ne in furere tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.* Primò autem judicis caprat benevolentiam à potestate judicii, & consuetudine parcendi. Deinde narrat ærumnas proprias, quibus animam extabuisse deplorat. Iniquos tandem execratur, nec aliquam in postesum vult cum his habere portionem. Astat reus coram supremo iudice, peccatum lacrymis diluit, in noctibus lectum lavat, quem in noctibus inquinaverat, & accusans seipsum veniam meretur, quia se non excusat à culpa, summum defensionis genus in hoc constituens, quod se ipsum condemnat. Novum scilicet judicii genus hoc est, ait sanctus Zeno, in quo reus, si excusaverit crimen, damnatur: absolvitur, si fatetur. Nam, ut magnus scribit Gregorius, cum defenditur culpa, geminatur. Habet hic locum cuiusdam profani sententia dicentis: Morborum alimentum silentium est. Peccatum enim, sitaces, serpit, & crescit, sitque animæ tanquam pestilens carcinoma: si aperis, & manifestas, protinus veneni vis evacuatur. Valida est misericordiæ precatio peccati confessio, ait Aleuinus: & ille misericordiam Dei inveniet, qui se miserum confitetur.

2. Post sextum sequitur trigessimus primus: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates.* Numerus tricenarius fidem Trinitatis designat cum observatione præceptorum decalogi. Unitas superaddita charitatem significat, quæ est finis, & consummatio legis. Sicut autem custodia legis perducit ad præmium, sic ista compuncto corde facta precatio malorum ob transgressionem Decalogi commissorum indulgentiam obtinebit, quatenus deinceps fidem S. Trinitatis bonis operi-

bus comprobantes ad charitatis unitatem feliciter perveniamus. Titulus psalmi Hebraicè est *maschil*, Græcè *ovianus*, Latine *intellectus*, quia spiritualis intelligentia ad mysteriorum illius profunditatem est adhibenda. Hic est intellectus, ut nemo fide per gratiam accepta de peccati impunitate præsumat. Dicitur est in alio psalmo: *Delicta quis intelligit?* In hoc autem dicit Deus: *Intellectum tibi dabo, & instruam te.* Promissus ergo intellectus præmittitur in titulo, ut sciamus ad penitentiæ studium nequaquam venire nos posse, nisi misericordia Domini suffragante peccata nostra intellexerimus. Quis enim pro diluendis oret criminibus, quæ prorsus ignorat? initio psalmi cognoscens penitens proprios errores humiliato corde suspirat, eos prædicans verè beatos, quorum remissæ sunt iniquitates. Fatetur deinde se malè habuisse dum tacuit, curatum autem fuisse dum culpas humiliter confessus est: tum veniæ postulationem etiam sanctis esse communem asseverat. Orat post hæc, & ad ejus verba respondens Dominus sperantibus in se misericordiam pollicetur. Hac erectus promissione commonet homines in fine, ne brutis animantibus similes facti vagis subdantur erroribus; sed ut potius sperantes in Domino, recto corde latentur, ut piissimi judicis, qui lacrymis nostris flebitur, sententiâ absoluti in ipso gloriari mereantur. O divinam clementiam, exclamat Basiliius & Seleuciæ Episcopus, ad quantam dignitatem exivit penitentia! Homines lacrymantur, & Deus immutatur: lugent mortales, & decretum solvit immortalis.

M E T R U M XXX.

Quam felix est, cui scelerum
 Christus vincula resolvit,
 Quem nulle inficiunt sordes,
 Imo in corde latent.
 Conditur huic ferrum, & redeunt
 Auri fulgida secla.
 Nectare manant huic colles,
 Sudant balsama campi.
 Huic regales fundit opes
 Pleno copia cornu.
 Et quocumque terit pedibus
 Terram, sub pede florent
 Lilia, purpureæque rosa.
 Et verè decus omne.

Hinc

Chrys. lib. 2. de compunctione cordis cap. 4. 1. Zeno
 Serm. 2. ad Neophytos. in Greg. l. 4. moral. c. 19.
 n. Heliodor. l. 4. hist. Æthiop. o. Aleuin. in 1. Psal.
 psalm.

p. Psalm. 18. q. Basil. Seleuc. or. 12. qua est 1. in
 Jonam.

Hunc fas, hunc sequitur pietas,
 Hunc sincera voluptas.
 Hunc terræ, cælique bonis
 Virtus alma coronat.
 Sive citum rapit hora diem,
 Seu sol lumina reddit.
 Ille hilari semper superos
 Curvo poplite adorat.
 Quidquid crassima lux referat
 Expectat placido ore.
 Imubique nitens vultu
 Fraudis nescit, & iram.
 Horrida terræ bella fremant,
 Tristis sæviat Orcus.
 Immineat terribilis mors,
 Fractus corruat orbis.
 Hic lætus, constansque animi
 Semper pace potitur.
 At qui mortifero insectum
 Gestat crimine peccus,
 Quanta miser patitur, quanta
 Intus prælia sentit!
 Quot curæ cor dilacerant,
 Quot pœnis cruciatur!
 Sic sic præcipites erebo
 Damnat foeda Dionæ.
 Sic Bacchi, sic perdit opum
 Effrenata cupido.
 Discite mortales sapere,
 Veram discite vitam.
 Ponite criminibus finem,
 Culpas mergite planctu.
 Justa piis cedet lacrymis
 Justi Numinis ira.
 Et dicet rediviva polum
 Scande o mortua proles.

3. Tertius cum primo convenit in primo versu: Domine ne in furore tuo arguas me, & est in ordine Psalterii trigessimus septimus fidem judicans, & observantiam Decalogi per sepiiformem gratiam Spiritus sancti. Ejus Hebraica inscriptio est *le azehir*, Græca *Εὐχὴ ἀνάμνησις*, Latina in commemoracionem, sive ad commemorandum: Additum die Sabbati, vel pro Sabbato ex usu Synagogæ, quæ hunc Psalmum Sabbatis canebat. Sabbatum requiem significat. Fidelis ergo anima, ait magnus Gregorius, requiem in primo homine perditam ad memoriam revocans, & futurum nihilominus vitæ æternæ Sabbatum spiritus agilitate contemplan, ab omni

Gregor. in expos. hujus Psal.

spiritus, & carnis optat corruptione eripi, & ad futuram indeficientis beatitudinis requiem consummato hujus vitæ termino, orat sine cunctatione perducere. Fecit etiam David hunc Psalmum ad commemoracionem, tum ut illum semper in ore ferret ad animi sui post peccatum curacionem: tum ut ipsum peccatum semper in mente habere, sicut scriptum est: *Et peccatum meum contra me est semper*: ut nos quoque ejus exemplo admissa flagitia quotidiano castigantes flagello à futuris culpis præteritarum memores abstinemus. Ista est vera pœnitentia, ut verbis loquar Augustini, quando sic convertitur quis, ut non revertatur; quando sic pœnitet, ut non repetat. Ambrosius u item verum pœnitentem describens; Pœnitentem, inquit, hominem dico, qui plangit quod peccaverat, & rogat Dominum, ut non iterum faciat quod admiserat. Pœnitentem hominem dico, qui post concupiscentiam suam non vadit, & voluptatibus suis se privat. Pœnitentem hominem dico, qui repellit quod malè fecerat, & rogat Dominum, ut veniam consequatur. Pœnitentem hominem dico, qui diligit quod ante neglexit, & quod fecerat mali, deserit. Porro Psalmus internum, & externum morbum commemorat, corporis languorem, afflictionem animi, amicorum molestiam, fastidium extraneorum. A cunctis autem derelictus tacet, quiescit, dissimulat, spem suam in Domino reponit, paratum se quoque ad flagella testatur, quibus commissa possit abolere peccata, ac tandem in Domino exultans continuam ejus in tantis periculis assistentiam implorat.

4. Quinquagesimo Psalmo: *Misere mei Deus*, quartum, & medium locum inter pœnitentiales sacratissimâ figuracione fecerunt antiqui. Expers sit omnis historiæ, qui nesciat peccasse Davidem cum Bethsabæe, ejusque maritum regali jussione ab hostibus fuisse peremptum. Nam mulierem, quæ placuerat oculis suis, accersiri fecit, virum autem ejus innocentem bellatoribus objici jussit, ut vi opprimeretur hostili. Ex hac historia desumptus est titulus Psalms. In fine Psalms David, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabæe. Pertinet quinquagenarius numerus ad remissionem, quinquagesimo enim anno secundum legem remissio erat, ut, si quis distraxisset possessionem, eam reciperet, servus libertate donaretur,

exul
 Psalms 50. t Aug. serm. 3. de Nativ. Domini.
 u Ambros. ser. 4. post. 1. Dom. 40.

exul rediret in patriam. Quinquagesimo etiam die data est Lex in monte Sina, & eodem die numero Spiritus sanctus adveniens Apostolorum corda sacris donorum charismatibus illustravit. Sic iste quinquagesimus Psalmus puro recitatus affectu dissolvit crimina, vulnera sanat, debita tollit peccatorum. Atque idem Ecclesiastico usu receptum est, ut, quoties admissorum scelerum remissio petitur, hujus Psalmi recitatione postuletur. Optimè, ut solet, doctorum Princeps Augustinus: Iste Psalmus sicut cautos facit eos, qui non ceciderunt, sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt. Quisquis peccasti, & dubitas agere poenitentiam pro peccato tuo, desperando salutem tuam, audi David gementem. Ad te Nathan Propheta non est missus, ipse David ad te missus est. Audi cum clamantem, & simul clama: audi gementem, & contremisce: audi flentem, & lachrymas junge: audi correctum, & condelectare. Si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniæ non intercludatur. Missus est ad istum virum Nathan Propheta: attende Regis humilitatem, non respuit verba præcipientis, non dixit, audes mihi loqui Regi? Rex sublimis Prophetam audivit, plebs ejus humilis Christum audivit. Audi ergo hæc, & dic cum illo: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Dulcissimus est hujus Psalmi decursus de amaro compunctionis fonte scaturiens. Nam & satisfactionem continet perfectissimæ humilitatis, & vivam misericordiæ Domini confidentiam. Peccavit David, quod solent Reges: sed poenitentiam gessit, flevit, ingemuit, quod non solent Reges. Confessus est culpam, memor peccati, oblitus imperii & ipse suum cantavit opprobrium. Hunc Regem imitatur poenitens in hoc Psalmo; crimenque fatetur, tum Dominum rogat, ut amissam restituat gratiam, quum si fuerit consequutus, contriti cordis sacrificium, & mysticas vitulorum oblationes pollicetur.

5. Quinto loco centesimus primus Psalmus invenitur, *Domine exaudi orationem meam*. Centesimus numerus plenus in omnibus, & perfectus ostenditur, cui adjuncta unitas apicem indicat perfectionis, ad quam post remissam culpam debet poenitens properare. Tam in Hebraico, quam in Græco, & Latino textu hæc prænotatur inscriptione: *Oratio pauperis cum anxius fuerit, & coram Domino effuderit precem suam.* Hoc omnium malorum singulare remedium est

& Aug. in Ps. 30.

non ad res perituras converti, sed ante Dominum effundere cor suum, & veram ab eo consolationem præstolari. Felix conscientia, quæ ob doctorem poenitentiae anxiam risum in luctum, cantum in plandum, gaudium convertit in moerorem, faciens membra sua servire sanctitati, quæ ante servierant iniquitati. Felix conscientia, quæ paupertate spiritus ditissima precem suam effundit coram Domino, sollicitè præcavens, ne cuiusque vel levissimæ maculæ deformitate tremenda illius majestatis offendat aspectum. Conscientia nostra adversarius noster est, de quo scriptum est, *Esto consentiens adversario tuo* y. Adversarius dicitur, quia omni prævæ voluntati nostræ adversatur: arguit nos, cum non agimus quod debemus; accusat nos, cum agimus quod non debemus. Conscientia est lex non scripta, ait Niceas Heraclensis z, quæ viam veræ poenitentiae præscribit nobis. Quæ cum non habeat loquendi usum, ut Victor Cartennensis a eleganter scribit, nescit tamen tenere silentium. Potest tibi ad tempus testis prodesse, conscientia verò tecum semper est, & sine te non est: hæret pectori, nec unquam te deserit, & velut quædam pedissequa nullo abs te temporis intervallo discedit: tenet te reum, & in sua semper ditione captivum. Pauper igitur in hoc Psalmo conscientiae stimulis agitur orat gemens, & afflictus, suasque necessitates sibi narratione commemorat, ut Deus tandem placatus calamitosam anxietatem in perennem læticiam sedatâ conscientiam mutet, & illuc semen sanctorum dirigat, ubi regnans habitat ipse, ubi est spes gloriosa fidelium, ubi lucet perpetua claritas, & pax æterna justorum.

6. Sextus est Canticis graduum desumptus in ordine Psalterii est centesimus vigesimus nonus, *De profundis clamavi ad te Domine*. Numerus quidem centesimus vigesimus ex denario in duodenarium ducto resultans plenissimæ virtutis, & consummatæ dicitur esse perfectionis, partes enim ejus aliquotæ ordinatissimâ distinctione procedunt usque ad unitatem: sed numerus novenarius superadditus humanorum operum imperfectionem designat. Calculus ergo numericus hujusce Psalmi ex perfecto, & imperfecto compositus veram comprobat illam esse sententiam, qua dicitur, *Cum consummaverit homo, tunc incipiet*. Nemo quippe

H h h h h aded

y *Matth. 5. 25.* z *Nicæ. in orat. 16.* Nazianz. n. 37. a *Victor. Carten. libro de Pan. c. 5.* b *Ecc. 18. 6.*

aded perfectus in hac vita reperitur, qui non debeat semper ulteriorem appetere perfectionem, donec feliciter consummatus expleat tempora multa, & quod in via concessum non est, magno gratiarum cumula accipiat in patria. Hoc idem indicat non obscure inscriptio Psalmi, *Canticum graduum*, sive ex Hebræo *scilicet hamah-aloth*, quod significat *Canticum ascensionum*: quo titulo admonetur poenitens ascensiones disponere in corde suo, ire de virtute in virtutem, concupiscere, & deficere in atria Domini, donec perveniat ad locum illum, ubi bonum sit esse, securum commorari, unde cadere non possit, sicut scriptum est: *e & gaudium meum nemo tollet a vobis*. Sed de Canticis graduum, deque mysticis ascensionibus sequenti capite agendum erit. Habet hic Psalmus vocem gementis, & clamantis ad Dominum, ut de profunda peccatorum abyssu liberetur in sanguine Jesu Christi constituta fiducia, qui peccatores mundat ab omni delicto. Non arctatur numero, inquit Arnoldus Abbas *d*, non clauditur fine, nullas omnino habet metas divina clementia: sit qui invocet, erit qui exaudiet: sit qui poeniteat, non deerit qui indulgeat. Misericordia Domini plena est terra, & miserationes ejus super omnia opera ejus. Ideo post creatum hominem quiescisse dicitur Deus, quia nimirum creaturam habebat, erga quam poterat misericordiam exercere. Fecit Deus caelum, & terram; non lego, ait Ambrosius *e*, quod requieverit: fecit Solem, Lunam, & stellas; nec ibi lego quod requieverit: sed lego quod fecerit hominem, & tunc requievit habens cui peccata dimitteret. Nec antea vitae fordes à speranda venia quempiam tertere debent, quia, ut rursus Arnoldus scribit *f*; Nisi ad antiqua revertatur contagia, nulli prior praedicitur vita.

7. Psalmus centesimus quadragesimus secundus, *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam*, felicem perficit cursum supplicantium poenitentium. Componitur hic numerus ex denario, quaternario, & binario: atque huic computationi rectè fidelium vita post peractam poenitentiam comparatur, quia utrumque testamentum custodiens, & praecepta servans, quæ in quatuor Evangelii & in legis Decalogo continentur, ad perfectionis culmen velocissimo conatur ascensu pervenire. Propria ejus inscriptio est, *Psalmus David*, ad

e Joan. 16. 22. *d* Arnoldi, lib. de 7. verbis cap. 2. *e* Ambrosii, ex am. lib. 6. cap. 20. *f* Arnoldi, lib. cap. 3.

didit Latinus Interpres, *Quando persequabatur eum Absalon filius ejus*. Non vacat autem mysterio, quod in hac postrema deprecatione filii impietas commemoratur, qui insana percitus dominandi libidine ausus est contra proprium genitorem praelium concitare. Ne fortè putaret poenitens, dimissà culpà se jam securum posse quiescere, exemplo monetur opportuno, de bellatis hostibus externis, acrius à propriis filiis instare certamen, certamen inquam intestinum, praelium anceps, & tumultuarium à pravis affectionibus, quæ militanti adversus animam. Vis audire fortissimum athletam hujus militiae discrimen fideliter enarrantem? *Invenio, inquit, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captivantem me in lege peccati*. Hic est Absalon contra parentem insurgens: hic est filius, cum quo vix possumus pacem habere, cui meritò vulgatum illud possumus occinere, *Nec tecum possum vivere, nec sine te*. Hunc igitur hostem multò vigilantius cavere debemus. Sæpè securitas incautos reducit ad transacta peccata, & cum dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis supervenit interitus. Orat Dominum poenitens in hoc Psalmo, ut sibi periclitanti opem conferat salutarem: deinde precatur, ne cum servo suo velit intrare in iudicium, sed potius vocem illam dulcissimam eum faciat audire, *Fili remittuntur tibi peccata tua*. Petit tandem oram sibi fieri viam vitæ, ut Dei voluntatem edoctus, & deductus in terram rectam, atque ab insidiis inimicorum liberatus felici tranquillitate potiat.

8. Desino in hac saluberrima admonitione, ut poenitentiam agamus, dum dies salutis luceat, dum tempus acceptabile est. Irascere peccatis tuis, inquit Bacharius *g* vir doctrinæ, & eloquentia insignis, ut ultra non pecces: prævenerit ultroque gehennæ sæva tormenta, & ipse tibi tortor exiit; ut cum venerit, nihil inveniat, quod in te possit punire inimicus. Sit tibi fames pro gladio, suisque pro flamma, ut manu carnificis voluntatis per abstinentiæ penam costarum compago nudata visceribus sit, & pro supplicio ignis internas ossium medullas duræ sitis depascat incendium. Sit tibi vigilia velut officiorum custodia publicorum, ac sicut catena rigentis ferri, sic duriori consuetudine & lege constrictus sub imagine martyrii veniam misericordiæ cœlestis expecta. Poenitentiam differre res magni periculi est. Momento enim vivimus, nihilque incertius est.

g Bacharius Epist. de recip. lapsis.

est horâ nostræ migrationis. Quis scit an hâc nocte à nobis repetat supremus Dominus animam nostram? Quis scit an prolongando iniquitatem, misericordiæ nobis januam occludamus? Ego sanè totus inhorruui, si fortè legens incidi in illud, quod de Antiocho Rege scriptum est *h*, *O-rabat hic scelestus Dominum, & quo non esset misericordiam consecutus: itemque in illud quod de Esau scribit Apostolus, Non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis requisisset eam.* Scio quidem remissionis gratiam semper illis esse promissam, qui ex toto corde convertuntur; sed vereor, ne, qui dum potest non vult, justo Dei iudicio, cum voluerit, non possit. Dicit enim Scriptura *k*, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdes te.* Formidabilis est magni Doctoris Augustini sententia de his, qui usque ad mortem protrahunt pœnitentiam: Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si securus hinc exit, ego non sum securus. Nunquid dico damnabitur? Non dico. Sed dico etiam liberabitur? Non. Et quid dicis mihi? Nescio, non præsumo, non promitto, nescio. Vis te dubio liberare, vis quod incertum est evadere? Age pœnitentiam dum sanus es. Si enim tunc vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te demiserunt, non tu illa. Idem alibi *m*, Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et idèd pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est, pœnitentia, quæ à moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur. De eadem re sic scribit Salvianus Massiliensis *n*, quem dicit Baronius fuisse novum sui temporis Hieremiam. Peccare non desinit, quem in extremis situm recedere à criminibus sola tantum facit impossibilitas, non voluntas. Qui enim à malis actionibus tantum morte discedit, non relinquit scelera, sed relinquitur à sceleribus. Ac per hoc necessitate exclusus à vitiis, & tunc puto peccat, quando cessaverit, quia quantum ad animum necdum desit, qui adhuc velit peccare, si possit. Non bonis itaque spebus immititur, qui ad hoc tantum peccat in vita, ut peccatorum molem redimat in morte. Item S. Asterius *o*; Tunc, inquit, prodest pœnitentia, cum pœnitens emendandi facultatem habet: sublatâ verò co-

piâ rectè faciendi inutilis est dolor & irrita pœnitentia. Quidam *p* usurarius in extremis constitutus, cum eum Sacerdotes ad pœnitentiam hortarentur, negavit se posse pœnitere, & exclamans dixit: O pœnitentia ubi es? Non possum amplius pœnitere, quia cum possem nolui. Et sic expiravit. Inimicâ videlicet persuasione mentitur, ait Faustus *q* Rhegiensis Episcopus, qui maculas longâ ætate contractas subitis etiam inutilibus abolendas gemitibus arbitratur: quo tempore confessio esse potest, satisfactio esse non potest. Nam quia Deus non irridetur, ipse decipit, qui mortem multis temporibus vixit, & ad quærendam vitam jam semivivus assurgit, ut tunc officiosus appareat, quando Dominicæ servituti omnia corporis, & animæ subtrahuntur officia. Hanc autem sententiam Alcimus Avitus Archiepiscopus Viennensis his verbis explicavit.

*Pœnitet ambigè quem sevò pœnitit: ergo
Præsentis spatium nobis dum creditur ævi,
Dum patulam cunctis Christi clementia sese
Præbet, præteritæ plangamus crimina vitæ,
Pœniteatque olim negligenter temporis acti
Dum licet, & sano ingenioque animoque valeamus
Nam qui peccatum moriens dimittit & ipsa
In serum tempus differt admissa lateri,
Non tam dimittit, quam dimittatur ab illis.*

His accedit quod securitatem diu vivendi nemo habet. Quanti enim, inquit Eligius *r* Noviomensis Episcopus, qui se ad extremum vitæ suæ pœnitentiam accepturos esse credebant, aut subitâ ruinâ oppressi sunt, aut fortè naufragio demersi, aut apoplexiâ ita percussi, ut non solum pœnitentiam petere, sed etiam signare se, aut orationem Dominicam dicere omnino non possent? Ergò pœnitentiam agamus confitendo peccata nostra, & dignè pro illis satisfaciendo, dum tempus habemus, nam omnis dilatio in hac re pessima est. Sed jam multa de pœnitentia dixi, quia, ut Florentis Tertulliani personâ induar, peccator omnium notarum cum sim, nec ulli rei nisi pœnitentiæ natus, non facile possum super illa tacere. Ne verò abutar lectoris patientiâ, de Litanis, quæ Psalmis Pœnitentialibus subnecti solent, nunc loquar, si prius dixero cum sancto Isaacio *s* Presbytero, illum ponere terminum dilectis suis, qui cognoscit terminum hujus vitæ.

H h h h 2 Litania

p Ant. Davyultius cat. histor. c. 3. tit. 113. exem. 5.
q Faustus Epist. ad Bened. Paulinum. *r* Eligius
hom. 6. *s* Tertull. in fine lib. de pœnit. *t* Isaac
de com. mundi c. 18.

h 2. Mach. 9: 12. *i* Hebr. 12. 17. *k* Eccl. 5. 8.
l Aug. Hom. 41. inter 40. *m* Id. serm. 57. de
Temp. *n* Salvian. lib. 1. adversus avaritiam.
o Asterius Hom. 1.

§. IV.

Litania quid sit, & quod duplex. Litaniarum vis, & efficacia.

1. **G**Ræca vox Litania, si genuinam nominis significationem spectemus, seriam omnem, & ardentem precationem significat, à verbo *λειτουργία*, quod ardentem orationem importat. Apud Homerum, qui aliquem enixè precantur, *λειτουργός* vocantur, & in quodam Epigrammate Græco infernus *λειτουργός*, id est, inexorabilis, non ineleganter nuncupatur, quod nullis precibus flecti possit. Usu tamen receptum est, ut pro certa quadam Ecclesiastica supplicationis specie, qua Dei misericordiam, sanctorumque patrocinium invocamus, Litaniarum nomen usurpetur. Accipitur etiam quandoque pro solo *Kyrie eleyson*, tum in Græcis sanctorum Jacobi, Basilii, & Chrysostomi Liturgiis; tum à D. Benedicto ^u in regula dum ait, Supplicatio Litaniarum, id est, *Kyrie eleyson*, & sic finiuntur vigiliæ nocturnæ: itemque Litaniarum, & completum est. Monachi enim post versum dicunt ter *Kyrie eleyson*, deinde sequitur oratio Dominica, postea collecta, & sic finitur tam nocturna, quam diurna synaxis. Hanc autem supplicationem *Kyrie eleyson* commendat Epictetus Stoicus apud Arianum ^x: & Virgilius ^y preces Turni ad Faunum describens ait, *Faune precor miserere*. Quia verò multoties solent Litaniarum processionaliter cantari, ipsa multitudo ^z *λειτουργία*, & procedentium ab ordine Romano, & ab aliis Litania vocatur. Abbas Joannes ^z in prato spiritali narrans cujusdam Episcopi humilitatem; Pertranseunte, inquit, Litania, id est processione. Nos hic de illis Litaniis loquimur, quibus sanctorum invocatio continetur, quarum usum multo ante Gregorii Magni tempora viguisse libello primo de Litaniis eruditissimè probat Nicolaus Serarius ^a tot antiquorum Patrum sententiis, tot veteris Historiæ exemplis, tot validis rationum momentis, ut nec ejus diligentia quicquam addi possit, nec sectarii novatores tam insignia antiquitatis testimonia ulla valeant exceptione submovere. Nullus certus auctor proferri potest, qui Sanctorum Litaniarum primus invenerit; quamvis speciales quasdam,

^u Ben. c. 9. & 12. x Arian. l. 2. c. 7. y Virgil. l. 12. Aeneid. z Prat. Spirit. c. 210. a Serarius tom. 3. opusc. de Litaniis. l. 1. c. 4.

nempè majores, quas vocant, in die S. Marci à B. Gregorio Magno; triduanas verò rogationes ante Dominicam Ascensionem à S. Mamerto Episcopo Viennensi circa annum Domini 452. institutas fuisse non contemnendi auctores asserunt. De utraque institutione legendus Serarius ^b libro de Processionibus. Etili ergò Litaniarum quarundam, quæ processiones sunt, auctor aliquis ex antiquitate proferri possit, non tamen quæ precationes, nec quæ in iis sancti exorantur; sed illæ ab Apostolicis viris inductæ, quovis etiam vetustissimo auctore vetustiores reputantur. Quin docti plerique sentiunt, inter quos Janfenius ^c, & Baronius ^d, Christi Domini tempore jam usitatas Hierosolymis supplicationes, in quibus frequentissimè suum illud *Osanna* repetebant. Extant Harchmanni, Ratperti, Notkeri, & alterius Anonymi Monachorum S. Galli apud Helvetios versus quidam, & rituum, quibus Litaniarum continentur in Bibliotheca veterum Patrum editionis Coloniensis ^e. Psalmis verò Poenitentialibus sacras Litaniarum rectè adjungi quis neget? In his enim primò misericordiam Dei supplici confessione imploramus; Tum Reginae cælorum pedibus provoluti misericordiam nostram potentissimæ mediatrici commendamus. Non omittimus Angelorum Principes, & omnes sanctos beatorum spirituum ordines supremæ naturæ dignitate sublimes, non Patriarchas divinâ familiaritate illustres, non Prophetas futurorum scientiâ conspicuos, non Apostolos Ecclesiæ Principatu gloriosos, non Martyres charitatis ardore succensos, non Confessores virtutum omnium splendore coruscos, non virgines illibati pudoris candore præfulgidas, non omnes denique cælestis curiæ cives, amicos Dei, & Principes universæ terræ. Petimus autem in Litaniis pro omni statu hominum universi generis bona, humana, divina, publica, privata, quæ ad animam, & quæ ad corpus spectant.

^b Serarius l. 2. de process. c. 7. & 8. c Janfen. in concord. cap. 110. d Baron. ann. 34. num. 5. e Tom. 15.

METRUM XXXI.

Densa triumphali videt procul agmina pompa,
Atque hilares, placidosque choros.
Plurima pars niveis, variâ pars altera sulget
Vestibus, auratisque stolis.

Jam

*Jam sinuosa lores rapuerunt stemmata venti ,
 Jamque micant pia signa crucis.
 Turtareas Christi propellit imago phalanges ,
 Et superi properant cives.
 Ordo Sacerdorum venerandaque turba canoris
 Carminibus passim exultant.
 Jam devota sacris aperitur scena virtutis
 Jam sanctæ resonant voces.
 Alternis precibus pueri, inuictæque puellæ,
 Atque senes, juvenesque canunt.
 Ter circum viridi trémuerunt vertice colles ,
 Ter longè tremuit tellus ,
 Terque repercussas resonabilis edidit Echo
 Voces, ter sonuere specus.
 Audio divinæ doies, titulosque parentis ,
 Audio virgineas laudes.
 Sed prius Ingeniis, Geniisque, & Pneumatis almi
 Placarunt precibus Numen.
 Tum puras, celeresque canunt sine corpore mentes,
 Ter triplici agmine distinctas.
 Nec veteris reticent Patres, mundi que parentes ,
 Et sacros recinunt vates.
 Quos & Apostoli sequitur sacra turba Senatus ,
 Magnaque Discipulorum acies.
 Et pueri insontes, rabies quos sæva Tyranni
 Sustulit è gremio matrum.
 Vos quoque commemorant, partem qui morte coronam
 Vertice sacro geritis.
 Et vos Pontifices, & quos sine sanguine virtus
 Vicinos dedit esse Deo.
 Postea feminei celebratur candida sexus
 Virginitas, castusque pudor.
 Sic omnes cœli proceres, patriæque beatos ,
 Sollicitant precibus cives.
 Denique per Christi mysteria sancta precantur ,
 Annuat ut votis Numen.
 Sic procul omne malum, dei prospera cuncta sereno,
 Respiciat populum vultu.
 Utque Dei mitis, mundi qui crimina tollit ,
 Agnus sit miseris clemens.
 Ista ter effati reticent : sed multa perorat
 Proxus humi sacer Antistes
 Et cum sancta preces plebs finit , æthera pulsant
 Plausus , ac tremulae voces.
 Pictaque tolluntur Christi vexilla, recedit
 Hinc chorus, & repetit templum.
 Tum subito Aligerum manibus collecta feruntur
 Ante Deum populi vota.
 Annuit his Numen, divinaque munera terris
 Dirite largitur de xira.*

2. Difficillimum foret varios, & admirabiles
 Litaniarum effectus è probatissimis Ecclesiasticæ

Historiæ monumentis collectos recensere. In tanta enim exemplorum ubertate quid potissimum seligere, quid omittere debeam ignoro. Dicam tamen aliqua, quæ satis fuerint, ut maximam supplicationum utilitatem Ecclesiasticis viris commendent. Litanis magnum Basilium obseratum Nicææ templum sine clavibus aperuisse magno Catholicorum applausu, magnâ Arianorum confusione Amphilochius f, & Zonaras g testantur. Litanis Theodosium Imperatorem unâ cum clero, & plebe perpetuis imbribus imposuisse finem, post quos rei frumentariæ ingens copia sequuta sit, Nicephorus Callistus h affirmat. Litanis pestem, ac famem vehementissimam S. Heribertum Coloniensem Archiepiscopum submovisse Abbas Tuitiensis i asseverat. Imperante Theodosio Proclus Constantinopolitanus urbem fœnestissimis terræ fragoribus concussam, Litanis & supplicationibus liberavit, ut Baronius k, & alii l narrant. Omni enim populo cum Patriarcha orante sublatus in aëra puer, & mox in terram reversus, sacrum Trisagion se ab Angelis didicisse testatus est, quem hymnum cum psallerent universi, terræ quassatio cessavit. S. Mammertus à Viennensi sua civitate, ut Ado m item Viennensis refert, gravillimos depulit terræ motus, ignes cœlitus delapsos, ferarum irruptiones, aliaque plurima pericula Litanis ad S. Juliani Basilicam institutis. Gregorius Magnus serpentum virus, & inguinariam pestem, qua Roma quotidianis cadaveribus complebatur, non semel Litaniarum precationibus avertit, ut in ejus vita Joannes Diaconus n scribit. Adversus bellicos incursum idemmet Gregorius o Litanias indixit, ut ex Epistolis ipsius constat. Occasione magni terræ motus, de quo Agathias p, actas quotannis Litanias anno 27. Justiniani Imp. docet Baronius q è veteri Historia. In creatione summi Pontificis cantatas Litanias apud eundem Baronium commemorat Anastasius Bibliothecarius. Exundantis Tyberis alluvionem Litaniarum munimine repressam idem s narrant ex eodem auctore. Eisdem pro salute Urbis à Stephano Papa tertio frequentatas ipsomet Baronio t narrante

H h h h h 3 didi

f Amphiloch. in vita S. Basilii. g Zonaras tom. 2. Annalium. h Niceph. Call. l. 14. cap. 13. i Resp. Abb. in vita S. Heriberti. k Baroni ann. 446. nu. 9. l Theodor. Balsamon ad Can. 82. sexta Synodi in Trullo. m Ado Vien. et. 6. n Jo. Dixo. lib. 4. o Greg. Ep. 45. l. 9. indic. 4. p Agat. l. 2. q Baroni ann. 553. nu. 249. r Id. ann. 555. n. 10. s Id. ann. 717. n. 4. t Id. ann. 753. n. 3.

didicimus. Quibus verò præfidiis Adrianus Pa-
pa ad petitionem Caroli Magni barbaram, &
ferocissimam Saxonum gentem ad Christi fidem
perduxit: nonne Litanis pro eorum conversio-
ne in tota ditione Romanæ Ecclesiæ celebra-
tis, ut scribit Regino Abbas ^a? Quibus arti-
bus impurissimi Dæmones ab humanis corpori-
bus multoties expulsi sunt? nonne efficacissimo
Litaniarum exorcismo? Quâ ratione pluviarum
illuviones submotæ, procellarum sedata tempe-
stas, virulenta fulgurum vis repressa, devasta-
ntium flammaram extinctum incendium, con-
clamata multorum salus postliminio restituta,
fideles animæ è terribili Purgatorii ergastulo
eductæ? nonne Litaniis intimæ devotionis sen-
su recitatis? & Quidni igitur studeamus hoc salu-
berrimo poenitentialium Psalmorum additamen-
to divinam nobis misericordiam conciliare? Mi-
sericors & miserator Dominus ad beneficia hu-
mano generi præstanda suâ sponte proclivis ac-
cedentibus suffragiis omnium Sanctorum, am-
pliolem nobis tribuet donorum suorum largita-
tem.

^u Regino lib. 2. Chron. x Mart. del Rio disquis.
magic. lib. 6. cap. 2. Sigebert. an. 679. Abbas
Uspberg. an. 527. Greg. Turon. de gent. Franc.
lib. 2. cap. 34. Albert. Cranzius l. 2. metrop. c. 28.
Greg. Cedrenus in Justiniano.

CAPUT XV.

De Psalmis Gradualibus.

§. I.

*Quindecim Psalmis Gradualibus totidem
gradus Christianæ perfectionis indicari.
Vitæ spiritualis triplicem esse statum. De
ascensione mentis in Deum. Quinde-
cim animæ dignitates ex Abbate Cel-
lensi.*

Quindecim Psalmi Graduales à 119. us-
que ad 133. quartis Quadragesimæ feriis
præscripto in Breviarii ritu recitari debent.
Quia enim hæc diebus decet nos solito san-
ctiores esse, Psalmos istos ad consuetæ servi-
tutis pensum adjungimus, quibus etiam mo-

nemur ad vitæ spiritualis perfectionem quibus-
dam veluti gradibus ascensum parari. Memi-
nit horum Psalmorum, eorumque ritus Ra-
dulphus Tungrensis ^a. Ardo Monachus in
vita S. Benedicti Anianæ Abbatis ^b refert,
ipsum instituisse, ut ante nocturnam synaxim
quinque Psalmi à Monachis recitarentur pro
omnibus fidelibus in toto orbe terrarum vivis:
tum quinque pro omnibus defunctis, totidem-
que pro iis, qui nuper defuncti erant. Sed an
isti fuerint Psalmi Graduales, non liquet. Ipsa
autem Cantica graduum ternâ oratione distin-
cta noctu à Monachis recitata apud Bollan-
dum in vita S. Joannis Gorgiæ Abbatis cap. 9.
die 27. Februarii commemorantur. Hic verò
obiit anno 962. Ante Pium V. quotidie in
Quadragesima recitabantur, ut notat Gavan-
tus, & in antiquo usu Cluniacensi singulis an-
ni diebus; itemque in veteri Breviario Val-
lisumbrosæ in omni die feriali. Græci Psal-
mos graduales concinunt omnibus diebus Qua-
dragesimæ (præterquam Sabbatis, & Domi-
nicis, & in die Annuntiationis) quibus utun-
tur mysteriis ante sanctificatis, de qua re ex-
tat Canon sextæ Synodi in Trullo. Post quos
psallant Idiomelon diei, & Martyricum, &
tria similia Triodii, & tria Calendarii, si-
ve Menæi, ut habetur in eorum Typicis, &
Euchologiis. Hæc autem distinctio graduum,
sive à gradibus templi Salomonis desumpta sit,
sive ad vocem gradatim in cantu exaltatam
pertineat, sive reditum de captivitate Baby-
lonica in Hierusalem, aut aliud quidpiam se-
cundum historiæ fidem respiciat, quod spe-
ctat ad spiritualem intelligentiam, mysticis
animæ ascensionibus à sanctis Patribus Hila-
rio ^c, Augustino ^d, Chrysostomo ^e, Gre-
gorio Magnos, itemque à Callodoro, Re-
migio Antistiodorensi ^g, & aliis applicatur. Ad
supremum charitatis fastigium non nisi per gra-
dus pervenitur: motus enim, & conatus hu-
manæ voluntatis, sicut ad alia omnia, ita
etiam ad perfectionem non repente fit sum-
mus. Notandum est autem ex Brunone A-
steni in Psalmum 119. quod, cum quindecim
sint Psalmi Graduales, non dicimus primum
gradum, secundum gradum, tertium gra-

^a Radulph. prop. 21. ^b Sex. syn. can. 52. ^c Hila-
ri. Pict. prose. in Ps. grad. ^d Aug. in eisdem Psal.
^e Chrys. in Ps. 119. ^f Gregor. in Ps. 129. ^g Call-
stod. & Remig. in Ps. 119.

gradum, sed unusquisque vocatur Canticum graduum; quasi unusquisque tanti sit, ut per se ad id quo tenditur ascendentem perducere possit *h*. Cantica graduum, inquit Arnobius *i*, Cantica Ascensionum sunt: veluti si alicui, qui in foveam ceciderit, ponatur scala, ut inde ascendendi capiat facultatem. Hæc est scala, quam Patriarcha Jacob vidit in somnis, per quam, ut scribit Theophilus *k* Alexandrinus, diversis virtutum gradibus ad superna conscenditur. Pulchrum spectaculum, ait Richardus Victorinus *l*, videre hujus scalæ scalaria modo congruo, proportionaliterque locata, & usque in summum ordinatæ distinctionis continuatione producta, ut paulatim se animus ad superiora promoveat, perfectionisque gradibus semper ad altiora conscendat, donec Dominus innixus scalæ videatur.

2. Nascitur charitas divina operante misericordia, cum nata fuerit, nutritur, nutrita crescit, & roboratur, roborata perficitur. Hinc Theologi *m* communiter post Dionysium Areopagitam *n* ex muneribus Angelorum, quorum actus Hierarchici sunt purgare, illuminare, & perficere, vitæ spiritualis statum triplicem faciunt, Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, quarum primi purgantur, secundi illuminantur, postremi perficiuntur. Cebes Thebanus insignis Philosophus Tabulam finxit in templo Saturni, in qua miro artificio tres ambitus posuit, per quos tres isti gradus non incommodè intelligi possunt. Nam cum vitis seductus homo in primo ambitu describatur, in secundo post purificationem ad virtutes introducitur, ac deinde ad beatitudinem pervenit, à qua gloria, & honore coronatur. Ecclesia verò Psalmos gradualis recitandos proponens in tres ordines dividit, qua partitione tres status vitæ internæ designantur. Et primus quidem quinquarius incipientibus convenit, secundus proficientibus, tertius perfectis. Nicolaus Londanus tractatum edidit ad Primum V. de reversione animi in cælum, sumpto è Psalmis istis argumento. Robertus Bellarminus sacrae purpuræ decus eximium librum scripsit de Ascensione mentis in Deum, quem ad similitudinem quindecim

Psalmorum gradualium in totidem gradus distinxit. Hic liber legendus ab illis est, qui invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intelligere cupiunt, & mysticos ascensionum gradus non tam cognoscere, quam ascendere peroptant. Deus enim, inquit Basilius *o* Seleuciæ Episcopus, cum res creatas in modum scalæ adaptaverit, per eas sui amantibus ascensum ad se extruxit. Verus Philosophus ille est, qui è rebus creatis ad increta novit assurgere; & de his quæ videntur scalam sibi facit ad invisibilia ascendendi. Quare sapienter Severinus Boëthius vestem Philosophiæ in modum scalarum intexam describit initio doctissimi libelli de ejusdem Philosophiæ consolatione. Felices illi, quibus vertitur in scalam, quod aliis esse solet in ruinam: quibus aspectus creaturarum fit scala ascensionis, non lapsus dejectionis.

3. Abbas Cellensis *p* quindecim animæ dignitates, quasi quosdam gradus perfectionis ejus, enumerat, è quibus ipsa corrumpitur per peccatum, & ad quos per poenitentiam revocatur. Est enim anima, ait ille, puella, generosa, tenera & delicata, formosa, & candida, ignara doli, laboris insueta, virtutum capax, damnatrix vitiorum, artium inventrix, constans in amore, verax in promissione, larga in donatione, socialis ad cives, affabilis ad omnes. Ab his dignitatibus totidem gradibus excidit miserabilis anima. Nam, ut idem subjungit, rapitur puella! ô crimen! Generosa ancillatur: ô pudor! Delicata laceratur: ô pietatis naufragium! Formosa denigratur: ô damnum pulchritudinis! Obscuratur candida: ô gloriæ convitium! Ignara doli fraude seducitur: ô justitiæ exitium! Insueta laboris labore atteritur: ô miserationis exilium! Capax virtutum virtutibus evacuatur: ô exclusio bonorum! Vitiatur damnatrix vitiorum: ô communicatio Dæmonum! Inventrix artium inventorum obliviscitur: ô ignaviæ pabulum! In amore constans instabilis invenitur: ô naturæ lubricum! Verax in promissione quotidie mentitur: ô peregrinationis invium! In donatione larga in avaram vertitur: ô exsiccatio venarum! Socialis sine fœdere: ô vitæ corruptionem! Affabilis infrunita redditur: ô coagululum dilectionis vastatum! O clementia creatoris eripe illam de ore Leonis, restitue illi statum libertatis, repone in delitiis pristinis, reforma deformatam, renova obscuratam, libera deceptam, amove laborem, redde virtutes,

cura

h Jacob. Alvarez de vita spirit. lib. 2. part. 1. cap. 9.
i Arnob. in Psalm. 119. *k* Theoph. ep. 1. pass.
l Rich. de ext. malit. 3. c. 16. *m* S. Th. 2. 2. qu. 183. art. ult. *n* Dionys. c. 5. eal. hier.

o Basil. Sel. or. 1. p. Cellen. lib. de P. mib. c. 4.

cura viciatam, doce oblitam, confirma lapsam, pone in veritatis viam, destrue avaritiam, fœdus societatis constringe, affabilem redde. Ecce anima quindecim gradibus, quibus peccando corrueas, poenitendo azima sinceritatis recipies. Quot namque casibus à Deo recessimus, tot gradibus virtutum ad ipsam Dei virtutem pennis desideriorum revolamus. Hactenus Petrus Cellensis. Sunt & alia quindenarii numeri mysteria haud indigna solerti disquisitione; sed suscepti operis ratio ad ea tantum edisserenda me cogit, quæ mysticas animæ ascensiones respiciunt. Scalam igitur erigo ad Deum, qualem finxisse Cosinam Junonis apud Thracas Sacerdotem scribit Polyænus q. Hic enim cum Thracæ ejus imperium detrectarent, ligneas scalas quamplurimas construi, atque alias aliis imponi curavit, quibus in cœlum ad Junonem ascenderet plebis contumaciam aculaturus. Quo factò stupidam gentem ita perculit, ut se in posterum obedientem fore jurejurando firmaret. Hunc ascensum, quem ille ementiri potuit, non autem perficere, ego quindenis gradibus præparo, quibus ad verum Numen subvehente sapientia conscendamus. Optimè Joannes Climacus r, omni arte, omnique studio quisque uti debet, ut lutum hoc à terra elevans in Dei solio collocet. Nullus verò difficultatem causetur ascensus; via enim, & janua cunctis aperta est.

q Polyænus l. 7. stratagemat. r Climac. gr. 26.

METRUM XXXII.

1. **T**U magne cali vector, & mundi arbiter,
Tremende, sempiternæ, ineluctabilis,
Idem severus ultor, & clementis pater.
Immensa rerum spatia qui nutu regis,
Cui servit Orbis, Trinus, ac unus Deus.
Da celsa virtutum juga, & superum choyos
Transcendere. Obsident iter vepras mali,
Et densa tribulorum seges: bellum serox
Intentat hostis, fingit & vanos motus.
Sed, te juvante, per rubos, & per truces
Spinas iter parabo: me nullus labor,
Pericla terrent nulla, sunt dudum mihi
Hac tela prævisa. Adjura audentem Deus,
Serena donec fulgeat mihi dies,
Qua sistar innocens, & omnis inscius
Labis tuo conspectui. Quid hic moror,
Et hæctenus mortalium sordes colo?
Vos nubila super solis, & Luna vias
Me citius erigite volatu præpeti,

O me beatum! Jam mihi tellus perit,
Et regna decrescunt, suum mundi globus
Vanescit in punctum: O veneranda Nummis
Præsentia! ô cœli coruscantes sacres!
Perceat vitæ gaudium, verum decus,
Et clausula nullo margine voluptas! dies
Quem nulla temerata nox, honorum fons patens!
Utinam semel vestris receptus sedibus
Quiete vera persruar. Tu ne cadam
Adsis Pater. Gravi ruina est proximus
Quicumque sine te ad sidera ascensum parat.

§ II.

Quinque gradus incipientium: omne mortale, omne veniale crimen deserere: divitias, ac dignitates contemnere: pravos motus cohibere: proprium judicium, & propriam voluntatem abnegare. Que sint purgati animi indicia.

1. **A**dsis huc igitur fidelis homo, quicumque es, qui in hac valle lacrymarum ascensiones disposuisti in corde tuo: Huc adsis, & cœlum suspice, ad quod erecta te ducit statura: Cœlum contemplare, ad quod oculis, manibus, totoque corpore assurgis. Hoc consilio divina manus, ut Theophilus s Protospatrius eleganter notavit, hominem sic effinxit, ut erectus, aut sedens vitæ negotia obiret; pronus autem, & supinus nihil proflus faceret. Nimirum ut liquet actiones nostras à terræ sæcibus removeri oportere, debereque hominem vita, & moribus esse ὀρθότροπος inftar piscis, qui hoc nomine insignitur, quod semper oculis cœlum aspiciat. Rectè Manilius. r

An quoquam genitos nisi cœlo credere fas est
Esse homines? projecta jacent animalia cuncta
In terra, vel mersa vadis, vel in aëre pendent:
Omnibus una quies ventis, sensusque per artus.
— At homo stetit unus in arcem
Erectus capitis, victor que ad sidera mittit
Sidereos oculos, propiusque ad spectat olympum,
Cognatumque sequens corpus, se querit in astris.

Ipsi ergo sibi renunciant, ait Lactantius u, seque hominum nomine abdicant, qui non sursum aspiciunt, sed deorsum. Spectare nos cœlum Deus

s Theophil. Protospat. lib. 1. de hominis fabrica cap. 9.
t Manil. circa fin. l. 4. Astronomic. u Lactant. div. inst. l. 2. cap. 1. § 2.

Deus voluit, utique non frustra, sed ut Deum, cujus sedes illud est, quoniam oculis non possumus, animo contemplerur. Juvat autem velut in aliqua sublimi specula constitutum, unde universi exaudire possint, Persianum illud proclamare:

O curvæ in terras animæ, & cælestium inanes,

Cælum potius intuemini, ad cujus spectaculum vos excitavit ille artifex verus Deus. Ille vobis sublimem vultum dedit, vos in terram curvamini, & altas mentes ad inferiora deprimitis, tanquam vos pœniteat non quadrupes esse natos. Hoc verò sanctioris vitæ initium est, hic primus gradus, à terra sursum elevari, & hac optima sententia stabilire cor, ut mori potius optes, quam gravioris peccati macula fœdari. Hunc primum gradum nonne agnoscis in primo Psalmo? Terrena vitia derelinquens Propheta petit liberari à tribulationibus ingruentibus, à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Qui enim incipit Deo servire, licet cum his qui oderunt pacem se semper pacificum studeat exhibere; ab illis tamen quasi hostis, & malè suadens venentis detractionibus gratis impugnatur: quare cogit nesciens se cum malis habitare mundi hujus durissimum incolatum detestatur.

2. Emundatus in hoc primo gradu à gravioribus noxiis gressum promove ad secundum. Is est non tantum à culpis, quæ occidunt animam, sed etiam à levioribus abstinere. Scio quidem natura omnibus insitum esse (sic loquitur maximus Historicorum x) ut privatim, & publicè peccent: nullam esse legem quæ homines ab hoc naturæ vitio prohibeat. Scio etiam sententiam esse ejus discipuli, quem diligebat Jesus: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est y.* Sed scio quoque non debere negligi venialia delicta, quod in hac mortali vita omninò vitari non possint. Quamvis enim à Catholica fide censeatur alienum cum Origene, & Evagrio impeccantiam asserere; quamvis item homini justificato absque detrimento justitiæ peccata insint venialia: tibi tamen, qui in via Domini progredi cupis, necessarium est, ut, quantum te Dei gratia promoverit, vel levissimas criminum umbras devites. Dum enim otiosa, ait Bernardus z tanquam minima spernimus, ad turpia, atque inhonesta dilabimur. Idem alibi. Neque hic possumus pe-

x Thucydides lib. 3. y 1 Joan. 1. 8. z Bern. Serm. de resp. cog. Id de grat. & lib. arbit.

nitus esse sine peccato, & miseria: possumus tamen gratia juvante nec peccato superari, nec miseria. Et usitata in scholis sententia; Possumus à singulis peccatis venialibus abstinere, non ab omnibus. Monet Chrysostronus a magis esse timenda parva peccata, quam magna. Magna enim ut aversemur, ipsa peccati natura efficit: parva autem hac ipsa re quia parva sunt, desides reddunt: & dum contemnuntur, non potest ad eorum expulsionem animus generosè insurgere. Quia verò adversus carnis molestias, & quotidiana peccata difficilior lucta est, & pugna anceps; idèò secundus Psalmus oculos levat ad montes, salutare præsidium à sanctis postulans, & infallibile auxilium ab eo expectans, qui fecit cælum, & terram. De malis scriptum est b *Oculos suos staverunt declinare in terram.* Nobis autem clamat Apostolus c, *Quæ sursum sunt querite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Quid moraris in convallibus, si auxilium tuum à Domino est, qui habitat in excelsis? Ipse custodit te ab omni malo, semperque vigilat ad tui custodiam, ut à recto virtutis tramite nunquam possis deviare.

3. Sic deposita peccatorum sarcinâ levior eris ad ascendendum. Perituras autem divitias respice, fallaces mundi honores, ac dignitates contemne, & tertium gradum conscendisti. Nam si adhuc opus habes, ut hæc discas, inquit Chrysostronus d, nempè quod nihil magnum sint divitiæ, quod umbra sint divitiæ, quod umbra sint res præsentis, & somnium; quod instar fumi evanescant, & evolent, sta interim extra adyta, mane in vestibulis: nondum enim fuisti dignus, qui ingredereris superna regna. Nam si nescis earum instabilem, & perpetuo fluentem discernere naturam, quomodo eas poteris despiciere?

a Chryf. Hom. 87. in Matth. b Psalm. 16. c Galoss. 3. 1. d Chryf. Hom. 29. in c. 1. ad Cor.

M E T R U M XXXIII.

Non tot monstra cubant Tartareo in specu,
Non tot parit Lybia feras:
Quot curæ lacerant pectora divitum,
Quot opprimuntur fluctibus,
Magnatum requies exulat avriis,
Auro bibuntur toxica.
Nec mentis solida præliæ sopiunt
Fasces, opes, & purpura.

liiii

Ab! regnum miseri, veraque gloria,
 Qua sedē lateat nesciunt.
Rex est, & tumido diuor Atlalo,
Rex esse qui potest sui.
Hæres ipse sui possidet omnia,
Qui se obsequentem possidet.

Rectè Augustinus *e*, Venenum charitatis est spes adipiscendarum, aut retinendarum rerum temporalium. Rectè item Bernardus *f*, quærat Paganus divitias, qui sine Deo vivit; quærat Judæus, qui terrenas promissiones accepit: sed quâ fronte magis, aut quâ mente Christianus divitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicavit? Avaritia, inquit Pater Romanæ historiæ *g*, fidem, probitatem, cæterasque artes bonas subvertit; & pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venialia habere docuit. Ideo Lycurgus auri, argentique usum velut omnium scelerum materiam sustulit, teste Justino *h* in historiis. Eleganter Maximus Tyrius *i*: Vir bonus es? mores tuos muta, improbitatem cole, & divitias consequeris. Lenō esto, aut caupo, prædo; aut veterator, perfidus, aut sycophanta, pretio æquum, bonumque perverte, honestati renuncia, dices. Per hanc viam ad opum fastigia, ad dignitatum culmen pervenitur. Virum, qui ascendit hunc gradum, ita describit Gregorius *k*. Alius contempta mundi superbia honores, atque dignitates hujus seculi decrevit vitare, ultimum appetit inter homines locum tenere, ut tantò excellentior inveniat in permanenti gloria, quantò humilior aspiciatur in transeunte vita. Ideo exultans in spiritu in domum Domini se mox iturum restatur, in cujus atrii consistit. Qua spe roboratus æternæ pacis præmia, bonorumque cælestium abundantiam commendat, & dulcissimæ exultationis verba depromit.

4. Quartus ascensionis gradus ab his, quæ foris sunt, ad teipsum te ducit. Divitiarum, ac dignitatum exuta sollicitudine corpus tuum castigare, sensus cohibere, perturbatos animi motus sedare, omniumque vitiorum carnalem debes reprimere concupiscentiam. Ut enim docet Eucherius Lugdunensis *l*, si unusquisque nostrum subdere sibi passiones studeat, & eminentia dominantis animi super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum construit, quo ad superiora conscen-

e Aug. l. 83. qq. qu. 36. *f* Bern. Ser. 1. de omnibus Sanctis. *g* Sallust. in Catilin. *h* Justinus l. 3. *i* Tyrius Sermon. 30. *k* Greg. hom. 20. in Ezech. *l* Eucher. hom. 1. de Ascens.

dat. Sublimabunt nos, si fuerint infra nos: de nostris etiam vitiis scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Ideo docet Apostolus dicens *m*: Castigo corpus meum, & in servitium redigo. Nam, ut scribit in moralibus B. Gregorius *n*; tantò melius mens ad superna appetenda componitur, quantò corpus ab illicitis artibus edomatur. Quemadmodum passerulus pede alligatus, ait sanctus Maximus Monachus *o*, & Martyr, volare incipiens in terram funiculo detrahitur: sic quoque mens nondum affectibus liberata, & ad rerum cælestium cognitionem volare contendens ab affectibus ducitur, & in terram detrahitur. Sententia Domini est, non posse discipulum ejus esse, qui non odit animam suam *p*: Et qui perdidit animam suam, salvam faciet illam *q*. Beati quos nulli metus terrent, exclamat Rom. Orator *r*, quos nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. Ut enim maris tranquillitas intelligitur, nulla, ne minima quidem aura fluctus commovente; sic animi quietus, & placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est, qua moveri queat. Carnem igitur spiritui subjice, coërce vagam sensuum licentiam, pravos animi motus comprime, exhibe membra tua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: hac enim ratione purificatus non jam ad montes, sed ad ipsum Deum oculos erigere, & Divinæ misericordiæ feliciter poteris appropinquare, sicut dicit Psalmus, *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis*. Opprobrium quidem abundantibus eris, & despectio superbis, qui præsentia diligentes, futura aut negligunt, aut non credunt: cunctas tamen molestias & irrisiones hoc uno remedio superabis, si semper oculos habens ad Dominum elevatos exclames, Miserere nostri Domine, miserere nostri.

5. Quintus gradus ascensionis perficiens incipientium in omnimoda proprii judicii, propriæque voluntatis abnegatione consistit. Tantum enim virtuti adjicit homo, quantum propriæ voluntati, proprioque judicio subtrahit. Voluntatem verò propriam eam dicit esse Bernardus *s*, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum: quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fra-

m 1 Cor. 9: 27. *n* Greg. mor. l. 1. c. 28. *o* Max. cent. 1. de Char. c. 85. *p* Luc. 14: 26. *q* Luc. 9: 24. *r* Cic. 5. Tusculan. *s* Bernard. Ser. 3. de Resurrect.

fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Quid autem odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset propria voluntas, & infernus non erit. Et post pauca proprium etiam consilium, propriumque iudicium perstringens, illorum esse ait, qui zelum Dei habent, sed non secundam scientiam, sequentes errorem suum, & obstinati in eo, ita ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt unitatis divifores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis, ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere. Epictetus Stoicus, cuius doctrina Evangelicam redolet disciplinam, sic de propria voluntate scribit. Si talis sit nostra voluntas, qualem ipsam esse oportet, unicum nimirum id bonum erit nostrum: si secus sit affecta, unicum, solumque erit malum nostrum. Cæterum si ad hunc gradum felici progressionem pervenisti, nil boni tibi arroges, ne ruinosam deceptus præsumptionem præcipites. Dic autem cum Psalmographo: *Nisi quia Dominus erat in nobis, forsitan homines degluisissent nos.* Cœnosum, & rapidum pertransisti tormentum, terrenorum affectuum infectionibus forditatum: aquam evasisti humanis viribus impertransibilem, ab illo scilicet adjutus, qui Petro Apostolo fluctuanti manum, ne mergeretur, extendit: contrito laqueo ereptus es, sicut passer ab insidiis inimici: ac propterea Psalmi devotionem assumere debes, & dicere: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit caelum, & terram.*

t Epictet. apud Arianum l. 4. cap. 5.

M E T R U M XXXIV.

O Curas hominum, stultaque pectora!
O quam desipiunt, qui nimium suo
Credunt arbitrio, qui sapiunt nimis!
Quam desideris difficile est modum
Et metam propriis ponere sensibus!
Nescitis cupidi quo lateant loco
Mundi prosperitas, veraque gaudia;
Felicem Tyria non faciunt opes,
Non gemma, & Perues munera divitis,
Non regni solium, rubraque purpura.
Sed lætis suis ut conditionibus
Aternis inhiat semper honoribus,
Qui prudenti timidus edomuit metus,
Fædoque imposuit fræna Cupidini,

*Nec vultum vario fugit ad improba
Plebis consilium, nec popularibus
Arctatur studis, quem sapientia,
Et virtus solidi pectoris hospita,
Quem simplex probitas, nusquam veritas,
Quem firmat pietas, & irveus pudor.
Quem fluctus tumidi non quatunt freti,
Non missum supero sulmen ab aethere,
Non vultus procerum sæva minantium.
Qui tuto latrans eximius loco
Intra se placidus conspicit omnia.
Quem non ambigu dura necessitas
Fatis terrefacit, nec queritur mori.
Hic felix nimium, solus & onibus
Per nubes medius percitus impetu,
Sublimem intrepidus transiit polum.*

6. Libet autem in fine horum graduum ad eos spectantium, qui purgantur à vitiis, Guericci Abbatis aurea verba usurpare. O quam felix est, de quo dici potest: *Impleti sunt dies purgationis ejus*, ut jam nihil aliud ei superfit, nisi ut ferant eum in Hierusalem supernam, & sistant eum Domino. Et quidem dies, qui ad purgandum nobis dati sunt, velimus nolimus, implemus: sed vix nobis, si dies implentur, & purgatio minimè impletur: ut postea necesse sit illo nos igne repurgari, quo nihil pœnalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita excogitari potest. Heu quanta dierum incuria est, dierum scilicet, qui nobis ad purgationem concessi sunt! Quam pauci reperiuntur, qui tempori pretium ponant, qui cogitent apud se, quantum valeat dies una ad purgandam animam, ad comparandam æternitatem? Ut autem quis cognoscat, an sit perfectè purgatus, debet diligenter advertere, adeptus fuerit an non strenuitatem, severitatem, & benignitatem. Porrò strenuitas est quidam vigor animi omnem excutiens negligentiam, & disponens animam ad bona opera diligenter, & accuratè faciendâ. Severitas omnem restringit concupiscentiam, & ferventem reddit animam ad amorem asperitatis, & paupertatis. Benignitas est quidam dulcor animæ excludens omnem iracundiam, invidiam, & nequitiam, habilitans animam ad benevolentiam, tolerantiam, & internam lætitiâ. Et hic est terminus viæ purgativæ, nam omnis conscientia munda læta est, atque tranquilla, & secunda mens quasi juge convivium. Agnovit hanc animi purgationem vir Ethnicissimus, sed profundæ doctrinæ Plotinus x, atque

Iiii 2 que

x Gueric. serm. 6. de Purific. u Plotin lib. 2. ex cap. 5.

que inter cætera purgationis indicia habet; Timorem expellet omnino, nulla enim de re metuet: motum verò subitum expellet, nisi quatenus admonitionis loco sit. Cupiditatem turpium procul dubio non habebit: esculentorum quoque, & poculorum ad remissionem doloris ipse animus non habebit: sin autem habuerit naturalium dumtaxat ut arbitror, ita tamen ut neque inconsultum hæc habeant impetum. Quod si habeant, quatenus cum phantasia solum, hæc quoque præfigurata. Omnino autem ipsa ab his omnibus erit pura, volente etiam irrationale purum efficere, adeo ut ne commoveatur quidem, aut saltem quam minimè, commotionesque illius statim ipsa propinquitate sedari queant, perinde ac si quis sapienti propinquans ipsa propinquitate aliquid ab ipso percipiat, vel similis illi factus, vel reveritus, ut nihil audeat facere eorum, quæ bonus non ausit. Non ergo erit pugna. Hæc Plotinus. Utinam sordes abluat animæ meæ, qui solus potest facere mundum ex immundo conceptum semine, qui lavat omnia peccata nostra, & projicit in profundum maris omnes iniquitates nostras. Utinam illius aquæ cælestis, quæ super cælos est, participio lotus, totus cælestis efficiar, quæ sursum sunt quærens, non quæ super terram. Quid mihi cum aquis inferioribus, ut desiderem aquam cœnolam fluviorum Egypti, quæ nec abluere potest, nec sitientem animam refocillare? Congregentur in locum unum aquæ istæ, & appareat arida: appareat inquam facies terræ, facies cordis mei terreni à virtutibus emundata, & ab aquis foetentibus expurgata, & germinet herbam virentem, & omne lignum pomiferum juxta genus suum: nec enim arida remanere poterit, sed fecundata imbre cælesti florebit, germinabit, & fructum afferet in patientia.

§. III.

Quinque gradus proficientium: virtutes omnes acquirere, virtutum exemplar aliis esse, justitiam vias docendo demonstrare, se humilem in omnibus exhibere, omnes irrisiones, & detractiones patienter ferre.

1. **M**acte animi virtute fidelis ascensor, nec te ea quæ dicta sunt perturbent, ait Climacus: nemo unquam repente uno simul passu

y Climac. gr. 25.

scalæ gradus omnes conscendere potuit. Jam à malo declinasti, jam spinosum incipientium iter cucurristi: nunc à vitiis purgata mens virtutibus ornari debet. Quid enim juvat, ut sapienter Chrysostomus & scribit, quod omnes spinæ sunt amputatæ, si non sint dejecta bona semina? Non sufficit recessus à malo, ut in bonorum finis possessione. Nam si spinis evulsis terra maneat otiosa, herbas rursus inutiles germinabit. Est hic igitur proficientium gradus primus, omnium virtutum acquisitio. Solæ faciunt virtutes beatum, inquit Macrobius *a*, nullaque alia ququam via hoc nomen adipiscitur. Nempe ille beatus est: *b*

*Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent: qui pectore magno
Spemque, metumque domat vitio sublimior omni,
Exemptus satis, indignantemque refellit
Fortunam, dubio quem non in turbine rerum
Deprendes suprema diis, sed abire paratum,
Ac plenum vita.*

Sola virtus, ut verbis Itar Isidori Pelusiotæ *c*, præclaram, & nunquam intermotituram gloriam obtinet, ut quæ nec venustati cedat, nec oblivione conteratur, nec marcescat, verum recentem semper, ac vegetam, & florentem dignitatem habeat: ac proinde prudentibus viris omnibus viribus enitendum est, ut eam adipiscantur. Nam ut sapienter scripsit quidam *d*, virtutis ignorantia mors animæ est. Nec te terreat difficultas ascensus, quandoquidem, ut ait Poëta *e*

Ardua virtutem profert via.

Quid enim dicit Psalmus? *Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Hierusalem.* Qui proficiendi desiderio infatigabiliter ad ulteriora sese extendere conatur, tamen in principio asperum iter, pugnam laboriosam experiatur: quæ tamen amplius progreditur, tantò magis habilitatur ascensui: & quò magis decertat, eò firmior, & robustior evadit, donec virtutis illectus pulchritudine insuperabilis omnino sit, & coronæ propinquus. Ipsi montes, ad quos prius oculos levaveras, ipsi, inquam, in circuitu tuo malos homines elongabunt à te, ne fortè pravis eorum moribus, & exemplis in ruinam traharis. In hac spe singulariter constitutus perge securus, qui

z Chrysost. hom. 36. ad Ephes. a Macrob. in som. Scip. lib. 1. c. 8. b Statius lib. 2. Sylv. v. 357. c Isidor. Pel. l. 2. Epist. 286. d Aeneas Gazæus in Theophrasto. e Silius Ital. l. 2. punic. v. 574.

qui sancti desiderii primitias jam habere meruisti: memineris scriptum: *Regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Porro Regnum caelorum regnum virtutum est, quod cum adeptus fueris, requiescet super te in fine hujus Psalmi promissa pax, quam nec mundus dare, nec mundanus recipere potest; pax exuperans omnem sensum, omnia vota transcendens.

2. In excelso virtutis fastigio collocatus ad secundum pervenies gradum, ut proximo tuo teipsum exhibeas virtutum omnium perfectissimum exemplar. Nam, ut scribit elegantissimè Hildebertus Turonensis Archiepiscopus, citra profectum proficit, quisquis alteri cum potest non prodest. Magis autem profunt exempla, quam mores, & ut docet Salvianus g, Procurator est quodammodo salutis humanæ, qui non tantum id agit, ut ipse bonus sit, sed efficere & hoc nititur, ut alii mali esse desistant. Auctor est bonorum sequentium, ait quidam h, qui reliquit exemplum. Et alius sapiens i nil sibi optatius esse asseverat, quam quod sit ad recta tendentibus propositus quasi exemplar. Laurentius Justinianus k rem istam sic eloquenter pertractat: Quantum excitent ad virtutum studia virtutum exempla eos, qui Deo placere volunt, atque virtutibus ornari peroptant, quisque sapiens sufficienter intelligit. Erigitur namque humana fragilitas, & opportunè corroboratur in opere exemplis majorum, atque quotidie animatur ad melius Patrum rememoratione virtutis. Stude igitur omni qua vales industria morum splendore nitescere, ut Dominicæ oves ex te quotidie ædificentur videntes in te lumen fidei, spei longanimitatem, ardorem charitatis, cordis innocentiam, justitiæ zelum, amorem fraternitatis, pudicitiam constantiam, tolerantiam laborum, dilectionem inimicorum, patientiæ robur, studium humilitatis, vitæque omnimodam integritatem. Tunc laudabiliter poteris Psalmum istum decantare, quo conversa in libertatem captivitas Diaboli commemoratur. Tunc replebitur os tuum gaudio, & lingua exultatione. *Tunc dicent inter gentes, Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.*

3. Post virtutum exhibitionem sequitur tertio loco sapientiæ illuminatio, ut sis potens verbo rudes edocere, & rectas justitiæ vias cunctis

hominibus bonæ voluntatis efficaciter demonstrare. Multo enim majus beneficium eis conferes, si inscitia liberaveris animum, quam si corpus ægritudine, ut Socrates asserit apud Platonem l. Hinc Simandius, teste Diodoro m, suam Bibliothecam hac Epigraphe prænotaverat, *Animi medicamentum.* Debet autem Doctor perfectus similis esse Athenodoro Philosopho, cujus doctrinam Sallustius apud Suidam igni comparabat omnia adjacentia, & propinqua incendi. Debet virtutibus ornatus esse, ut Magnus Basilius n luculenter ostendit, cujus universæ totius vitæ actiones testimonio sint charitatem in eo erga Deum inesse, qui divinarum literarum scientiam habeat, vir integer, nec ulli distractioni indulgens, ab avaritia abhorrens, minimè libenter gerendis se negotiis admiscens, quietus, amans Deum, cui denique nihil sit præstantius honore Dei. Debet doctrinam moribus confirmare: nihil enim, ait Elias Cretensis o, sermone firmius est, qui rebus confirmetur. Quod si eloquium tuum ignitum plures converterit ab errore viæ suæ, vide ne tibi surrepat inanis gloriæ perniciofa præsumptio, sed omne bonum Divinæ tribuens dispensationi Psalmum sequentem recitare memineris, quia *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* Inanis gloria subtilissimum venenum est omne bonum inficiens. Inter homines quidem terrenis affectionibus alligatos absque inani gloriatione nihil eximium, nihil dignum memoria geritur, ut Ælius Aristides p subtilissimus, & suavissimus Orator multis exemplis ostendit. At Christianæ perfectionis cupidus nihil credens humanam industriam prævalere, quidquid boni facit, Deo adscribit, & psallit cum Propheta, quia *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Non tua, sed Domini hæreditas sunt filii, quos fortasse per Evangelium genuisti: atque sicut sagitta de manu potentis egressa magna celeritate currit, & percutit; ita filii excussorum Divinæ, non tua virtute ad destinatum sanctitatis scopum perducti sunt.

4. Hactenus quasi alter Helias non curru igneo, sed gradibus subvectus virtutum cælum mysticum conscendisti. Cavendum nunc est, ne carnis pondere depressus ad terrena labaris:

Iiii 3 quo

f Hildebert. ep. 1. g Salvian. lib. 7. h Symmach. l. 9. Epist. 25. i Plinius l. 6. Ep. 11. k Justinian. lib. de regim. pralat. cap. 13.

l Plato in Hippia. m Diodor. lib. 1. antiq. cap. 1. n Basil. orat. de renunc. o Elias in ora. 19. Naz. nu. 17. p Aristid. or. de paraphr. h. g. mat. tom. 30.

quo altior es, ed gravior ruina erit, si cadas. Esto igitur quartus gradus tui profectus humilitas. Nam, ut Magnus docet Gregorius *q*, qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat. Bonus fundus humilitas, ait Bernardus *r*, in quo omne ædificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino. In humilitate summum bonum statuit Antisthenes referente Clemente Alexandrino *s*. Sed & Manuel Palæologus *t* Imperator Constantinopolitanus summus Princeps ingenii in laudes humilitatis effusissimus; Humilitas, inquit, accuratum præsidium est bonorum omnium, virtutumque terminus, & requies, & portus salutaris, & locus tutus. Humilitas Divinum quiddam, multisque celebratum laudibus, nulla non parte venusta, & incomparabili cum pulchritudine circumiens, omnes ad se pertrahit, & in amorem sui pellicit. Propterea Psalmus huic gradui correspondens beatos prædicat omnes, qui timent Dominum, qui ambulam in viis ejus. Quæ sunt viæ Domini, nisi viæ humilitatis? Discite à me, inquit *u*, quia mitis sum, & humilis corde. Reputa ergò te omnium infimum, & abjectissimum, ut illius sequaris vestigia, qui dixit *x*: Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Beatus eris, si hæc feceris, & videbis bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Porro humilitas in silentio conservatur, imò, ut dicit Philippus de Claravalle *y*, humilitas silentium parit. Humilitas, ait ille, virtutum Regina primogenitum filium suum silentium parit, in quo, & de quo cultus justitiæ pendet.

5. Tandem profectum tuum coronans quintus gradus est patientia, cujus vinci victoria est: si videlicet omnes detractiones, irrisiones, contemptus, contumelias, & persecutiones patienter, & mansuetè sustineas. Patientia est, inquit Cyprianus *z*, quæ nos Deo & commendat, & servat: ipsa est quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis imperum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium similitatis extinguit, coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet: tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laboriosam castitatem, in conjunctis & maritatis individuum

q Greg. in Psal. 3. Penit. *x* Bern. lib. 2. de Consid. *s* Clem. Alex. l. 2. Strom. *t* Manuel Palæol. or. 7. *u* Matth. 11: 29. *x* Psalm. 21. *y* Philip. Clar. præf. in lib. mirac. sancti Bern. *z* Cyprian. de bono patientiæ.

charitatem: facit humilem in prosperis, in adversis fortes, contra injurias, & contumelias mitis: docet delinquentibus citò ignoscere, si ipse delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passionem, & martyria consummat. Ipsa est, quæ incrementa spei sublimiter provehit: ipsa actum dirigit, ut tenere possimus viam Christi, dum per tolerantiam gradimur: ipsa efficit ut perseveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur. Hæc eloquentissimus Cyprianus. Nihil autem utilius accidere potest homini, ut Abbas Lætiensis *a* sapienter docet, quam tribulatio sive sit externa, sive interna: & nullum certius signum Divinæ electionis habetur, quàm si quis afflictionem, vel quicquid adversi à Deo immititur, humiliter patienterque sustineat. Optimè Lucifer Calaritanus *b*: Ad æternam vitam perfructandam nos perventuros scientes omnia gratanter perpetimur, damna corporis lucris animæ repensamus, coronam in vulneribus computamus, de tormentis, & doloribus illatis in Christo triumphamus. Inter ingruentes itaque adversitates, inter crebras afflictiones, sæculique molestias constanti fervore perseverans cantabis Domino, & dices: Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi. Cedent, cedent diabolicæ fraudis machinamenta: arefcent, & confundentur impij, cum viderint perfidiam suam bonorum constantia superari. Forti animo esto, & agere, & pati fortia Christianum est. Præclare quidam Ethnicus *c*: sic parati esse debemus, ut quicquid acciderit, nihil animo sit novum.

a Lud. Blostus Instit. spirit. c. 8. *b* Lucifer. lib. 6. ad Constantium. *c* Ulpianus Rhetor in 1. Demosten. Olynthiacam.

METRUM XXXV.

Seu tibi blanda speciosa vultu
Fortuna sæpe rideat.
Sive te sævis agitet procellis,
Divisque civis implicet.
Disce fatalem superare sortem,
Omnemque casum vincere.
Nulla te sursum vehat aura, nullus
Te mæror infra deprimat.
Mitius dira ferient sagitta,
Si te paratum torqueant.
Justus, & mentis solida futurum
In pace bellum præparat.

*Si riuat mundus, pelagusque terra
Undas iuvenes misceat.
Si polus flammis rapidis cremetur,
Si monstra seuiant stygis.
Spernet hic stultos populi tumultus,
Spernet fragores fulminum.
Et per angores percussis orbis,
Fragmenta calcans atheris,
Transiet constans, timidosque latius
Cernet cadentium metus.*

Ad hunc gradum qui pervenerit, cognoscet in hoc terminum sui profectus, quia patientia opus perfectum habet: illique debetur corona, qui legitimè decertans devotus Deo permanet inter flagella.

§. IV.

Quinque gradus perfectorum: Orationis studium, purissima intentio, in omne bonum magno impetu ferri, velle semper quod vult Deus, adherere Deo, & unum fieri cum eo spiritum intimo charitatis affectu.

I. EO potissimum spectat Prophetalis iste ascensus, ut paulatim altiora petens, indicia nobis tuæ perfectionis ostendas. A vitiis purgatus, virtutibus illustratus ut sis; hætenus tamen profecisse non sufficit: quinque supersunt perfectorum gradus, quinque scilicet ornamenta, quibus animam amiciri par est, antequam Divino conspectui præsentetur, & unus cum Deo spiritus efficiatur. Primitus sese offert sedulum orationis studium, externas nimirum deserere occupationes, pauca cum hominibus, plura cum Deo miscere colloquia, quoniam in ipso sunt omnia. Oratio, inquit Elias Monachus *d*, clavis regni cælorum est. Oratio nuda orantes tanquam panis confirmat: quæ cum aliqua contemplatione conjuncta est impinguat: quæ vacat specie, & simulacris vini odorati instar est, quo repleti insatiabiliter admirantur, & obstupescunt. Ibi remedium vulnerum, ait Bernardus *e*, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum: ibi profectuum copiam, ibi denique quicquid accipere, vel habere hominibus expedit, quicquid decet, quicquid oportet. In hoc gradu collocatus Propheta se piæ in Psalmo humilitate profert, quia iustus in principio orationis accusator est sui. Consciis conditionis hu-

mana clamat de profundis ad Dominum, quia tantò se celerius credit exaudiri, quò profundius humilitatis penetralibus sese abdiderit. Quia verò cognoscit se nullatenus culpas posse deserre, quin otioso sermone delinquat, vel superfluis excedat cogitationibus, aut inanibus actibus occupetur; ideo misericordiam Domini, & copiosam ejus redemptionem desiderat, quo purior valeat purissimi Regis conspectui præsentari.

2. Jam qui assiduè cum Deo versari in suavissima orationis quiete didicisti, ad alterum gradum properare debes, ut, quicquid boni cogitas, dicis, vel operaris, id totum sincerâ ac purissimâ intentione ad solam Dei gloriam dirigas, non tuum commodum quærens, non gloriam tuam appetens, non auram captans popularem, non propriam desiderans consolationem. Ita quod omnium actionum tuarum basis, amulsis, & fundamentum sit Dei solius honor, & gloria. Quid enim mihi est in celo, ait Propheta *f*, aut à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Clarè de hoc Bernardus *g*: Puritas intentionis hæc est, ut simplex oculus totum corpus lucidum faciat, ut, quicquid feceris, propter Deum facias, & ad locum unde exeunt gratiæ revertantur, ut iterum fluant. Optimè etiam exclamat Richardus *h*. O quoties ipsam veritatem non pro veritate, sed pro vanitate quærimus: & inventam veritatem non in veritate, sed ad vanitatem diligimus, &, quod miserimum est, in verbis vitæ ad mortis lucra negotiamur! Non sic fidelis servus, non sic, sed de bonis operibus nihil arrogans sibi, psallit Domino cum Propheta, *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.* Rectam enim intentionem comitatur humilitas, cujus prævaricator à Divinæ suavitatis gustu, sicut infans à maternis uberibus, excludetur.

3. Hoc posito bonorum operum solidissimo fundamento ad tertium gradum provehi necesse est. Hic autem præparandus est animus, non tam ut agas, quam ut patiaris. Opera spiritus ingenti fervore perficere, & in omni bonum magno impetu ferri tertius est gradus, quem non incongruè tertium cælum dixeris, ad quod raptus Apostolus audivit arcana verba,

f Psalm. 72. *g* Bern. serm. 3. in vigil. Nativit. *h* Richard. Viêt. de erud. bon. int. lib. 1. c. 3.

d Elias in Florilegio. *e* Bern. serm. ult. sup. Cantica.

quæ non licet homini loqui. Intelligentia namque humana, ut subtiliter docet Richardus Victorinus; divinitus inspirata, & illo cœlesti lumine irradiata aliquando sublevarur supra propriam scientiam, aliquando etiam supra industriam, aliquando autem etiam supra naturam. Cœlestis enim desiderii ardor cum vehementer exæstuat, animam Divino amore fervidam per violentiam ardoris sublevar ad superiora. De tali anima rectè illud intelligimus, quod in Cantico scriptum est: *Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora consurgens?* Quæ quidem aurora sequentium graduum incremento dilatabitur, donec in diem definat splendidissimam, in diem illam, quæ melior est in atriis Domini super millia. Vide autem num illi, qui ejusmodi est, possit consequens Psalmus convenire, *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Votum enim vovit se requiem non habiturum, donec inveniat locum Domino; dignumque Deo Jacob tabernaculum ædificet in seipso, in quo ipse Dominus, cum sanctificatio effloreat, requiescet. Prolixior cæteris est Psalmi hujus modulatio, quæ mysticæ ascensionis concinit sacramenta, & fidelem ascensorem ad celsioris sanctitatis augmentum perducit.

4. Et quidem hucusque pervenisse magna delectatio mentis est, magnum gratiæ incrementum. Sed nunquid hic præmatura statione commemorandum? Absit. Sed quid dicit Scriptura? *Anice ascende superius.* In hoc ascensu mirantur sancti animæ tuæ anagogicum provectum, & dicunt: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, immixta super dilectum suum?* Inniti enim super dilectum, cum Dei voluntate in omnibus concordare, à Divino beneplacito in nulla penitus re dissentire, verbo ut dicam, velle semper quod vult Deus, sublimis Philosophia est, quam ad quartum gradum promoti totis debent viribus profiteri. Hanc sapientiam perimus, cum dicimus in oratione, *Fiat voluntas tua.* Hanc docuit Christus, cum oravit ad Patrem, *Non mea, sed voluntas tua fiat.* Hac omnes sancti Dei excelluerunt illud jugiter clamantes, *Domine, quid me vis facere?* In hac salus, & vita, pax, & gaudium sita sunt; fastigium, & culmen Christianæ perfectionis. De hac conformitate humanæ voluntatis cum Divina libellum edidit Hieremias Drexelius,

i Rich. lib. 5. de contempl. c. 4. k Cant. 6:9. l Luc. 4:10. m Cant. 8:5.

quem nunquam satis laudare valeas. Ex hoc disces quicquid de hac re, vel veterum Patrum monumenta continent, vel sanctorum exprimum exempla. Hanc sapientiam qui possederit, verè poterit Psalmi dulcedinem experiri, verè poterit sapienter psallere, *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum: quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in seculum.*

METRUM XXXVI.

Hoc fixum est mihi Numinis verendas
Leges, ac nutus, jussaque sancta sequi.
Vultus nam vero pendulos ab illis,
Meta voluntati figitur ista bona.
Deprensa ut pelago levis carina,
Horrida præcipiti bella movente Notò,
Sidus Parthasie requirit urse,
Tutor ut dubium navis vaga vadat iter,
Arctos sic mihi erit Dei voluntas,
Seque mea hoc semper sidere vita roget.
Seu languore velit, malaque febris,
Fractaque continuo membra dolore premi.
Seu me pauperie imperet gravatum
Libera servili subdere colla iugo.
Seu duro jubeat labore iungi,
Reddere & ingenua sordida pensa manu.
Nil scdum, nihil estimabo durum,
Quamvis ille novis sæviat usque modis.
Quod si me jubeat lacus nefandis
Quos merui noxæ sponte subire stygis;
Ab! mallem stygias Deo jubente
Pœnas, quam celsi splendida regna Poli.
Calorum proceres, calique regna,
Quid mihi vobiscum, si meus absit Amor?
Ut solem Clytie aspicias fugacem,
Pavidus Eoo, claudatur occiduo.
Sic Sol est mihi Numinis voluntas,
Hac sine cuncta mihi non tenebrosa forent.

5. Ite nunc humanæ vitæ calamitates, ite brutalium affectuum perturbationes, nunc ceddendum est triumphanti. Ad cœlestis fastigium virtutum gradibus perventum est, ad finem, qui nullis limitibus terminatur, ad summum, totius perfectionis cacumen. Stat Dominus in iuxta scalæ, ut animam amoris igne candentem sibi intimè uniat, & indissolubili charitatis nexu secum conglutinet. Teste enim Climaco *charitas est, quam in summitate scalæ vidit Jacob.* In hac intima cum Deo unione postremi gradus ascensio consistit, cujus dignitas tanta

n Climac. 27. 30.

tanta est, ut nec linguis hominum, nec Angelorum exprimi possit. Anima siquidem ad hunc statum erecta Divina claritate, quæ à Deo refultat, miro modo afficitur, & à Deo sibi intimè unito succensa se Dei genus esse demonstrat, sicut ferrum, dum candet, mirificè ignem repræsentat, & illius proprietatibus pollet. Ejus verò potentia in quandam vastissimam, ut ita dicam, Divinitatis solitudinem introducuntur, ubi voluntas Deum ineffabili sensu percipit, & intellectus amissa omni rerum distinctione, ac varietate, cunctasque imagines etiam nobilissimas transcendens Deum sapientissimè ignorans contemplatur: non enim illum clarè intuetur, ut in patria; sed excelsò ignorationis genere, illa videlicet irrationali, & amente sapientia à S. Dionysio Areopagita o tantopere celebrata ipsum divinitus agnoscit. Gustaverat celsitudinis hujus suavitatem Richardus Victorinus p, qui loquens de hoc statu dicit: O alta quies, o sublimis requies, ubi omne quod humanitas moveri solet motum omnem amittit: ubi omnis qui tunc est motus divinitus fit, & in Deum transit. O illos verè beatos, de quibus scriptum est, Ego dixi dii estis, non natura, sed gratia; non essentia, sed participatione, qui videlicet unum sunt cum Deo in infinita, & inexhausta charitatis ejus abyssò. Hoc est illud unum, quod solum esse necessarium edocuit Christus: hæc est meta, hic finis, ad quem tendere debemus: hæc jucunditas, hæc requies, hæc beatitudo animæ nostræ. Omitto plura hujus unionis, eaque abdita, ac inexpertis incredibilia mysteria, mysticos scilicet contemplationis excessus, lucidissimum Divinitæ caliginis lumen, arcani secessus admirabile silentium, quietissimæ suspensionis securam tranquillitatem, ebrietatis spiritualis insolitos effectus, purissimi amoris oscula, castissimos amplexus, placidum somnum, extaticos raptus, amantis animæ languores, vulnera, mortem, & quam Theologi mystici explicant, quandam sui ipsius annihilationem, & totalem in Deum transformationem. Hæc secretioris sapientiæ sacramenta ignaris relata fidem amittunt, iisque dumtaxat perspecta sunt, qui in hujus quintodecimi gradus summitate tranquilla pace fruuntur. Ultimus autem Psalmus Gradualis ad hanc ultimam perfectionem invitat dicens, *Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini: in noctibus extollite manus vestras in sancta*. Mundi enim hu-

jus durante caligine Dominum jugiter quærere, & laudare debemus nostrasque semper operationes illuc sedula attollere intentione, unde supernæ benedictionis plenam accipere mercedem mereamur. Hanc sublimem Psalmorum Gradualium intelligentiam, dum eos ex Ecclesiæ præscripto recitamus, solerti oportet consideratione perspicere, ut omni carnis imbecillitate submota de gradu in gradum usque ad ultimum culmen perveniamus, vires tribuente Deo, quem quærimus, ad quem tendimus, quem optamus, cui est honor, & virtus in perpetuas æternitates.

CAPUT XVI.

De Singulis Partibus Divinæ
Psalmodiæ.

Est hoc in more positum anatomicis dissectionibus, ut post exactam totius corporis, ejusque partium integritatum considerationem, alias etiam vel minimas particulas minutissimè dividant, & investigent. Hoc moris usurpandum mihi est in præsentiarum. Cum enim hætenus majores Officii Divini partes, horasque diurnas, atque nocturnas rudi, ac retuso ingenii mei gladiolo minuatim dissectas tuas, Lector, considerationi exposuerim; jam res ipsa nos admonet, ut de minoribus particulis, quibus unumquodque officium componitur, accuratam quoque tractationem instituam. Sed in tanta rerum sylva, quæ velut agmine facto sese offert ad dicendum, unde ordiar, aut ubi desinam? Ut enim omnia velle prosequi nimis prolixum erit: ita vereor, ne quædam relinquere incuriam, & errori adscribatur. Dicam igitur compendio, quæ magis convenientia videbuntur, & cum viam fecero lectoris industriæ, multa prætermittam. Ordinem servo, quem ipse horarum usus suggerit, paucis dumtaxat doctrinæ gratia immutatis. Sunt autem hæc capita, de quibus sigillarim disferendum est. De Oratione Dominica, Angelica salutatione, & Symbolo Apostolorum: De horarum initio, de signo Crucis, de Gloria Patri, Alleluja, Invitatorio, Hymnis, Antiphonis, Psalmis, Canticis, Versibus, Lectionibus, Responsoriis, Capitulis, & Collectis: de Symbolo Athanasii, de Lectione Martyrologiis de Precibus, & suffragiis, atque de fine Officii.

o Dionys. libro de myst. Theologia. p Rich. de extrem. mali tr. 3. c. ult.

S. I

De Oratione Dominica.

Ostenditur ex Patribus dignitas, utilitas, & efficacia huius orationis. Petitionum ordo, & congruentia ex D. Thoma. Quinam possint hanc orationem rite, ac jure recitare. Quoties, & quo ritu in Divinis Officiis recitetur.

1. **N**ULLA Oratio Dominica dignior, nulla utilior, nulla efficacior. Nam, ut ait eloquentissimus Cyprianus *a*, Quæ potest magis spiritualis esse oratio, quam quæ à Christo nobis data est, à quo nobis & Spiritus S. missus est? Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ à Filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est? Ut aliter orare quam docuit non ignorantia sola sit, sed & culpa, quando ipse posuerit, & dixerit: *Rejicite mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis.* Oremus itaque sicut magister Deus docuit. Amica, & familiaris oratio est Deum de suo rogare, ad aures ejus ascendere Christi orationem. Agnoscat Pater Filii sui verba cum precem facimus. Qui habitat intus in pectore, ipse sit & in voce. Et cum ipsum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba ponamus. Nam cum dicat, quia quodcumque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis: quanto efficacius impetramus quod petimus, si petamus ipsius oratione? Hætenus Cyprianus, & ante ipsum Tertullianus *b*: Deus solus, ait, docere potuit, ut se vellet orari. Præstat igitur cæteris hæc oratio ob summam auctoris eminentiam, & dignitatem. O quam fidelis, inquit S. Chromatius, *c* & beata nobis hæc oratio est, cujus ordinem nobis doctor vitæ, ac magister cælestis instituit! Quam beati etiam nos esse possumus, si hæc orationis Dominicæ verba non tantum officio oris, sed fidelissimo conversationis actu fervemus! Præstat etiam gratissima brevitas simplicitate, ratione cujus facilius discitur, melius retinetur, frequentius iteratur, minus fastidit orantem, ut Doctor irrefragabilis & sapien-

a Cypr. ser. de Orat. Dominica. *b* Tertull. l. de orat. *c* Chrom. conc. 2. in Matih. *d* Alex. Aleasis 4. par. q. 10. tract. 2. §. 4.

ter advertit. Docuit autem nos Christus breviter orare, teste Chryologo *e*, qui citò vult postulata præstare. Perfectione item antecellit, atque fecunditate, quia, ut notat Augustinus *f*, comprehendit, quibus Deum interpellamus, aut pro appetendis bonis, aut pro vitandis malis, aut pro delendis commissis: Addit Tertullianus *g* quod quantum substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. Neque enim propria tantum orationis officia complexa est, venerationem Dei, aut hominis petitionem; sed omnem pene sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ, ut revera in hac oratione Breviarium totius Evangelii comprehendatur. Præstat demum utilitate, & efficacia. Spem habemus, inquit Augustinus *h* obtinendæ causæ nostræ, quando talis Jurisperitus nobis preces dictavit. Hac oratione levia, & quotidiana peccata deleri docet post Augustinum Divus *i* Cæsarius Arelatenfis, si compuncto corde, & animo contrito recitetur. Hanc memoriter sciri, & quotidie frequentari à fidelibus præcipiunt sacri Canones ***. Rursus sententia Augustini *k* est, Quamlibet alia verba dicamus, nihil aliud dici, quam quod in ista Oratione positum est, si rectè, & congruenter oramus. Ideò Thomas Aquinas *l* magna mens Theologorum hanc magni Doctoris sequutus sententiam septem petitionibus dictæ orationis omnia necessaria contineri hac ratione demonstrat.

2. Certum est, orationem desiderii nostri apud Deum fidelissimam interpretem esse. Omne autem desiderium primò in finem, tum in ea quæ sunt ad finem tendere solet. Finis noster Deus est, quem præcipuo affectu diligimus in seipso, ideòque petimus gloriam ejus, eum dicimus, *Sanctificetur nomen tuum*, ut ab omnibus videlicet cognoscatur, timeatur, ametur, colatur, & laudetur. Deinde nos ipsos diligimus in Deo ejus gloria perfrui cupientes, propterea subjungimus, *Adveniat regnum tuum*. Ad hunc ultimum finem dupliciter ordinamur, per se, & per accidens. Et per se quidem ad meritum beatitudinis principaliter facit obedientia legis, instrumentaliter verò panis spiritualis, & corporalis.

Quo

e Chryf. serm. 67 *f* August. ser. 182 de temp. *g* Tertull. de orat. *h* August. Hom. 42. inter. 50. Id. lib. 31. de civit. Dei c. 27. Et Ench. ad Laur. cap. 71. *i* Casar. Hom. 1. Clem. Rom. Const. Apost. lib. 7. c. 25. *** Sexta synod. Constantinsp. can. 7. *k* Aug. epist. 121. ad Probam. *l* D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 9.

Quo ad primum oramus, ut fiat voluntas Dei *Sicut in cælo, & in terra*: ut eadem promptitudine, qua Angeli, & Sancti in cælo, ita nos in terris Domino serviamus. Quoad secundum, *Panem nostrum quotidianum*, omnia scilicet subsidia ad vitam tam animæ quam corporis tuendam necessaria, *hodie*, id est toto tempore peregrinationis nostræ flagitamus. Media autem per accidens remotiones malorum sunt. Peccatum omnium malorum maximum est, à quo liberari ante omnia petimus dicentes, *Dimitte nobis debita nostra*. Sunt & tentationes variae, quæ nos impediunt, ne Dei præcepta servemus; rogamus igitur, ne Deus permittat ab illis nos superari: sed ita nobis semper assistat, ne unquam succumbamus. Sunt tandem mala præsentia vitæ hujus amaritudines amarissimæ, quæ nos vexant, & ad peccatum inducunt, impediuntque majus bonum, majoremque scilicet cum Deo unionem: atque hæc incommoda, & detrimenta in postrema petitione deprecamur.

METRUM XXXVII.

F *Allor? an excelso nemorosi è vertice montis
Me Deus ipse vocat?*

*Orantes, inquit, penetrata claudite cordis,
Sit procul omne nefas.*

*Nam Pater è clara nixi di caligine cæli
Abdita cuncta videt.*

*Sit modus hic precibus, longo sermone loquaces
Non amat ille viros.*

*Summe parens hominum, solio qui celsus olympi
Conseris astra pede.*

*Sit tibi laus, nomenque tuum venerabile pronus
Orbis ubique colat.*

*Magna triumphantis veniant cisò regna cohortis
Imperiumque poli.*

*Angelicis sociata chorus jura sequatur,
Quæ tibi cumque placent.*

*Da nobis hodie panem, da pabula gentes
Ne premat atra fames.*

*Fratribus offensas ut nos dimittimus, & tu
Omne remitte scelus.*

*Hosius tartarei vicios succumbere iniquis
Ne patiare dolis.*

*Sed cunctis relevet præsentibus, atque futuris
Nos tua dextra malis.*

3. Hanc Orationem, Isidorus Pelusita m ad Eutonium Diaconum scribit, illi soli ritè,

m *Isid. Pel. l. 4. ep. 24.*

ac jure recitare poterunt Deum Patrem appellantes, qui filiorum germanam indolem ostendunt. Illi poterunt dicere, *Sanctificetur nomen tuum*, qui nihil scelerati committunt. Illi & hoc, *Adveniat regnum tuum*, qui ea fugiunt, quæ Tyranno voluptatem pariunt. Illi & hoc, *Fiat voluntas tua*, qui ipsis factis huic se operam dare declarant. Illi etiam, *Panem quotidianum da nobis hodie*, qui luxui, ac deliciis nuntium remiserunt. Illi & hoc, *Dimitte nobis debita nostra*, qui veniam iis tribuunt, qui in ipsos deliquerunt. Illi & hoc, *Ne nos inducas in tentationem*, qui neque semetipsos, neque alios in eadem coniciunt. Illi & hoc, *Libera nos à malo*, qui cum Sathana perpetuum, & irreconciliabile gerunt bellum. Illi denique verè dicere poterunt, *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria*, qui ad ipsius verba contremiscunt, eaque re, & opere ostendunt. Non enim tantum efficere valet ipsa hujus precationis notitia, quantum mores, & vitæ precantis. Hæc & alia multa scitu dignissima Isidorus. O verè celestis Oratio, exclamat August. quæ tota est Oratio. Nam si singula verba, prout sunt, latius tractare voluerimus, dies antequam sermo deficiet. De Orationis hujus sacramento necessitate nos commentandi Cyprian. vir sanctæ memoriæ liberavit, ut scribit Hilarius Pictaviensis o. Sed & alii Patres, ac scriptores gravissimi eandem explicarunt, nimirum Tertullianus libro de Oratione, Gregorius Nyssenus Orationibus quinque de eadem, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi quinta, Chromatius Episcopus Aquileiensis concione secunda in Mattheum, Augustinus, lib. 2. de Sermonibus Domini in monte, libro item 2. de dono perseverantiæ, & in quibusdam sermonibus de tempore, Ambros. lib. 5. & 6. de Sacramentis, Hieronymus lib. 3. Dialogorum adversus Pelagianos. Chrysostr. tom. 5. hom. de eadem, Cassianus collat. 9. quæ est prima Abbatis Isaac, Chrysostr. ser. 67. & seq. Bernardus serm. 6. in Quadragesimam, Stephanus Eduensis lib. de Sacramento altaris, Bonaventura initio tom. 2. Henricus Harphius lib. 1. mysticæ Theologiæ cap. 34. Interpretes Evangeliorum ad cap. 6. Matthei, & 11. Lucæ. De eadem tractatum scripsit Ægidius Romanus. Sedulius lib. 2. carminum Paschaliū, hanc ipsam versu heroico explicavit. Eiusdem Paraphrasis anagogica habetur in mystica Theologia Henrici de Palma inter opera D. Bonaventuræ diffusè, devotè, & eleganter. Tandem, ut alios innumeros præter-

K k k k k 2 mittam,
n Aug. Ser. 126. de temp. 9 Hilari. can. 5. in d. 11. b.

mittam, eam sublimiter, ac mysticè *romo primo operum* explicavit Baptista Vernacia sanctimonialis magni spiritus, ac profundæ doctrinæ Ordinis Canonicorum Regularium.

4. His præmissis de præstantia, & necessitate sacræ hujus Orationis, jam videndum est, cur toties in publicis Ecclesiæ precibus repetatur. Mos Apostolorum fuit, teste magno Gregorio *p.*, ad ipsam solam oblationis hostiam consecrare: de qua re elegantissimè disserit proferens nova & vetera Theoph. Raynaudus lib. de prima Missa sec. 2. c. 4. Idem asserit Hieronymus his verbis *q.* Docuit Christus Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio audeant dicere: *Pater noster qui es in cælis.* In Officio autem Divino tribus modis repeti solet, in principio, in medio, & in fine: idque submissa omnino, & secreta voce; vel alta prorsus, & clara; vel partim tacita, partim elata. Et aptè quidem ab hac Oratione initium sumitur Officiorum, ut abactis ejus virtute muscis morientibus mens tranquillior facta ad pangendas Dei laudes præparetur, & devotiois suavitatem admittat. Aptè in medio usurpatur, quia totius Psalmodiæ brevem continet anacephalæosim. Aptè item in fine, ne ille hostis antiquus semen bonum Verbi divini, quod in Officii recitatione seminatum est, rapiat de corde nostro, & conceptum à facie Domini spiritum ardoris fumosis concupiscentiæ flammis extinguat. Quandoque verò submissa dicitur voce, ut interna cordis humilitas erga eum significetur, qui solus scrutator est cordium; simulque intelligamus non in clamore vocis, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri. Quandoque tacita, & in fine clara voce pronunciat, idque propterea fit, ut palam ab omnibus communi consensu confirmetur, quod unusquisque oravit sub silentio. Orant singuli pro omnibus, orant omnes pro singulis, ut fiat quod scriptum est: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* In Laudibus autem, & Vesperis ritu monastico clara semper voce dicitur à Præfato, sive à Sacerdote, quem ritum sequitur Romana Ecclesia in Adventu, & Quadragesima: tum quia omnibus modis laudanda Dei bonitas est; tum quia publica est, & communis omnium postulatio; tum quia unitatis, & pacis hoc solemnè recitatione admonemur, quam cum omnibus habere debemus,

p. Greg. l. 7. Indic. 2. epist. 64. *q.* Hier. l. 3. Dial. adv. Pelagian.

si cupimus exaudiri. Sententia Domini est: *Cum stabitis ad orandum, dimittite; si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra.* Hinc sapienter Monachorum magister *f.*; Planè, inquit, agenda matutina, vel vespertina non transeat aliquando, nisi in ultimo ordine Oratio Dominica omnibus audientibus dicatur à Priore propter scandalorum spinas, quæ oriri solent, ut conventi per ipsius Orationis sponsonem, qua dicunt: *Dimittite nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris,* purgent se ab hujusmodi vitio. Cæteris verò agendis ultima pars ejus orationis dicatur, ut ab omnibus respondeatur, *Sed libera nos à malo.* Noverat prudentissimus pater, vix fieri posse, quin aliquando in agro dominico superseminaret zizania inimicus homo, idèd reconciliari dissidentium fratrum animos voluit initio, & sine diei per solemnem jam dictæ orationis recitationem, satis existimans fieri fraternæ charitatem, si juxta præceptum Apostoli *r.* Sol non occidat super iracundiam nostram. Rectè Athanasius *u.*; Non retinebis offensam alicujus in corde tuo, alioquin precatio tuâ non purè ascendit: *Homo homini reservat iram, clamat mirabundus sapiens x., & à Deo quaerit medellam.* Cæterùm de dicenda hac oratione in fine horarum extat canon ex Concilio Gerundensi *y.* De eadem verò singulis horis prætermittenda nihil memini me legisse apud Patres antiquiores. Sanè Benedictus nec principii, nec finis mentionem facit, inter precum dumtaxat solemniam modo superscripto recitari decernens. Finio, si prius monero, quod Mimatensis Episcopus *z.* docet in Rationali, hanc orationem esse sal, & condimentum in omni sacrificio nostro juxta legis antiquæ sanctionem aspergendum. Non tamen damnari debent aliæ orationes ab Ecclesia approbatæ, & ab orthodoxis viris compositæ, de qua re plura non contemnenda scribit Abulensis *a.* Cautè igitur legendus, & piè explicandus est sanctus Edmundus *b.* ex Monacho Cisterciensi Cantuariensis Archiepiscopus, qui in speculo Ecclesiæ ad suos Pontiniacenses orationes à sanctis viris compositas reprehendere videtur: non enim eas simpliciter damnat

sed
v. Marc. 11: 15. *f.* Bened. reg. c. 13. *t.* Ephes. 4: 26.
u. Athan. l. de virginit. *x.* Eccl. 38: 3. *y.* De
conf. d. 5. Id. semper. *z.* Durand. l. 5. c. 5. *a.* A-
bul. in cap. 6. Matth. qu. 99. *b.* Edmund. spec.
c. 17.

sed formam orandi à Christo Domino propositam cæteris omnibus præferendam ostendit, quod nullus rectæ fidei inficiatur. Hoc sensu R. Moyses & Ægyptius vir doctus valdè inter suos in libro, quem directorem dubitantium, seu perplexorum inscripsit, stultos eos vocat, qui multiplicat, & prolongant Orationes, quas ipsi composuerunt, ut per eas appropinquent Creatori secundum suam æstimationem, & conculcant, inquit, Creatorem in linguis suis, quia nimirum inconvenientes orandi formulas componunt. Omnes autem Orationes præter Dominicam vaniloquium esse hæresis fuit cujusdam Basilii, quem Alexius Commenus orthodoxus Imperator ignibus damnavit, ut testatur Euthymius d. Sunt & Hæretici Masaliani, sive Bogomili, qui cæteras Orationes rejiciunt, & batologiam vocant, ut Constantinus Harmenopolus e scribit. Et quidem quoad sensum nihil aliud peti potest, quàm quod in Oratione Dominica continetur, quod autem pertinet ad formam verborum, multæ aliæ sunt Orationes utiles, & efficaces, quas sancti & orthodoxi viri composuerunt.

c R. Moyses lib. 1. cap. 58. d Euthymius in Panoplia.
e Harmen. de sectis num. 10.

§ II.

De Angelica Salutatione.

Ejus dignitas, & excellentia demonstratur.
Quando & à quibus fuerit instituta. Cur
in Divinis officiis recitetur.

1. **Q**uoties sese offert occasio de laudibus in-temeratae Virginis Deiparæ disserendi, vellem profectò, ut melle purior meus disfluere sermo, cunctaque corporis mei membra vertentur in linguas, quibus si non pro meritis ipsius (quis enim hoc possit illo excepto, cujus potestas non habet finem!) at saltem pro meo affectu clementissimæ Reginae prærogativas æternum duraturis præconiis celebrare. Sed quoniam peccatorum pondere pressus, rerumque labentiam amore coinquinatus sublimioris sapientiæ illapsu indignissimus sum, jure cogor præfari veniam, & linguam fari gestientem justii silentii repagulis cohibere. Dicent alii quibus ferentior illuxit cælestis gratiæ radius, dicent uberius illibatæ Virginis encomia, & Angelicæ

salutationis excellentiam copiosius explicabunt. Ego autem tenuitatis meæ conscius quæ ad meum faciunt institutum paucis expediam. Constat hæc salutatio duabus partibus, laude, & petitione. Prima pars ex Scriptura sumpta est, duosque habet auctores Angelum, & Elizabeth. Ab Angelo tanquam à primario auctore Angelicam nomenclaturam sortita est. Verba ejus hæc sunt: *f Ave gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus.* Ad hanc salutationem conceptissimis verbis componendam totius Trinitatis dignatio intervenit. Patris nimirum mitentis auctoritas, divini Verbi carnem humanam suscepturi sapientia, & sancti Spiritus Virginem obumbrantis operatio. Decuit sanè novam gratiam novi partus novâ salutatione annuntiar: nullam quippe similem in toto veteri instrumento reperies. Decuit novæ gratiæ inchoationem novis præconiis Evangelizari. In virginem adhuc Evam, inquit Septimius Tertullianus g, irreperat verbum ædificatorium mortis: in virginem æquè introducendum erat Dei verbum exstructorium vitæ, ut, quod per hujusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli, quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit. Similis est Irenæi sententia, quam refert Augustinus h; Quemadmodum astrictum est morti genus humanum per virginem, solvatur per virginem æquâ lance dispositâ virginali inobedientiâ per virginalem obedientiam. Hæc autem verba: *Benedicta tu in mulieribus*, & ab Angelo, & ab Elizabeth dicta fuerunt, ut idem verborum consensus spiritum veritatis eorum auctorem indicaret. Addidit Elizabeth sola; *Et benedictus fructus ventris tui*: Nam ab arbore benedicta non nisi fructus benedictus procedere potuit. Imò, ut Bernardus ait i, non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui; Sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Verè etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes: de cujus plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, etsi differentius à cæteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus: ille verò benedictus non in hominibus, non inter Angelos, sed qui est, ut ait Apostolus k, *super omnia benedictus Deus*.

K k k k k 3
f Luc. 1. g Tertull. de carne Christiæ. 17. h August. l. 1. contra Jul. Pelag. i Bern. Hom. 3. sup. Missus est. k Rom. 9: 5.

Deus in secula. Hinc primæ parti duo verba addita sunt ab Ecclesia, pretiosissima scilicet nomina *JESU & MARIE*. Angelus enim cum Mariæ præsentem loqueretur, nomen ejus tacuit, quamvis postea trepidantem, & dubiam confirmaturus familiariter compellârit ex nomine dicens; Ne timeas Maria. Elizabeth etiam nomen *JESUS* proferre non potuit, quod licet ab Angelo pronuntiatum, nondum tamen impositum erat. At Ecclesia utrumque nomen & Matris, & Filii merito expressit, ut dulcissimo matris nomine prolato ad reverentiam, & devotionem excitetur, nomine verò Filii ejusdem matris erga nos benevolentiam conciliemus.

2. Posterior pars his verbis exprimitur: *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ.* Hoc additamentum accepisse creditur magno totius Ecclesiæ gaudio Angelica saluatio in magno Synodo Ephesina, quando beatissima Virgo verè Mater Dei, verè *otio* summo Patrum consensu proclamata, & Nestorius portentosa blasphemiam auctor exautoratus, & damnatus fuit. Hanc salutationem à delirantium Novatorum calumniis vindicat multiplicis doctrinæ vir, & exquisitissimus Doctor Petrus Canisius *l.* Eandem ad Horas Canonicas simul cum oratione Dominica in principio adhiberi usus est non admodum antiquus. Jure communi nunquam statutum fuisse eam dici Martinus Navarrus *m* diligentissimus Canonum indagator affirmat. Ante Breviarium jussu Pii V. Pontificis Optimi Maximi reformatum in solo Breviario Cardinalis S. Crucis legebatur. An quia olim dicebantur horæ Canonice de B. Virgine, quæ, cum hodie, saltem extra chorum, omittantur, statutum fuit, ut hac brevi oratione Virginis auxilium singulis horis imploremus. In hac enim labentis sæculi discriminosa peregrinatione continuâ Deiparæ protectione indigemus. Quid autem gratius offerre ei possumus hæc salutatione, à qua præcella ejus dignitas initium duxit: quæ & salutis nostræ, & totius Evangelii auspiciatissimum principium fuit? Nam tunc descendit pluvia in vellus, tunc rorârunt cœli desuper, & montes stillârunt dulcedinem, tunc aperta est terra, ut germinaret Salvatorem.

l. Canis. l. 3. c. 5. de Virg. Deip. m Navar. de orat. cap. 10. n. 62.

s. III.

De Symbolo Apostolorum.

Quando, & à quibus fuerit institutum. Quædam de symboli nomine. Laudes symboli ex Patribus. Quoties, & quo ritu dicatur. Cur hoc symbolum Romanum nuncupetur.

1. **P**ost gloriosam Christi Ascensionem, cum sacer dierum numerus compleretur, Spiritus sanctus largiori munere in Apostolos supervenit, eorumque corda tanto replevit incendio, ut statim per vicos, & plateas Christi gloriam, & divinitatem prædicantes crediti sint ab insana plebe vini fervore æstuarè. Et reverà ebrii erant, non vino, quod apostatata facit sapientes; sed eo quod germinat virgines: eo vino quod lætificat cor, non statum mentis evertit: vino inquam novo, quod vitis mystica fuderat de excelso: vino novo quod utres veteres nec mererentur accipere, nec continere valent. Tunc cœli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel, & pluvia voluntaria segregata est hæreditati Christi. Tunc varæ linguæ ab uno ore ingenti prodigio auditæ sunt, nam ut canit Rusticus Hælpidius: *n*

*Consona diversas fundit narratio linguas,
Barbara quæque suam cognoscit nativocem,
Quam sacer humano profatur spiritus ore.*

Apostoli autem repleti Spiritu sancto Evangelii gratiam in omnem terram diffundere constituerunt, ut omnes gentes, quæ sub cœlo sunt, à via perditionis in semitam æternæ vitæ revocarentur. Ipso itaque omnium artifice agente spiritu, qui omnem habet virtutem, omnia prospicit, priusquam ab invicem in varias orbis partes separarentur, communem quandam, & uniformem fidei regulam stabilire curârunt: quæ tanquam tessera falsi Christi discipuli à veris discernerentur. In unum igitur conferentes, quod quisque dictante Deo sentiebat, symbolum composuerunt, quod ab auctoribus vocamus Apostolorum. Sancti enim Apostoli, ait Clemens Romanus *o*, inter se symbolum fidei condide-

n Hælpid. in hist. vet. & novi Testamenti. o Clem. Epist. 1. ad S. Jacob.

diderunt. De hoc Tertullianus p; Fidei; inquit, regula una omnino est, sola, immobilis, & irreformabilis; & Hanc Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit. Et hæc quidem Apostolici symboli origo, & institutio est. Quæ autem sententiæ à singulis Apostolis compositæ sint, inveniet curiosus lector in Annalibus Ecclesiasticis q. Cur verò regulæ fidei symboli nomen impostum sit, id paucis exequendum est.

2. Συμβολον à συµβάλλω derivatur, cujus verbi multiplex est significatio. Significat enim confero, contribuo, adjuvo, comparo, utendum do, pactum in eo, stipulor. A Cicerone nota, vel signum vocatur id, quod Græcis est σύμβολον: cumque vox nota, vel signum de variis rebus dicitur, ita & symbolum. Seligam in hanc rem è Grammaticorum dumetis aliquot flosculos. Significat aliquando symbolum, vel symbolus, vel etiam symbola collationem, id scilicet quod in cœnam parandam plures conferunt. S. Dorotheus r commemorans quanto ardore dum puer esset studiis litterarum incumberet, nunquam se ab amicis adduci potuisse ait in symbolum lectionis tempore. Terentius s symbolum dedit, cœnavit. Et Plautus t Symbolarum collatores quærendos dicit apud forum piscarium. Idem u, Symbolam dabo, & jubebo ad Sagarinum cœnam coqui. Simile habetur in sacris litteris: x Noli esse in conviviis potatorum: nec in commensationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt, quia vacantes potibus, & dantes symbola confumentur. Hegelander apud Athenæum y symbolam ab Argivis nuncupatam ait eam pecuniam, quæ à potantibus conferretur in sumptum convivii. Eodem sensu Phrynicius Tragicus apud eundem; Suave est, inquit, cibum parare absque symbola, id est sine sumptu. Et Chrysippus ibidem z recusandam ait a symbolam computationem. Accipitur etiam symbolum pro signo bellico, sive pro tessera, quæ focii ab hostibus, & exploratoribus dignoscuntur. Itemque pro insigniis, & vexillis militaribus, ac pro stemmatibus familiarum. De qua re legendi sunt Fl. Vegetius a de re militari. Justus Lipsius b in Dialogis de militia Romana, Claudius Minoës

in syntagmate de symbolorum, & stemmatum ratione, Gabriel Palæotus c in opere de sacris, & profanis imaginibus, & Joannes Antonius Valtrinus d de re militari Romanorum. Solet quoque accipi pro quolibet signo, de quo inter alios convenit. Plautus: e

*Ea causa miles hic reliquit symbolam,
Expressam in cera ex annulo suam imaginem,
Ut qui huc afferret ejus similem symbolum,
Cum eo simul me mitteret.*

Joannes Tzetzes in Chiliadibus. f

*Quod autem consilio factum est, & magis in bellis,
Velut cum extolentibus galeam in hasta,
Cum hostibus commixtio, & si quid tale,
Symbolum omne voca mihi, dictumque Judæ
Quem oseculabor apprehendite. Ipse est ille.*

Symbola rursus dicuntur notæ arcane cujuspiam mysterii significativæ, ut cum dicimus ciconiam esse symbolum pietatis, leonem fortitudinis. Quo sensu Nicephorus g Patriarcha Constantinopolitanus libro de Cherubinibus à Moyse factis dixit; Symbola ea sunt, quæ dissimiliter per ænigmata nos ad ea revocant, quorum sunt symbola. Eodem sensu nos hunc tractatum symbolicum inscripsimus, quia per ea, quæ in divinis Officiis exteriora sunt, ad interiora & spiritualia assurgimus. Theologia item symbolica sub eadem significatione à magno Dionysio Areopagita tum in libro de hoc argumento, qui temporum injuria interit, tum in aliis passim quæ extant operibus doctissime explicatur, quam item tradiderunt alii viri sapientissimi, nimirum Joannes sapiens Cyparissiotus in expositione elementaria eorum, quæ de Deo dicuntur: Clemens Alexandrinus libro quinto Stromatum, Eucherius Lugdunensis in libro formularum spiritualis intelligentiæ; Sanctus Pagninus in Itagoge ad mysticos scripturæ sensus, Nicolaus Caussin in Polyhistore symbolico, Joannes Goropius Becanus, Antonius Ricciardus Brixianus, & alii quos refert Maximilianus Sandæus h in sua symbolica Theologia. Sunt item symbola breves quædam sententiæ quidpiam reconditum significantes, quæ à Græcis allegoremata appellantur: cujus generis sunt symbola Pythagorica, de quibus Jamblicus i in vita Pythagoræ, & Cy-

p Tertul. de vel. Virg. c. 1. q de prescript. c. 21. & 37.
q Baron. an. 44. m. 15. & seq. r Doroib. doct. 10.
s Terent. in Andr. act. 1. sc. 1. t Plaut. Curcul.
act. 4. sc. 1. u Idem in Stich. act. 3. f. 1. x Prov.
23:20. y Athen. in l. 8. in fin. idem l. 6. c. 3. z Idem
l. 1. c. 7. a Veget. l. 3. c. 5. b Lips. lib. 4. dial. 5. & 12.

c Palæotus lib. 2. cap. 45. & seqq. d Valtrin. l. 3. c. 9.
e Plaut. in Pseud. act. 1. sc. 1. f Tzet. chil. 7. v.
910. g Nicephor. c. 1. h Sandæus l. 6. tom. 5.
i Jamblic. in l. 1. c.

& Cyrillus Alexandrinus & adversus Julianum. Paulianus in Arcadicis aquam è fontibus non utique magnis, sed numero pluribus ortam symbolam vocat, quod in unum confluat locum. Est tandem symbolum apud Aristotelem etymologia vocabulorum, apud Julium Pollucem parvum numisma, sive tessera nummaria; apud Budæum literæ collybisticæ ad pecuniæ permutationem, apud Suidam augurium, omen, vaticinium, pactum, mensura, sigillum, indicium. Sunt & aliæ minutiores, ac improprie significationes, quibus prætermisissis notandum est Catholicæ fidei confessionem duplici sensu Apostolorum Symbolum nuncupari, tum quia singuli eorum aliquid in unum contulerunt, ut explicat Augustinus *l*: tum quia illa veluti tessera fideles ab infidelibus discernuntur. Ita Maximus Taurinensis initio Homiliæ in traditione symboli: Beati Apostoli mysterium symboli tradiderunt, ut, quia sub uno Christi nomine credentium erat futura diversitas, signaculum symboli inter fideles, perfidosque fecerneret, & alienus à fide, atque hostis appareret Ecclesiæ. Lucas Tudenis *m* ad hanc rem, Symbolum, ait, indicium est, quia indicat cui credere debeamus.

3. Porro sancti Patres præclaris laudum encomiis ipsum symbolum commendant. Augustinus *n* omnibus hæc parte anteposendus; Symbolum, inquit, est breviter complexa regula fidei, ut mentem instruat, nec oneret memoriam: paucis verbis dicatur, unde multum acquiratur. Doctrina symboli virtus est sacramenti, illuminatio animæ, plenitudo credentium: breve est verbum, sed magnum sacramentis totum continens compendio brevitatis. Ex ista fidei confessione, quæ breviter symbolo continetur, & carnaliter cogitata lac est parvulorum, spiritualiter autem considerata cibus est fortium, nascitur spes bona fidelium, cui charitas sancta comitatur. Chrysostomus *o* quovis nectare suavior: Hoc spei pactum, hoc salutis placitum, hoc vitæ symbolum, hanc fidei cautionem mens teneat, conservet memoria: ne Divinitatis pretiosum munus depretiet charta vilis, ne mysterium lucis atrum tenebret atramentum, ne secretum Dei habeat indignus, & profanus auditor. Cyrillus Alexandrinus *p* Attici leporis absolutum exemplar:

k Cyril. lib. 9. *l* Aug. vel alius auctor serm. 115. de Temp. *m* Luc. Tuden. l. 1. adv. Albigen. *n* Aug. ser. 109. c. 131. de Temp. *o* Euch. ad Laur. c. 114. *p* Chrysol. serm. 59. in fin. *p* Cyril. Alex. Ep. 29. ad Acacium Episc.

Sufficit nobis divina Scriptura, & sanctorum Patrum sobrietas, & symbolum illud fidei, quod ad omnia rectè habenda ritè concinnatum est. Etherius *q* Episcopus Uxamentis: Quicquid foras symbolum est, hæreticorum verba sunt. Optatus Milevitanus *r*: symbolum sigillum est Catholicæ fidei. Paschasius Cardinalis *s*: Apostolica sollicitudo fidem Catholicam in symbolo mirâ brevitate collegit, ac velut ex innumeris aromatibus pretiosum confecit unguentum, cujus odor omnes fines terræ potentia fragrantæ spiritualis implevit, ut in ipso universitatis assensu virtus appareat veritatis. Leo *t* magnus Romanæ Ecclesiæ Antistes: Catholici symboli brevis, & perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa est munitione cœlesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipso possint gladio detruncari. Joannes Cassianus *u* vir doctrinâ & pietate summus: Hoc symbolum est verbum brevium quod fecit Dominus, fidem scilicet duplicis testamenti sui in pauca colligens, & sensum omnium scripturarum in brevibus concludens, sua de suis condens, & vim totius legis compendiosissimâ brevitate perficiens. Consulens scilicet in hoc, ut piissimus Pater, vel negligentia quorundam filiorum suorum, vel imperitia: ut non laboraret utique quamvis simplex, & imperita mens capere, quod possit facile etiam memoria contineri. Eusebius Emisenus, seu potius sub ejus nomine Eucherius Lugdunensis *x*: Quomodo si aliquis possessor diffusus, ac locuples migraturus ad aliam regionem quasunque opes habet in aurum, & gemmas redigat, & intra unum sacculum congregat bona sua non cumulo aestimanda, sed pretio, ut facile quocunque vadit suas secum possit ferre divitias concludens in sinu suo thesaurum: ita & Ecclesiarum Magistri studiosissimi salutis nostræ negotiatores in Scripturis sanctis de magnis maxima separaverunt in pagina mentium inscribenda, ut cuilibet cordi quamlibet angusto, quamlibet rustico sine ullius difficultatis impedimento facile insinuari possit veritatis agnitio, ut ad parandum, & tenendum cœlestis sapientiæ vitale carmen, & salubritas invitaret, & brevitatis; ut quodammodo

q Ether. lib. 1. adv. Elipandum. *r* Optat. lib. 2. adv. Parmen. *s* Paschas. in pref. l. de Spiritu sancto. *t* Leo Ep. 3. ad Pulcherium Aug. *u* Cassian. lib. 6. de incarnat. c. 3. *x* Eucher. Hom. 1. de Symbolo.

modo de hoc symboli brevissimo textu Prophe-
ta dixisse videatur, Verbum breviatum faciet
Dominus super terram. Nullus encomiorum
finis erit, si omnia prosequi libeat. Quid est enim
symbolum? Breviarium Christianæ fidei. Jam
quid sublimius, quid laudabilius fide? O fides,
exclamat Ambrosius y thesauris omnibus opu-
lencior, ô vulnerum nostrorum, peccatorumque
medicina præstantior. Hæc est nimirum, teste
Bernardo z quæ velut quoddam æternitatis
exemplar præterita simul & præsentia, & futura
finu quodam vastissimo comprehendit, ut nihil
ei prætereat, nihil pereat, præeat nihil. Deni-
que sine fide impossibile est placere Deo.

y Ambros. lib. 2. de fide cap. 4. z Bern. serm. 6. in
vig. Nat. Domini.

METRUM XXXVIII.

NUmen corusco sidere pulchrius
Non usitatis per liquidum æthere
Vidi triumphans curribus, & vagas
Circumvolantes Aligerum choros
Quis credet? ingens jam nebula globus
Clarique nimbus luminis æra
Perrumpit æthera non sine gaudio.
En jam beatis septa chortibus
Regina celsò venit ab æthere.
Agnosco vultum: nam fidei sacra
Dudum mihi sunt cognita stemmata,
Sanctæque felix religio Crucis.
Quo forma, & oris quanta serenitas
Qualis venustus! Audio jam propè
Vocem loquentis, jam resonat polus,
Favete linguis: nil humili juvat
Cantare plectro, fas mihi grandia
Non dicta præcis carmina vatibus,
Fas & superni sit mihi Numinis
Arcana cunctis gentibus eloqui.
Fas sit canoris versibus ardui
Tentare cæli difficiles vias.
Nec me paventem sancta fides vetet
Incomparanda vim sapientia,
Verique fontem, lucis & igneas
Lustrare sedes, & superum domos.
O grata summis calitibus fides,
Per quam sereni semper iter poli
Cunctis apertum terrigenis pater,
Tu sola nobis das penetrabilia
Semper venerandi noscere Numinis.
Tu sola Trium fallere nescia,
Unumque dicis, quem colimus Deum.
Divinitatis principium Pater,

Auctor bonorum sufficiens sibi,
Immensus, omni principio carens,
Expers fugacis temporis, ac modi,
Dum se beatus, cunctaque perspicit,
Verbum paterna mentis imaginem,
Prolemque gignit persimilem sui.
Sed cum Parentem Filius inspicit,
Amans amantem diligit, atque Amor
Spiratur unus, tertia scilicet
Persona summum perficiens chorum:
Utrique compar Numine simplici.
Post hæc ad extra ter triplici gradu
Rerum creator per sobolem suam
Distincta cæli condidit agmina.
Sed dum supremi de numero chori.
Unus recepta dote superbiens
In conditore spirituum ferax
Insanientum prælia concitat,
Heu! pulsus amplo corruiis æthere,
Præcepit rebelli cum comitum grege
Damnatus igni carcere in infimo;
Tunc è rubenti pulvere compotem
Mentis creavit progeniem, boni
Summi capace, ni stygiis dolis
Seductus cheu! mox hominum parens
Omnes eadem crimine posteros
Fædasset hosti credulus improbo.
Natis miseris sed miseris Deus
Offensionis debita noxia,
Et dira solvit vincula criminum.
Lignum salutem terrigenis dedit,
Sæpima lignum pernicies fuit.
Nam missus alto de folio Patris
Mortale corpus Filius induit
E ventre pura Virginis editus:
Ferroque fixus supplicium grave
Injuriosa sustinuit crucis,
Ut qua Draconis conciderat dolo
Gentem paterno redderet ætheri.
O ter beatos calituum choros,
Quos scripta cælo pagina censuit.
Jam vincla mortis, jam stygia seræ
Timenda non sunt castra tyrannidis.
Victor resurgit Christus ab inferis
Infertque fratrum primitias polo,
Venturus inde est, cum sonitus tubæ
Omnes tremendo iudicio offeret.
Sed quo furentis concita spiritu
Mens tendit audax? Desine, desine,
Et magna parvis ne tenues modis.

4. Ambrosius a de quotidiana recitatione
Symboli hæc habet: Symbolum quoque spe-
LIIII cialiter

a Ambros. lib. 3. de Virg.

cialiter debemus tanquam nostri signaculum cordis antelucanis horis quotidie recensere: quod etiam, cum horremus aliquid, affiduè recurrentum est. Quando enim sine militiæ sacramento miles in tentorio, bellator in prælio? Radulphus Tungrensis *b* de eadem re sic scribit: Multorum Episcoporum statutum erat ut clerus, & populus manè, & serò preces & orationes Deo funderent cum Pater noster, & Symbolo. Damasus Papa orthodoxæ fidei Symbolum ad omnes horas divini Officii recitari statuerat, ut refert ex ejus vita Polydorus Virgilius *c*. Timotheus quoque Constantinopolitanus Symbolum fidei, ut narrat in Collectaneis Theodorus Lector *d*, per singulas Synaxes dici curavit, ad reprehensionem videlicet Macedonii Patriarchæ Catholici, ac si ille symbolum hoc non recepisset. Timotheus enim cum esset hæreticus Patriarchalem regniæ urbis sedem ab Anastasio Imperatore obtinuerat pulso in exilium Macedonio. Nunc ter in die dici solet, ante Nocturnos, & Primam, & in fine Completorii. Nocte dicitur, ut per professionem fidei gratias agamus Deo, qui nos eduxit de potestate tenebrarum *e* lucem Evangelii. Eratis enim aliquando tenebræ, ait Apostolus *e*, nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. Nocte etiam dicitur, quia fidei cognitio obscura est, & caliginosa: videmus enim per speculum, & in ænigmate, donec fidei succedat beata visio. Ante Primam orto jam sole, & in fine Completorii post ejusdem occasum eadem fidei protestatio repeti consuevit, ut à fide feliciter incipientes in eadem constanter perseveremus. Notandum verò, quod in hisce Officiis ipsum Symbolum secretò dicitur, quia, ut docet Angelicus Doctor *f*, Symbolum Apostolorum tempore persecutionis editum fuit fide nondum publicatâ, idcirco occultè dicitur quasi contra tenebras errorum præteritorum, & futurorum. Notandum præterea, quod Ecclesia Romana ipsum Symbolum quandoque repetit in precibus Primæ, & completorii: tunc autem partim secreta, partim clara voce recitatur, quia videlicet *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, Fides cordis, ait Bernardus *g*, sine oris fide aut nulla est, aut parva. Crede ergo, &

confitere: nihilominus confitere, & crede, quia fides ad justitiam, confessio fit ad salutem.

5. Superfluum hic existimo explanationem Symboli adtexere, quæ peti potest à sanctis Patribus, aliisque Scriptoribus. Inter opera Cypriani habetur expositio Rufini dignissima quæ legatur. Symbolum quoque explicant Ambrosius *tractatu in Symbolum Apostolorum*, Leo magnus *Sermone 11. de Passione Domini, & Sermone contra hæresim Eutycheis*: Augustinus *h de fide, & Symbolo, de Symbolo ad Catechumenos, in Enchiridio ad Laurentium, & in multis Sermonibus*: Chrysostomus *tomo 5. Homilia de Symbolo, quam tamen existimo esse auctoris Latini*: Venantius Fortunatus *exegesi in Symbolum*: Chrysologus *Sermone 56. & sequentibus*: Athanasius *Epistola ad Fovinianum*: Maximus Taurinensis *Homilia de expositione symboli*. D. Thomas *Opusculo 16. Dionysius Cartusianus i Opusculo de vita Curatorum*: & ad captum communem Catechismus Romanus. Scripsit etiam in Symbolum Apostolorum doctè & diffusè vir venerabilis Angelus del Paz duobus tomis, quorum primus editus est Romæ, secundus extrat M. S. apud Lucam Radingum. De Symbolo Nicæno, sive Constantinopolitano, quod in Missa cantatur non est hic tractandi locus. De Symbolo Athanasii agendum infra hoc eodem capite. His omnibus antiquius est Symbolum Apostolorum, quod, quia Romana Ecclesia nulla unquam hæreseos labe infecta integrum semper custodivit, ideo à Vigilio & Episcopo Tapsenti Symbolum Romanum nuncupatur. Sanè olim ob hanc causam Symbolum Nicænum nequaquam Romæ cantabatur, cæpitque cantari hortatu Henrici Imperatoris sub Benedicto octavo, idque Berno Augiensis *l* testis oculatus, qui cum Imperatore aderat, scribit. Ita Baronius *m*, qui & addit: Placet ista, sed nobis gratius, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quam novitati. Finio, illudque suggero Lectori meo, ut meminisse velit fidem sine operibus mortuam esse. Audiamus Bernardum *n*, cœlestis doctrinæ pabulo nos abundè reficiet. Credis in Christum? fac opera Christi, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet; probet actio. Non incurvet terrenum

b Radulph. prop. 14. *c* Polyd. Virg. l. 6. de inv. rerum cap. 2. *d* Theodor. collect. lib. 2. *e* Ephes. 5. 8. *f* D. Thom. 2. 2. q. 1. art. 9. ad 6. *g* Bern. Serm. 3. de S. Andrea.

h Aug. Ser. 109. 123. 131. 192. 194. de temp. *i* Dionys. art. 21. & Vigil. initio l. 4. adv. Eutychem. *l* Berno Aug. c. 2. *m* Baron. an. 1014. *n* Bern. Serm. 24. in Cant.

opus, quem fides cœlestium erigit. Qui te dicit in Christo manere, debes sicut ipse ambulavit, & tu ambulare. Quod si propriam gloriam quæris, florenti invidet, absenti detrahit, reponis lædenti te: hoc Christus non fecit. Confiteris te nosse Deum, factis autem negas. Non rectè planè, sed impiè linguam Christo, animam dedisti Diabolo. Vides quod non faciat hominem rectum fides etiã recta, quæ non operatur ex dilectione. Sed nec opera quamvis recta rectum cor efficere sufficiunt sine fide. Rectas ergo studeamus facere vias nostras, & studia nostra: levemus corda nostra cum manibus ad Deum, ut toti recti inveniamur fidei nostræ rectitudinem rectis actibus comprobantes. Ut enim ait Sanctus Calixtus Papa 6, Non benè vivit, qui non rectè credit.

§. IV.

De Horarum Initio.

Cur à versu Domine labia mea aperies incipiat nocturna synaxis. Quid sit mystice aperiri labia. Completorio cur præmittatur hic versus, Convertite nos Deus salutaris noster. Cor. versio vera que sit. Ira Dei duplex. Usus multiplex hujus versu, Deus in adjutorium meum intendente.

1. Omnes horæ Canonicæ à primo versiculo Psalmi sexagesimi noni, *Deus in adjutorium meum intende*; usu immemorabili incipere solent. Huic in Nocturna synaxi versum *Domine labia mea aperies* ex Psalmi 50. præmittit Ecclesia Romana, postponunt Monachi. In Completorio autem præponitur ferè ab omnibus Ecclesiis Psalmi 84. versiculus *Convertite nos Deus salutaris noster, & averte iram tuam à nobis*. Initio itaque nocturnæ precis labia clausa in Completorio petimus aperiri, Dominum exorantes, ut, qui labia olim Prophetæ calculo mundavit ignito, nostra quoque dignetur purgare, & aperire. Nam cum dicat Scriptura p, *Non est speciosa laus in ore peccatoris*, quis audeat divinas laudes immundis labiis decantare, ni prius obstruata per peccatum oris claustra misericorditer aperiat ille, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine? Ne-

mo enim potest laudare Deum, nisi Deus aperiat labia, ut ostendit Augustinus q contra duas epistolas Pelagianorum. Alioquin fugillabit nos durissima illa exprobratione, *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum*. Ad rem Chrysostomus s: Peccatum suapte natura linguam astringit, & os obturat. Quam sententiam complens Ambrosius r ait; Cujus ergò labia aperit Deus, hunc peccati absolvit reatu. A vinculis itaque peccatorum absolvi petimus, cum dicimus, *Domine labia mea aperies*. Et quia justus prior accusator est sui, accusamus nos ipsos ante orationem confitentes peccata nostra, quatenus reconciliati per gratiam Dei facilius exaudiri mereamur. De impiis scriptum est, quia dixerunt, *Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Et idè oratio illorum erit execrabilis: At labia Sponsæ, labia fidelis animæ dulcia, & purpurea dicuntur esse sicut favius distillans, sicut vitta coccinea x. Cum ipsi Sponso, inquit Gilbertus Abbas y. Sponsa loquitur in loquela dulcioris labii, & lingua altera; Tunc cordis labia verè melle delectationis distillant divinæ: imò non tam distillant, quam fluunt, quoniam hora illa in melleas affectiones tota convertitur. Beata vicissitudo, quando de corde Sponsæ quædam fluente mellis emanant in Dilectum, & ab ipso redundant in Sponsam. Ad locum enim unde exeunt hæc mellis flumina revertuntur, ut iterum fluant. Boni favi in labiis Sponsæ, & Sponsæ eructantes ex hoc in illud, & invicem rorantes amoris dulcedinem. Ille desuper irrorat gratiam, ista deorsum actionem gratiarum. Rursus labia Sponsæ purpurea dicuntur esse sicut vitta coccinea. Per coccinum enim charitas intelligitur, quæ est vinculum perfectionis; sicut autem vitta constringit crines, ne desuant; sic anima Deo dilecta labia sua cohibet, ne verbum malum, & inutile proferens extra se diffundatur. z *Aperitio oris illius inflammatio est, & semper laus Dei in ore ipsius*.

2. Cum autem Oratio cordis sit, non labiorum; miror cur Ecclesia ante orationem labia sibi, non cor postulet aperiri. Sed notandum, quod usus labiorum non tantum ad eloquium, sed etiã ad osculum est: consociant enim se mutuo osculantium labia, animis videlicet ad mutuum

L I I I 2 tuum

q Aug. lib. 2. c. 8. r Psalm. 49. s Chrys. in ps. 50.
t Ambros. ibid. u Psalm. 11. x Cant. 4. 3. 11.
y Gilbert in Cantic. ser. 34. z Eeck, 20. 15.

o Calix. epist. 1. p Eccl. 15. 9.

tuum congressum accedentibus, ut ait Chryso-
stomus ^a: cumque templum Dei simus, sicut
limina templi, ita os osculamur, per quod in-
greditur Christus, quando communicamus. Igi-
tur Ecclesia dum dicit, *Domine labia mea aperies,*
non tam petere videtur divinum auxilium ad lau-
des ejus dignè annunciandas, quam mysticam la-
biorum purificationem ad castissimum dilecti
osculum recipiendum. Felix anima, quæ pro-
pria conscientia testimonio intus erudita coe-
lestis Sponsi osculo se idoneam agnoscit. Felicior,
quæ unctioe magistra sentiens quanta sit gratia
diffusa in labiis Sponsi, osculum ejus jam amore
æstuans fiducialiter petit. Felicissima planè,
quæ ad ipsum osculum dignanter admissa divinæ
suavitatis inenarrabile gaudium in fervore spiri-
tus experitur, & torrente uberrimo sempiternæ
voluptatis in plenitudine gratiarum inebriatur.
O mihi si liceret è foetenti ceno iniquitatum
mearum tantisper assurgere, & terrenarum for-
dium excusso pulvere te Domine deprecari, ut
labia mea aperias, & oris impuritatem emundes.
Peccavi enim, justissime Judex, qui judicas æ-
quitate, peccavi in celum, & coram te: jam
non sum dignus levare oculos meos à terra, quan-
tò minus videre faciem tuam, ad oris tui oscu-
lum aspirare? Provolvar itaque pavidus, &
eremens ante vestigia pedum tuorum, & de in-
timis visceribus longa trahens suspiria lacrymis
meis pedes tuos rigabo. Plorabo coram te, qui
fecisti me, mala quæ feci; nec à planctu, &
oratione cessabo, donec audiam auditionem
donam, verbum consolationis; *b Remittuntur*
tibi peccata tua: donec dicas, c Consurge, con-
surge, excutere de pulvere, solve vincula colli tui
captiva filia Sion; donec sonet in auribus
meis vox illa gratissima, d Ecce sanus factus es,
jam noli peccare. Fanc adjunctus gratia tua, au-
ctus virtute, fiducia confortatus non confun-
dar præsumere potiora. Erectus de stercore
sedebo forsitan cum Principibus, & robur
accipiens à potenti dextera tua faciem tuam
Domine requiram, & quod non sine pavore,
ac tremore dico, ad os tuum caput attollam,
sperans omninò ut adimpleas me lætitia cum
vultu tuo.

^a Chryst. hom. 30. in 2. ad Cor. ^b Luc. 7. 47. ^c Isai.
52. 2. ^d Joan. 5: 14.

METRUM XXXIX.

O Tremende Rex polorum,
Vindex maxime criminum.
Cui potestas, & maligni
Vis est arbitra pectoris.
Te requiro, ad te revertor.
O mentis vigor, & amor:
Qui labores, & dolores,
Et curas hominum vides.
Parce fonti, parce servo
Mortis perpetuæ reo,
Quem catenis alligatum
Hostis tartareus tenet.
Tolle culpas, solve nexum,
Ut te perpetuo canam.
Ut videntes me solutum
Vincti horribilis neci
Angelorum turba psallant
Quæ spes sit lætæ manibus.

3. Solent corporales indigentia, rerumque
labentium curæ, & variarum imaginum confusa
phantasmata orantium mentes per diem sæpius
distrahere, & perturbare: quapropter initio
Completorii, quod ultimum diei Officium est,
versiculum illum decantamus, *Converte nos*
Dei salutaris noster, & avertè iram tuam à no-
bis. Hac enim hora ab officiis activæ vitæ ad
contemplationis studium convertimur, & se-
dato carnalium affectionum tumultu gustare,
& videre desideramus quam bonus sit Deus. Per
peccatum avertitur homo à Deo, & converti-
tur ad creaturam: *Avertierunt se,* inquit *e, & non*
servaverunt pactum, & f. facti sunt abominabiles,
sicut ea, quæ dilexerunt. Dum verò per peniten-
tiam revertitur quis ad Deum, Deus eum con-
vertit ad se per immisionem gratiæ, & ab eodem
iram suam avertit per remissionem pœnæ.
Quid est autem quod, cum oramus, *g Converte*
nos Domine ad te, & convertemur: ipse è con-
trario respondet *h Convertimini ad me, & ego*
convertar ad vos? An hoc nimirum, quod fides
Catholica protestatur, arbitrii nostri liberta-
tem cum gratiæ prævenientis efficacitate incon-
cussam manere, adeoque nos liberè Deum tra-
hentem sequi, sicut ille fortiter nos trahit, qui
dixit, *i Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus*
traxerit illum? Sic ait Bernardus & Theologus
verè
^c Psalm. 77. ^f Osee 9: 10. ^g Thren. 5: 21. ^h Zach.
1: 3. ⁱ Joan. 6: 44. & Bern. de grat. & l. arbitria.

verè Theodidactus: Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur. Tolle gratiam, non erit unde salvetur. Nec dare potest salutem nisi Deus, nec capere valet nisi liberum arbitrium. Sedulius quoque in explicatione Epistolæ Pauli ad Romanos; Velle, inquit, & currere meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non est meum: nam ipsa voluntas à Domino præparatur, & Deus est qui operatur in nobis & velle, & perficere. In nullo igitur gloriandum, ut Ecclesia Lugdunensis in libro de tribus Epistolis docet, quia nostrum nihil est, & sine me nihil potestis facere, dicit Dominus: tanta est tamen bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Sed hæc acerrimis scholasticorum concertationibus diu in scholis agitata tutius est simpliciter credere, quàm mendaci hominum statera curiosius examinare. Nam, sicut eleganter scribit S. Prosper in Rhegiensis Episcopos; quæ sit discretionis istius in secreto consilio Dei causa, vel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis inquiratur, & sine fidei diminutione nescitur: modò confitemur neminem immeritò liberari. Nisi enim Deo vocante, docente, silvante, nemo venit, nemo eruditur, nemo salvatur.

4. Illud autem quod præcipit Dominus, ut convertamur ad ipsum, existimat Bernardus Doctor egregius esse mysterium regni Dei, & secretum consilium, quod solis credatur amicis. Nam quo me veram, inquit, ut convertar ad te Domine Deus meus? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Quo convertar ad te? Supra, an infra? ad dexteram, an ad sinistram? Audiamus scripturam, quam conversionem nos edoceat. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum.* Agnosce planè quo velit Dominus, ut convertamur. Ad parvulum converti necesse est, ut discamus ab eo, quia mitis est, & humilis corde. Ad hoc siquidem parvulus datus est nobis. Quid inflaris ò homo? Quid extolleris sine causa? Sublimis quidem Dominus, sed non ita proponitur tibi, ne fortè dicas, elevata est magnificentia ejus super cælos, & non potero ad eam. Prorsus vos filii Adæ, ait Abbas Igniacensis, qui nimis grandes estis in oculis vestris, & in giganteam enormitatem per superbiam excrevistis: *Nisi conversi fueritis, &*

effecti sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum. Ego sum ostium regni, ait parvulus iste: nisi incurvetur altitudo virorum, non eos admittet humilitatis janua. Ideò nimirum conquassabit capita in terra multorum: & qui elati accedunt, repulsi capite illiso cadent retrorsum. Quid enim? Adhuc tu superbis terra, & cinis, postquam Deus factus est humilis? Adhuc magnus es in oculis tuis, postquam Deus parvulus factus est sub oculis tuis? Ille semetipsum exinanivit, ut penè videretur esse nihil, sine quo factum est nihil: & tu in immensum inflaris, extolleris existimans te aliquid esse, cum verè sis nihil. Ipse te seducis. Quod si verè humiliatus fueris, & in toto corde reversus ad omnipotentem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: *p Convertam eos, & miserebor eorum, & erunt sicut fuerunt, quando non projeceram eos.* Ideò post petitionem conversionis oramus consequenter; Et averte iram tuam à nobis: nam impietas impii non ei nocet in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua. Loquimur autem de ira Dei, quæ ad iacturum peccatores perducit, de qua scriptum est: *q Nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.* Alia enim ira, qua peccantibus irascitur ad salutem, desideranda nobis est, summisque precibus flagitanda, ne fortè dicat Dominus, *Recessit zelus meus à te, ultra non irascar tibi.* Oro Domine, ut irascaris mihi in præsentis seculo, quatenus in futuro misericordias fideles consequi merear. Verumtamen cum iratus fueris, misericordiæ memor eris, sicut dicit Psalmus: *r Iratus es, & misertus es nobis.* O ira misericors, exclamat Berengosius Abbas s, quæ sic irascitur, ut subveniat: sic minatur, ut parcat: sic aufert, ut restituat: sic tradit, ut eripiat: sic destruit, ut muniat: sic abjicit, ut recipiat. O quam salubris indignatio, quæ sic avertit, ut respiciat: sic claudit, ut aperiat: sic exigit, ut dimittat: sic dejicit, ut erigat: sic perdit, ut requirat: sic mittit, ut custodiat. O ira misericors, & incomparabilis misericordia, quæ ab omnibus vitiis humana semper emundat præcordia: per quam peccator invitatur ad veniam, justus ad vitam, martyr ad palmam, confessor ad gloriam. Non enim miseretur, nisi irascatur, qui ob hoc prius irascitur, ut postea misereatur. Prævenit enim ira, ut sequatur misericordia: prævenit lacryma, ut sequatur venia: prævenit poenitentia, ut sequatur indulgentia.

1 Sedul. in epist. ad Rom. c. 9. in Prosp. ep. ad Rustinum de grat. & lib. arbitrio. in Bern. ser. 2. in cap. sequenti. O Guerræ, Ser. 1. de Nat. Domini.

LIII 3 5. Ci-
p Zach. 10:6. q Psalm 2. r Psalm 59. s Be-
reng. Ser. 1. de SS. Martyrib.

5. Cistercienses Monachi, qui Regulam S. Benedicti ad litteram exactissime observant, memoratum versiculum ante Completorium cantare non solent, id enim in Regula non invenitur expressum, cum dicat S. Pater; In primis semper diurnis horis dicatur versus, *Deus in adiutorium meum intende*. Porro hunc versum, *Deus in adiutorium meum intende*, semper in usu fuisse apud antiquos Monachos Cassianus & rei monasticæ solertissimus, & primarius auctor exequitur. Hic namque versiculus, ait ille, non immerito de toto scripturarum exceptus est instrumento. Recipit enim omnes affectus quicumque inferri humanæ possunt naturæ, & ad omnem statum, atque universos incursum propriè satis & competenter aptatur. Habet siquidem adversus universa discrimina invocationem Dei, habet humilitatem piæ confessionis, habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis, semperque astantis præsidii. Qui enim jugiter suum invocatur protectorem, certus est eum esse semper præsentem. Habet amoris, & charitatis ardorem, habet infidiarum contemplationem, inimicorumque formidinem, quibus perspicuus semetipsum diu noctuque vallatum, confitetur se non posse sine sui defensoris auxilio liberari. Hic versiculus omnibus infestatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus. Hujus versiculi Oratio in adversis ut eruemur, in prosperis ut servemur ne extollamur, incessabili jugitate fundenda est. Hujus inquam versiculi meditatio in tuo pectore indurupta volvatur. Hunc in opere quolibet, seu ministerio, vel in itinere constitutus decantare non desinas. Hunc & dormiens, & reficiens, & ultimis naturæ necessitatibus meditare. Hæc & alia plura diffusissime Cassian. Tanto autem sollicitius divinum auxilium initio orationis invocandum est, quanto acrius eo tempore invisibiles hostes contra nos certamen instituunt. Nam, ut S. Joannes Climacus scribit, Cum insonuit signum spiritualis tubæ ad orationem vocans invisibiliter conveniunt inimici: & alii quidem cum experrecti fuerimus nos ut iterum decumbamus lectulo hortantur. Expecta, inquit, dum compleantur principales hymni, sicque demum in Ecclesiam proficisceris. Alii cum ad orationem assistere cœperimus

t Bened. reg. cap. 18. u Cassian. coll. 10. cap. 10.
x Climac. gr. 18.

nos in somnum præcipitant. Alii suadent ut in vicem in Ecclesia colloquamur. Alii præter consuetudinem ventrem immodicè stimulant. Alii mentem nostram in turpes cogitationes pertrahunt. Alii super parietem reclinare nos ut debiles admonent. Nonnunquam verò oscitare etiam immodicè faciunt. Nonnulli risum nobis movent, ut per hunc ad indignationem contra nos Deus provocetur. Alii per summam desidia festinare nos in versuum pronuntiatione impellunt. Alii contra Psalmidiam protrahere voluptatis causa hortantur. Nonnunquam verò ori etiam insidentes nostro ira illud claudunt, ut vix aperiri posse videatur. An autem vetus Ecclesia ante D. Benedictum horis Canonicis hunc versiculum præmiserit incertum est: nec extat hujusmodi ritus indicium aliquod apud antiquos Scriptores, & quod modò ex Cassiano recitavimus, de privata oratione intelligi debet, ut Joannes Lorinus, vir multæ lectionis observat.

y Lorin. in. ps. 69.

s. V.

De Signo Crucis.

Horæ Canonica à signo Crucis incipiunt. Signi hujus antiquitas, & virtus ex sanctis Patribus. Quâ ratione manu exprimat. Alia quadam de Cruce obiter notantur.

1. **A**saluberrimo signo Crucis omnes horas auspicari solemus. Nam dum Sacerdos sacrarum precum initio divinum postulat adiutorium, eo nos contra diabolicas fraudes armamus, orantes fieri nobiscum signum in bonum, ut videant qui oderunt nos, & confundantur, quoniam Dominus psallentes adjuvat & exsolatur. Hujus tremendi, ac sacratissimi signi quanta sit virtus, quanta antiquitas, quanta potentia, si collectis hinc inde è sanctis Patribus, aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis sententiis, & testimoniis accuratè recensere voluero, integrum volumen scribendum erit, adeò multa mihi est in hanc rem parata suppellex. Ex uberrima igitur messe spicilegium faciam. S. Clemens Romanus & signum Crucis appellat infractum signum, quia sicut signum rem custodit,

z. Clem. l. 1. const. Ap. c. 16.

cui appositum, & impressum est, ita Crux munitionissima rerum omnium custodia est. Sanctus Ignatius Epistola ad Philippenses; Crux Christi perditio diaboli. Sanctus Martialis Epistola ad Burdigalenses, Crucem Domini, in quem credidistis, semper in mente, in ore, in signo tenete, Crux enim Domini armatura vestra. Dionysius ^a Areopagita docet signum Crucis ad omnia sacramenta adhiberi. Justinus Martyr ^b, five Auctor questionum apud ipsum, à diebus Apostolorum usum ostendit emanasse, quo Christiani dexterâ manu seipso, & alia signo Crucis obfignant. Tertullianus ^c notissimum illud scripsit. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, atque exitum, ad vestitum, ad calcatum, ad mensas, ad lavacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Origenes ^d, Quid timent, inquit, demones? quid tremunt? sine dubio Crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt Principatus eorum, & potestates: Timor ergo & tremor cadent super eos, cum signum Crucis in nobis viderint fideliter fixum. Hippolytus Martyr ^e inter alias abominaciones Antichristi hanc enumerat, quod suis cultoribus characterem dabit in dextera, & fronte, ne Crucis signum pingant in frontibus suis. Sanctus Cornelius Papa Epistola ad Fabium Antiochiæ Episcopum Crucem vocat sigillum Domini, quo qui munitus non est, non potest accipere Spiritum sanctum. Cyprianus ^f ad plebem Thibari consistentem: Muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur. Et initio libri de lapsis; Frons cum signo Dei pura diaboli coronam ferre non potuit, coronæ se Domini reservavit. Minutius Felix ^g Ethnicos Crucis ofores irridet, illisque opponit quod signa eorum, atque vexilla nihil aliud sint, quàm Cruces inauratæ. Signo Crucis omnia magica compesci asserit Athanasius ^h. Cyrillus Hierosolymitanus ⁱ: Fac signum Crucis & manducans, & bibens, & sedens, & cubans, & stans, & loquens, & ambulans, & in summa in omni tuo negotio. Basilii ^k differens de dogmatibus, quæ ex Apostolorum traditione sine scriptis recepimus, primo loco commemorat, id quod primum & vulgarissi-

imum testatur, ut signo Crucis signentur qui spem in Christo collocarunt. Lucianus in Philopseudo scribit Eucratem annulo quodam ex Cruce facto adversus demones redditum esse securum. Julianum desertorem etsi Cruci pertinaciter infensum nihilominus adversus terrores, & spectra Cruce se signasse post Gregorium Nazianzenum ^l narrat Freculphus Luxoviensis ^m. Etiam Cosrhoen Regem Persarum, tametsi infidelis esset, virtutem sanctæ Crucis agnovisse testatur jucundâ narratione Evagrius ⁿ. Hieronymus ^o Epistolâ ad Eustochium; Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Crucem; Et alibi refert eandem Eustochium Paulæ matris ægrotæ os, & stomachum signasse, ut Crucis impressione dolorem leniret.

2. Docet Chrysofomus ^p Cruce signandum esse pectus ad turbatos animi motus cohibendos. Augustinus occurrendum diabolo ait cum Crucis vexillo, ut talibus armis indutus facilè vincat Christianus. Scribit Arnobius ^q junior docuisse Dominum digitos nostros ad bellum, quia adversus visibiles, & invisibiles hostes docuit armare frontem triumpho Crucis. Justinus Imperator verba facturus ad populum se signo Crucis muniebat, teste Corippo ^r Poëta Africano, qui, dum ejus laudes prosequitur, sic canit:

*Ipsè coronatus solum conscendit arctum,
Atque Crucis faciens signum venerabile sedit,
Erethaque manu cuncto præsentè senatu
Ore pio hæc orans ait:*

Ludolphus Saxo Carthusianus ^s libro de vita Christi B. Virginem primam fuisse scribit, quæ Crucem adoravit. Joannes Damascenus ^t; Crux inquit, signum nobis data est super frontem, ut Israël circumcisio: per ipsam discernimur ab infidelibus. Ipsa signaculum est, ut non tangat nos exterminator. Sophronius ^u Patriarcha Hierosolymitanus: Crux tutelarîs est, & fidesissima Christianorum custodia, & universorum ex adverso occurrentium insultuum profligatrix. Andreas Cretensis ^x: Crux scala in cœlum deducens, via ad virtutem adducens, vitæ con-

^l Greg. Naz. or. 1. in Jul. ^m Freculph. l. 4. Histor. c. 9. ⁿ Evagr. l. 9. c. 18. ^o Hier. ep. 2. c. 27. ^p Chryf. hom. 83. in Matth. ^q Arnob. in Ps. 143. ^r Corrip. lib. de laud. Justini Imp. ^s Ludolph. par. 2. cap. 66. ^t Damasc. de fide Orithod. l. 4. c. 12. ^u Sophron. homil. de Cruce. ^x Andr. Cret. or. 1. de exalt. Crucis.

^a Dionys. in Eccl. Hierarch. ^b Just. q. 118. ^c Tertull. de cor. milit. c. 3. ^d Orig. Hom. 6. in Exod. ^e Hippol. or. de consum. secul. ^f Cypr. l. 4. Ep. 6. ^g Minut. in Octav. ^h Athan. or. de incarn. Verbi. ⁱ Cyrill. car. 4. ^k Basilii de Spiritu sancto. c. 27.

conciatrix, mortis solutio, corruptionis abalienatio, ignis extinctio, in Deum fiducia, clavis regni caelorum: Crux civitates custodit, domos tuetur, amicitias conglutinat, ab inimicorum injuria vindicat, hostibus resistit, gentes persequitur, barbarorum stimulus, pacis arbitra est. S. Orientius: y

*Accipe tela quibus cordis pia moenia serves,
Cruce tibi sit clypeus, Cruce tibi sit gladius.*

Julianus z in prognostico. Crux ante Christum in die judicii ab Angelis portabitur. Signo Crucis nihil efficacius ad turpes effugandas tentationes afferit ex divina revelatione S. Elizabeth de Schonaua a libro viarum Domini. Severianus Gabalorum Episcopus apud Damascenum b: Percussit Moyses silicem semel, & bis, non eodem modo, sed ita ut Crucis formam describeret, ut natura etiam inanimata Crucis notam verneretur. Theodosius, & Valentinianus Augusti gravissimam poenam c eos mulctari debere statuerunt, qui signum Crucis humi pingere, sive insculpere praesumerent. Anselmus d, sive quisquis est auctor Commentariorum in Epistolam ad Romanos sub ejus nomine: Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat. Audoenus e in vita S. Eligii: Profecto magna res est signum Christi, Crux Christi, sed illis solis prodest, qui faciunt mandata Christi. Thomas à Kempis f in tribus locis praecipue statue signum Crucis; super cor, super os, & super brachium. De eodem signo sic canit Prudentius g Christianorum Poetarum ocellus.

*Fac cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem, locumque cordis
Cruce figura signet.
Cruce pellit omne crimen,
Fugiant Crucem tenebrae,
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
Procul, o procul vagantium
Portenta somniorum,
Procul esto pervicaci
Praestigiator astu.*

y Orient. in Commentario. z Julian. l. 3. c. 5. a Elizabeth. c. 21. b Damasc. or. 3. de Imag. c. L. unic. Nemi licere. d Anselm. ad cap. 10. Rom. c. Audoen. lib. 2. c. 16. f Thom. Kemp. Hospital. pauper. c. 16. g Prudentius Hym. 6.

*O tortuose serpens,
Qui mille per meandros,
Fraudesque flexuosas
Agitas quiesca corda;
Discede, Christus hic est,
Hic Christus est, liquece.
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.*

Sibilla quoque de Cruce sic cecinit in fine libri sexti oraculorum Sibyllinorum.

*O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,
Non te terra capit, sed caeli lecta videbit,
Cum renovata Dei facies ignita micabit.*

Tityrus Christianus apud Severum Rhetorem h signo Crucis à pestilentia servatas pecudes astruit his versibus:

*Hoc signum medis frontibus additum
Cunctarum pecudum certa salus fuit.*

3. Non desunt alii testes, & exempla multorum mirabilium, quae Deo dilecti viri per signum sanctae Crucis sunt operati. Nam quis liber, aut quae pagina Ecclesiasticae historiae, aut quae vita sanctorum hominum legi potest, in quibus non statim invenias saluiferum Crucis signaculo expulsos demones, profligatos exercitus, sedatas tempestates, fugatam pestilentiam, soluta maleficia, evacuatam virus; incendia extincta, interfectos dracones, erectos claudos, caecos illuminatos, curatas infirmitates, mortuos ad vitam revocatos? Hoc signum, inquit Chrysostomus i, & praeisicis & nostris temporibus clausas januas reseravit, hoc venenorum vires extinxit, hoc cicutae vim dissolvit, hoc feroces bestias repressit, hoc lethales serpentum morsus curavit. Etenim si portas inferni perfregit, si caelorum ostia reclusit, si paradisi renovavit ingressum, si diaboli nervos recidit, quid mirum est, si pestifera venena, atroces bestias, aliaque hujusmodi superavit? Sed his praetermissis illud magis quaerendum videtur, quae ratione ipsum Crucis signum exprimi debeat, & manu formari. Sunt qui illud tribus digitis dexteræ manus effingunt, sub sanctissimæ Trinitatis invocatione: sunt qui duobus ad duas Christi naturas contra Monothelitas indicandas. Sunt qui signantes se à superiori in inferius descendunt, & à dextera transeunt ad sinistram, quia Christus de caelo descendit in terram, & à Judæis transiit ad

h Severus in Bucolicis. i Chryl. hom. 55. in Matth.

ad Gentes. Usus tamen communis Occidentalis Ecclesiæ est, ut dexterâ manu Crucis expressio à fronte ad ventrem, & à sinistra ad dexteram producat. Dicimus autem; In nomine ad significandum trium personarum indistinctam Divinitatem. Pater in fronte collocatur tanquam principium sine principio, prima persona Deitatis. Filii nomen pronunciat, cum uterum tangimus, quia ex utero ante Luciferum genitus, & in plenitudine temporis in utero Virginis incarnatus salutem operatus est in medio terræ. Spiritum sanctum exprimimus, cum manum à sinistra parte ad dexteram protendimus, quia videlicet à Patre & Filio utriusque nexus, & amor procedit: & sicut Christus de morte transivit ad vitam, ita nos de miseria transire speramus ad gloriam secundum spem vitæ æternæ. De Crucis signo diffusissime scribunt Jonas Episcopus Aurelianensis, & Dungalus adversus Claudium Iconoclastam Episcopum Taurinensem, itaque Chrysostomus Homilia quinquagesima quinta in Matthæum. Extant quoque de Cruce doctissimæ lucubrationes Julii Lipsii, & Jacobi Gretseri. De ejusdem veneratione antiquos canones refert Antonius Augustinus *k*, de qua re plura etiam habent Baronius *l* in Annalibus, & Jacobus Bosius in Cruce triumphante. Arnoldus Abbas Bonævallensis in hoc apposito signo muniri ait & quod patet, & quod latet, ut habeat caro, & spiritus secura præsidia. Etiam in nummis Crux imprimi solet in testimonium, & jusjurandum bonitatis monetæ in pondere, & materia, ut Nicolaus Oresmius Episcopus Lexoviensis *n* testatur: vel in testimonium Christianæ Religionis, ut scribit Anastasius Abbas initio libri contra Judæos. Quod autem in præliis Crux adversus Crucem congregiatur, portentum est, quod primò apparuit in expeditione Constantii adversus Maxentium *o*: nec enim aliis auspiciis tantum nefas debuit inchoare, quam cum hæreticus Imperator adversus Tyrannum decertaret. Nicolaus Primus *p* in responsione ad consulta Bulgarorum, eos hortatur exemplo Constantini, cui dictum est *in hoc signo vinces*, ut Crucem ferant in signo militari, eam prius caudam equi portarent. Finio, si Crucem prius humiliter salutaverit. Salve bona Crux, splendidior stellis, Lunâ micantior, rutilantior Sole, quæ tanquam vernantibus gem-

mis membris ornata Salvatoris, & pretioso Dei sanguine purpurata super astra cœli felices ramos expandis. Salve lignum electum germinans vitam, fructificans jucunditatem, oleum stillans lætitiæ, balsamum sudans spiritualium deliciarum. Tu salus mundi perditæ, tu portus periclitantium, tu justitiæ norma, tu morum disciplina, tu pugnantium virtus, tu vincientium gloria, tu præmium, & corona. O Crux amabilis, & dilecta salva nos omnes tremendo tuo signaculo munitos, ut qui te fieri voluit nostræ redemptionis primum instrumentum, per te quoque sanctificatos ad suæ gloriæ consortium nos transferat: quatenus in hac nostra qualicumque poenitentia Cruce feliciter consummati per ignominiam passionis ejus ad resurrectionis gloriam perducamur.

S. VI.

De Gloria Patri.

Varii errores recensentur, & confutantur de hujus Hymni origine, & institutione. Quid sit Deum glorificare. Vera gloria quæ sit. Inanis gloria sugillatur, laudatur humilitas.

I. Magnus Basilius incomparabilis Ecclesiæ Doctor, qui sub Valente Imperatore floruit *q*, libro de Spiritu sancto, quem in sui defensionem ad Amphilochem Iconii Episcopum scripsit, hujus versiculi: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, quem Patres antiqui hymnum glorificationis vocabant, duobus locis mentionem facit. Primò, capite septimo his verbis; Proinde quod à majoribus nostris dictum est, & nos dicimus, gloriam esse communem Patri cum Filio, quapropter & glorificationis Hymnos Patri simul cum Filio offerimus. Clarius deinde, & fusius capite vigesimo septimo, professionem fidei velut initium quoddam glorificationis fecimus. Sed quid faciendum est? Nunc enim doceant nos, ne baptizemus quemadmodum accepimus, aut ne glorificemus quemadmodum credimus; & paucis interjectis. Dictum est igitur nihil referre ad sensum, sive dicas; *Gloria Patri, & Filio, cum Spiritu sancto*: sive dicas, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui*
M m m m m
san-

k Ant. Aug. l. 16, juris Pontif. tit. 14. *l* Baron. an. 60. *m* Arnol. de verb. Dom. c. ult. *n* Nic. Ores. de mut. monet. cap. 13. *o* Baron. an. 353. *p* Nicol. l. 1. c. 33.

q Baron. an. 371. n. 71. & seqq.

sancto. Magnus item Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus, qui triginta & amplius annis ante Basilium florere cepit, libro de Virginitate, sive de Mediatione, nonne disertis verbis hunc Hymnum commemorat? Cum, inquit, surrexeris à mensa rursum gratias agendo trinis vicibus dicas: Misericors, & misericors Dominus escam dedit timentibus se; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, rursumque post peractam glorificationem preces tuas absolvas. Ab hisce insignibus insignium virorum testimoniis ordiri libuit, quo plura errorum capita uno ictu rescinderem. Nam in primis lapsi sunt, qui ex Theodoret¹, ex Sozomeno², ex Tripartita³, & clarius ex Nicephoro u Flavianum Monachum Antiochenum Hymni hujus faciunt Auctorem. Cum enim Catholici Imperante Constantio Patrem cum Filio pari gloria celebrarent, Ariani verò ambiguis locutionibus Filium Patre inferiore ostendere conarentur, Flavianus (ut isti ajunt) coacta Monachorum caterva primus omnium clara voce cantavit; *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*. Sed hunc Hymnum Flaviano antiquiorem esse Athanasii, & Basilii citatæ auctoritates convincunt. Errarunt & alii, qui post Walfridum Strabonem x à magna Synodo Nicæna compositum fuisse affirmant: idque Heremias Sozomenus y indicare videtur, cum agens de Leontio Episcopo Antiocheno ait illum, tamen Ariani esset, eos tamen qui Hymnis fidei Concilii Nicæni consentientibus Deum laudarent, prohibere noluisse, ne populus seditionem conflaret. At verò glorificationis Hymnum non esse à Nicænis Patribus inventum Baronius z Ecclesiasticæ antiquitatis instructissimum promptuarium concludit tum ex allato Basilii testimonio, tum quia fideles cum ab ipsis Apostolorum temporibus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizarentur, tres easdem personas jam dicto Hymno conglorificari ceperunt.

2. Sanè Ariani sicut baptismi formam, ita glorificationem corruperant, ut dicerent, *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto*: cum Catholici more usitato, & antiquitas tradito uterentur psallentes, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*. Cumque idem Ariani ore sacrilego blasphemantes assererent fuisse tempus, quando

Filius non erat cum Patre, adversus hujuscemodi sceleratam loquelam decrevit Nicæna Synodus, ut illa appendix, *Sicut erat in principio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen*, ad antiquam glorificationem adungeretur. Testatur id Concilium primum Vasense, seu Vasatense, verius Vasionense in Gallia paulò post Nicænum tempore Constantii Imperatoris sub Julio Papa celebratum, licet ejus Canones confusi existant cum Vasionensi Secundo sub Leone Magno; hac sanctione edita. Quia non solum in Sede Apostolica, sed etiam per totam Orientem, & totam Africanam, vel Italianam propter hæreticorum astutiam, qua Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore cepisse blasphemant, in omnibus clausulis post *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*; Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen, dicitur: etiam nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus. Sicut autem diximus solemnem doxologiam non fuisse à Nicæna Synodo adinventam; ita etiam asseveramus non fuisse ab ea statutam, ut in fine ejusque Psalmi concineretur. Nam cum fuerint postea hac de re diversæ diversarum Ecclesiarum consuetudines, consentaneum est credere, nullam fuisse communem universali Ecclesiæ præceptionem, à qua proculdubio nullus fidelium deviare præsumpsisset. Multi Scriptores alioquin fide dignissimi hanc legem canendæ doxologiæ in fine Psalmorum ad Damasum Papam referunt, à quo de hac re editam sanctionem ajunt Divo Hieronymo suadente, & procurante. Decepti sunt isti ob Epistolam Hieronymi ad Damasum, quæ habetur primo tomo Conciliorum in rebus Damasi, in qua hæc leguntur; Precatur ergo cliens tuus, ut vox ista psallentium in sede tua Romana diu noctuque canatur, & in fine Psalmi cujuslibet sive Matutinis, sive Vespertinis horis conjungi præcipiat Apostolatus tui ordo, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, & quæ sequuntur. Decepti sunt, inquam, nam ut in calce prædictæ Epistolæ in Concilio Coloniae editis ex Baronio notatum est, ab eruditissimis Hieronymi res accuratius expendentibus ea tanquam adulterina, ac planè commentitia exploditur.

3. Imposturam detexit Joannes Cassianus a, qui de institutis Cœnobiorum differens ait; Illud etiam quod in hac Provincia vidimus, ut uno cantante in clausula Psalmi omnes astantes concinant cum clamore *Gloria Patri, & Filio,*

¹ Theodoret. l. 2. Eccl. hist. c. 24. ² Sozom. lib. 5. cap. 19. ³ Tripart. l. 4. cap. 35. u Niceph. Call. lib. 9. cap. 24. x Walfrid. de reb. Eccl. cap. 25. y Sozomen. loco citato. z Baron. an. 325.

a Cassian. lib. 2. de inst. cœnob. cap. 8.

& Spiritui sancto, nusquam per Orientem audivimus; sed cum omnium silentio ab eo qui cantat finito Psalmo orationem succedere: hac verò glorificatione Trinitatis tantummodo solere Antiphonam terminari. Ex his verbis quis non videat nullam fidem Epistolæ prædictæ esse adhibendam: Si Cassianus sagacissimus sacrorum rituum observator nusquam audivit gloriam post Psalmos in Oriente cantari, quomodo Hieronymus, qui quinquaginta ferè annis ante Cassianum floruit, potuit usum qui non erat in Occidentem transferre? Vigilius Papa b in fine omnium Psalmorum dicit ab omnibus ex more *Gloria Patri* asseverat: atque etiam quorundam reprehendit errorem, qui subductâ unâ syllabâ conjunctivâ perfectum conabantur minuere vocabulum Trinitatis dicentes, *Gloria Patri, & Filio, Spiritui sancto*. Apud Baronium c extat Canon Narbonensis Concilii, quod celebratum fuit æra 627. anno scilicet Christi 589. centum sexaginta, & amplius annis post obitum Hieronymi: Ut in psallendis ordinibus per quemque Psalmum gloria dicatur Omnipotenti Deo; per majores verò Psalmos, prout fuerint prolixiores, pausationes fiant, & per quamque pausationem gloria Trinitatis Domino decantetur. Ex quibus omnibus colligi potest, usum canendi gloriam in fine Psalmorum non tantam præ se ferre antiquitatem, quantam vulgus Scriptorum existimat. Scriptum de hoc Hymno tractatum anagogicum Joannes Gerson d mysticæ Theologiæ professoribus maximè utilem. Illud autem certissimum est, Hymnum glorificationis ab Apostolis compositum, à Patribus Nicænsis auctum, ab universa Ecclesia receptum omni reverentia cantandum esse. Qui enim irreverenter & nimis festinanter eum pronuntiant, non Deum glorificare, sed blasphemare dicuntur; de qua re notabilis visio S. Annonis Colonienfis Archiepiscopi refertur in ejus vita lib. 2. cap. 18. apud Surium die 4. Decembris. Gloria omniam Deus est, ait Hermes ille ter maximus in Pimandro, ac propterea ipsi soli debetur gloria, ut fiat quod scriptum est, e *Afferre Domino gloriam, & honorem, afferre gloriam nomini ejus*. Ut verò docet Fulgentius f, Quemadmodum non est aliud justificare, nisi justos facere; sic non est aliud glorificare, nisi gloriosos facere: Ideo quando Deus nos glorificat, facit nos glo-

riosiores, facit honoratioris: at verò cum nos ipsum glorificamus, nobis prodest, non illi. Nam quomodo eum glorificamus? Gloriosum dicendo; non faciendo. Proinde cum dixisset in Psalmo, g *Sacrificium laudis honorificabit me*, ne putares te aliquid præstare Deo offerendo illi sacrificium laudis, protinus addidit, *Et illic iter quo ostendam illi salutare meum*. Neque enim consistit glorificatio in novæ gloriæ adjectione ad eum qui glorificatur, sed in gloriæ jam habitæ manifestatione.

4. Rectè gloriam describit Romanæ eloquentiæ princeps h: Gloria est solida quædam res, & expressa, & non adumbrata: ea est consentiens laus honorum, incorrupta vox benè judicantium de excellenti virtute: ea virtuti resonat tanquam imago. Quod si veritas, & stabilitas veræ gloriæ necessariò attribui debent, quamnam vera gloria censenda erit, nisi illa duntaxat, quæ perpetua est, & immutabilis? Quantum enim inter gloriam, & ignominiam, ait Chrysostomus i, tantum inter cœlestem illam gloriam, & hanc humanam est differentiæ. *Vani sunt filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum k*. Et unde tibi gloria putride vermis? Nonne scriptum est l; *Sine me nihil potestis facere? Si ergo accepisti omnia, quid gloriaris quasi non acceperis? Quare quod alienum est usurpas tibi? Solum Deo honor, & gloria*, inquit Apostolus m. Et ipse Dominus per Prophetam n quid dicit? *Gloriam meam alteri non dabo*. Non ergo gloriatur sapiens in sapientia, nec fortis in fortitudine, nec dives in divitiis. Omnis enim qui se exultat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur: Vera, & secunda gloriatio est in Domino gloriari, sicut ille Dei præco nos hortatur dicens o; *Qui gloriatur, in Domino gloriatur*. Quæ verba explicans speciali sermone Bernardus ait: Noverat Apostolus gloriam propriam esse Creatoris, non creaturæ: sed consideravit rationalem creaturam adeò affectare gloriam, ut aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit, quippè quæ ad imaginem facta est Creatoris. Propterea secundum datam sibi à Deo sapientiam saluberrimum adinvenit consilium dicens: Quandoquidem persuaderi nobis non potest non gloriari, saltem qui gloriatur, in Domino gloriatur. Enimvero, ut ait Hieronymus p, si ab

M m m m 2 homi-

b Vigil. epist. 1. c Baron. au. 597. num. 31. d Gerson tom. 3. de hymn. Gloria. e Psalm. 28. Fulg. l. 1. ad Monimum.

g Psalm. 49. h Cicero 3. Tuscul. i Chryf. hom. 17. de Rom. k Psalm. 61. l Joann. 15: 5. m 1 Tim. 1: 37. n Isa. 48: 11. o 1 Cor. 3: 31. p Hier. in c. 5. ep. ad Gal.

hominibus quero gloriam, vitium est: si à Deo, virtus est. Hæc meminisse nos decet, cum gloriam Domino cantamus, ut juxta verbum Prophetæ q *Benedicta sit gloria Domini de loco suo*, de corde scilicet humili, & pacifico, de corde mundo, & recto, quia, ut dicit Chrysostomus r, Cum Deum glorificamus, sed non rectè vivimus, tunc maximè in ipsum contumeliosi sumus.

S. VII.

De alleluja.

Hujus vocis præconia ex Patribus. Cur ex Hebraico in Græcum, vel Latinum idioma non sit translata. Cur certis diebus intermittatur. Cur prolixiori modulatione cantetur. A quo primum cantari cæperit. Ejus multiplex usus. Quid Latine significet. Addita quadam ex Hebraico fonte de decem præcipuis nominibus Dei.

1. **L**audem singularem apud eruditos invenit in explicandis divinis Officiis vir doctrina, & sanctitate conspicuus Rupertus s Abbas Tuitiensis. Ab ejus elegantissimis verbis libet hanc tractationem de cantico Domini Alleluja exordiri. Alleluja, inquit, Latine linguæ peregrinum nomen est, cujus mysterium velut quoddam gaudii stillicidium de divitiis supernæ Hierusalem primum in mentem Patriarcharum, & Prophetarum, post in Apostolorum ora plenius per Spiritum sanctum delapsus est. Significat enim æternum Angelorum, & beatarum animarum convivium, quod est semper laudare Dominum, & præsentis, semperque videndi vultus Dei novum sine fine cantare miraculum. Quapropter non interpretatum hoc Hebraicum nomen remansit, ut peregrinum ab hac vita gaudium peregrinum nihilominus signaret potius, quam exprimeret vocabulum. Quoniam igitur futuræ beatitudinis quasi proprium est vocabulum, jure eo tempore magis frequentatur, quo resurgens Dominus ejusdem beatitudinis spem nobis propinavit, & promissum. Hinc dum Pfallimus Alleluja, jubilamus magis, quam canimus, unamque brevem digni sermonis syllabam in plures neumas, vel neumarum distinctio-

q *Ezech. 3. 12. r Chrys. ho. 7. ad Philip. f Rupert. l. 1. de divin. offic. cap. 355*

nes protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, & rapiatur illuc, ubi sancti exultabunt in gloria, latrabuntur in cubilibus suis. Hæc Rupertus, qui & idem argumentum fufius alibi r prosequitur. Beda u quoque Venerabilis omni disciplinarum genere sua ætate doctissimus, ejusdem cantici referans arcana, Rectissimè, ait, & pulcherrimè generalis sanctæ Ecclesiæ mos inolevit, ut hoc Divinæ laudationis carmen propter reverentiam primæ auctoritatis à cunctis per orbem fidelibus Hebræa voce cantetur. Quod ideo fit, ut per talis consonantiam devotionis omnis admoneatur Ecclesia, quia & nunc in una fidei confessione, ac dilectione Christi consistere debeat, & ad illam in futuro patriam festinare, in qua nulla diversitas mentium, nulla est dissonantia linguarum. Idcirco autem plures magistri Ecclesiæ decantationem Alleluja tempore Quadragesimæ intermittendam esse sanxerunt, ut novæ ejus repetitio majorem, gratioremque Paschalibus solemnibus honorificentiam reddat, & splendorem. Sed & hoc in mysterium maximè designare voluerunt, quod in hujus exilii peregrinatione, sicut ex parte novimus, & ex parte prophetamus, ita etiam ex parte Dominum laudamus dicentes cum Propheta, *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Cum vero nostram patriam, terram scilicet viventium, domumque regni cœlestis nobis olim à Domino repromissam intrare meruerimus, tunc ut illum perfectè intueri, sic etiam perfectè valebimus collaudare. Ex his duorum præclarissimorum hominum sententiis manet explicatum, cur Alleluja nativi idiomatis primigeniam retinuerit vocem, cur certis diebus intermittatur, cur prolixiori notarum decursu cantetur. Alia quædam adferunt alii haud contemnenda.

2. Augustinus x: Nec Latino, nec barbaro licet Alleluja in suam linguam transferre: Amalarius y Alleluja quod cantatur in recordatione æternæ lætitiæ, tam lætitiæ electorum, quam laudem Domini ad memoriam reducit. Omittitur tempore Septuagesimæ, & loco ejus dicitur *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*, quia cum Latina lingua humilior sit Hebræa, admonemur nos debere informari ad humiliorum conversationem in tempore Septuagesimæ, quam

t *Id. ibid. l. 4. c. 8. u Beda hom. in Dominic. post Ascens. x Aug. epist. 178 y Amalar. lib. 3. cap. 13.*

quàm in alio tempore. Albinus Flaccus z: Quia hac voce Angelos in cœlo Deum laudare cognovimus, hujusmodi voce laudationis creditum est Deum delectari. Hoc quoque idèd canimus, ut eundem Deum nos colere in terra ostendamus, qui etiam colitur ab Angelis in cœlo. Beatus Ivo Carnotensis a: *Alleluja* non hujus temporis laudes, sed æternæ vitæ gloriæ significat: unde mos inolevit, ut in diebus Septuagesimæ non cantetur, quia sunt dies luctus, & pœnitentiæ. Rursum Rupertus b. Quia in Septuagesima antiquæ Ecclesiæ nondum redemptæ statum commemoramus, nostrumque incolatum, quia prolongatus est, deplangimus, pulchro sacris ordine *Alleluja* ab ore nostro tollitur. Bernardus c: In luctu pœnitentiæ Septuagesima præsens agitur, unde & recitetur interim *Alleluja* solemne, & humanæ transgressionis historia miserabilis ab exordio recensetur. Leo Nonus d in Decreto Gratiani, idèd per novem Hebdomadas intermitteri putat *Alleluja*, quod postea in festo Resurrectionis reassumitur, quia novem sunt ordines Angelorum, quorum decimus per superbiam corrui, & Angelicum immittit numerum. Homo autem creatus ut impleat eorum ruinam Christo surgente resurrexit. Sed non consonat cum placitis Theolog. ejus de decem Angelorum choris sententia, quam etiam tenet Saloniſius in caput septimum Ecclesiasticis. Etiam Calendis Januarii non dicebatur olim *Alleluja*, ut refert Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum hac ipsa die, idque vetitum propter errorem Gentilium ipsas Calendas multiplici superstitione pollutum Concilium quartum Toletanum e affirmat: Seraphicus Bonaventuræ f; Solemus longam notam post *Alleluja* super hanc literam A prolixius decantare, quia gaudium Sanctorum in cœlis interminabile, & ineffabile est. Stephanus Eduensis g. Allelujatici cantus modulatio laudes fidelium Deo dicatas exprimit, & gratiarum actiones, quibus suspirant ad æterna gaudia. Verbum est breve, sed longo protrahitur pneumate. Nec mirum si vox humana deficit ad loquendum, ubi mens non sufficit ad cogitandum, quia quæ vox, quæ lingua poterit repetere, quæ præparavit Deus diligentibus se? Lucas Tudenſis h ad-

versus Albigenſes: Jubilus est mentis gaudium, quod homo intra se cohibere non valens in vocem verbis non expressam erumpit. Hoc sacrificium Deo plerumque offert Ecclesia, quando in sacrificio laudum sine verbis pneumata canit. Tyrrheni, teste Nicomacho Geraseno Manualis Harmonici lib. 1. cum summum Numen summo honore afficere volebant, non articulatis vocibus & verbis aliquid significantibus utebantur, sed sibilis & vocibus inarticulatis ineffabilem illius majestatem designantibus. Repræsentamus etiam hac vociferatione illa nobis bona futura post carnis dissolutionem, quæ verbis explicari non possunt. Richardus Victorinus i. Iteratur *Alleluja* ad significandam laudis æternitatem. Cassiodorus k vir clarissimus: Hoc verbi decus *Alleluja* à Ps. 104. fecit initium, nec ante à ququam reperi positum: hoc Ecclesiis votivum, hoc sanctis festivitibus decenter accommodam: hinc ornatur lingua cantorum, istud aula Domini l x ta respondet, & tanquam insatiabile bonum tropis semper variantibus innovatur.

3. Non possum non subiraſci hoc loco Tholosano Præsidii Durantol qui admonet *Alleluja* esse Græcam vocem, idque Bedam credidisse ait, cum Beda dicat manifestè Hebræum esse vocabulum, & Hebraica nomina ponat in libello de eorundem interpretatione. Miror & Anselmum m Cantuariensem Episcopum scripsisse *Alleluja* non esse vocem alicujus linguæ, sed Angelicam, quæ non habet propriam interpretationem in aliqua lingua. Miror inquam virum doctissimum non vidisse antiquorum Patrum commentaria asserentium genuinam hujus nominis significationem. Sed omnis Homo aliquid humanum patitur, & quandoque bonus dormitat Homerus. Quod autem spectat ad usum canendi hanc vocem scribit Epiphanius n Aggæum Prophetam primum fuisse, qui *Alleluja* cantavit anno ante Christum 517. cum novam templi structuram vidit, ut adimpleretur quod Venerabilis ille Tobias o prophetico spiritu prædixerat, *ex lapide candido, & mundo omnes plateæ Hierusalem sternentur, & per vicos ejus Alleluja cantabitur.* Nec alibi in tota serie veteris testamenti exceptis Psalmis p, & libro Tobie isthæc

M m m m 3 vox

z Albin. l. de div. Offic. c. de celebr. Missæ. a Ivo Ser. de sacram. dedicat. b Rupert. l. 4. c. 5. c Bern. in fin. Ser. 1. de Sept. d De cons. d. 1. c. Hi duo. e Conc. Tol. c. 10. f Bonav. l. de expos. missæ. c. 2. g Steph. Eduen. l. de sav. altar. c. 12. h Luc. Tuden. l. 2. c. 6.

i Richard. in c. 10. Apoc. k Cassiod. in ps. 104. l Durant. l. 2. d. de tit. Eccl. c. 20. m Ansel. in cap. 19. Apoc. si ramentum ipse ejus operis auctor est. n Epiphani. lib. de vita, & morte Prophetæ. o Tob. 13. 22. p Psalm. 104. & in titulis aliorum psal. quæ sunt 20.

vox reperitur expressa. At in nova lege admirabilis Joannes audivit in caelo superharum virtutum agmina psallentia, & dicentia *Alleluja* q, ut inde cognoscamus in novam Christi Ecclesiam è caelo descendisse nobilissimum hoc canticum *Alleluja*. Optime Isidorus in suo Breviario Mozarabico, Dominica prima xl. *Alleluja*, in caelo & in terra: in caelo perpetuatur, & in terra cantatur: ibi sonat jugiter, hic fideliter: illic perenniter, hic suaviter: illic feliciter, hic concorditer: illic ineffabiliter, hic instanter: illic sine syllabis, hic modulis: illic ab Angelis, hic à popalis. Extat in ditione Torretana inigne cœnobium, quod *Alleluja* nuncupatur. Hoc autem nomen, ut ex Æthiopica legatione Francisci Alvarez r refert David à Mauden, ab Asceta quodam religiosissimo accepit, qui sæpius audierat in caelis hanc vocem ab Angelis decantari. Est igitur *Alleluja* canticum beatorum, quod jugiter in patria Domini modulatur. Nam ut scite scribit Augustinus s, Quid habituri sumus in illa patria, quid acturi sumus? In secula seculorum laudabunt te. Hoc erit totum negotium nostrum sine defectu *Alleluja*. Idem alibi t. Dicamus quantum possumus *Alleluja*, ut semper dicere mereamur. Ibi cibus noster *Alleluja*, potus *Alleluja*; actio quietis *Alleluja*, totum gaudium *Alleluja* erit, id est laus Dei. Quis enim laudat aliquid sine defectu, nisi qui fruitur sine fastidio?

4. Quidam secuti Sozomenum u existimarunt Ecclesiam Romanam in die duntaxat Dominicæ Resurrectionis cecinisse *Alleluja*, cujus erroris antesignanus fuisse videtur Vigilantius, quem idcirco B. Hieronymus x acriter reprehendit. De eadem re arguit Latinos Michael Patriarcha Constantinopolitanus in epistola ad Joannem Episcopum Travensem: cui respondet Humbertus y Cardinalis Episcopus Sylvæ candidæ dicens, *Alleluja* toto anno psallimus, exceptis novem Hebdomadibus, quibus id intermittere à Patribus nostris accepimus, quibus scilicet negligentias aliorum temporum diluere attentius debemus. Sicut enim quondam populus in eremo peccatum Idololatriæ in seipso puniturus, & Ninivitæ poenitentiam in prædicatione Jonæ acturi, omnem ornatum suum & delicias deposuerunt, & saccum & cinerem sibi imposue-

runt, nec peregrinis verbis, ac exquisitis sive dulcisonis melodiis; sed propriis sermonibus, & incompositis sive amaris ejulatibus ad Dominum clamaverunt: sic & venerabiles Patres nostri agere consueverunt. Unde ornamenta, & delicias divitis linguæ tempore Quadragesimæ depolentes, pauperium habitum nostræ linguæ nobis imponimus, stulti facti propter Christum, nihil nos scire judicamus nisi per ipsum crucifixum. Sanctus Augustinus z diversas diversarum Ecclesiarum hac de re consuetudines fuisse testatur. Ut autem, inquit, *Alleluja*, per solos dies quinquaginta; tempore videlicet Resurrectionis, in Ecclesia cantetur, non usquequaque observatur. Nam & in aliis diebus variè cantatur alibi, atque alibi, ipsis tamen diebus ubique. In Africanis regionibus, teste Isidoro a, non omni tempore, sed tantum Dominicis diebus, & quinquaginta post Domini Resurrectionem *Alleluja* cantatur pro significatione futuræ resurrectionis, & lætitiæ. Verum apud nos, ait ille, secundum antiquam Hispaniarum traditionem præter dies jejuniorum, & quadragesimam omni tempore canitur *Alleluja*, scriptum est enim, *semper laus ejus in ore meo*. Quod verò scribit Gregorius Magnus b Damasum Papam ex B. Hieronymi traditione accepisse, ut ad imitationem Hierosolymitanæ Ecclesiæ Romanæ concineretur *Alleluja*, id eandem intelligendum est. Non enim cepit eo tempore in Ecclesia Romana cantari *Alleluja*; sed cum tempore tantum Paschali cantaretur, tunc sancitum est, ut etiam extra illud frequentaretur. Porro vivente Damaso adeo communi usu liquet eam vocem fuisse receptam, ut in funere quoque defunctorum audiretur. Dum enim agerentur exequiæ Fabiolæ, ut Hieronymus c scribit, sonabant Psalmi, & aurata tecta templorum reboans in sublimem quatiebat *Alleluja*. In sacris item defunctorum Liturgiis invenio ab Hispanis dictum *Alleluja* in Missali Gotthico, sive Mozarabico secundum regulam S. Isidori. Missa siquidem pro defunctis sic incipit: *Tu es portio mea Domine alleluja, in terra viventium alleluja, alleluja*. In Ecclesia Gallicana eundem ritum viguisse acta S. Radegundis testantur apud Baronium d. Græci quoque dicunt *Alleluja* in officio pro his, qui dormierunt. Hebræi liberati divino auxilio à morte, quam eis paraverat Ptolomæus Philopator Rex

q Apoc. 19. r Alvarez ca. 41. s Mauden inc. 13. Tobra. s Aug. in ps. 83. t Id. Serm. 7. de duob. piscationibus. u Soz. l. 7. c. 19. x Hieron. in initio lib. adv. Vigilantium. y Humbert. adv. Michaelem Constantinopol.

z Aug. ep. 119. c. 17. a Isidor. l. 1. de div. off. c. 13. b Greg. lib. 7. ep. 63. c Hier. ep. 30. d Baron. an. 390. num. 39.

Ægypti, gratias agentes, & inclamantes Alleluja cum gaudio recesserunt, ut habetur lib. 3. Machabæorum e, quo Latini carent. Olim pro celestinate cantatum à nautis Alleluja refert Sidorius Apollinaris. f

*Curvorum hinc chorus belciariorum
Concinentibus Alleluja ripis*

Ad Christum levat amnicum celestina.

Appositè ad hanc rem Augustinus g. Celestina nostrum dulce cantamus Alleluja, ut læti, ac securi ingrediamur sempiternam, ac felicissimam patriam. Paulinus de eadem voce sic canit: h

*Hinc senior sociæ congaudet turba catervæ,
Alleluja novæ balat ovile chorus.*

Infantes ipsi in hanc vocem linguam primum solum docerantur. Agricola rusticum opus agentes eo cantico laboris molestiam allelujabant. Hac eadem symbolica voce ad collectam, sive ad synaxim Monachi olim convocantur, quæ omnia tradit in ep. S. Hieronymus i.

5. Narrat Victor Vitenfis k, quod in Paschali solemnitate irruentibus Arianis in Ecclesiam, & sagittas in Catholicos spargentibus, cum lector unus pulpito insilens allelujaticum melos caneret, sagitta in guttur jaculatus cadente de manibus codice martyr occubuit. Psalmos allelujaticos legimus apud Augustinum l. Apud Theodorum Balsamonem m legunt nonnulli cantica allelujaria, nescio qua fide, nam in textu quem citant quosdam dumtaxat reprehendi reperio, qui in nobilibus defunctorum memoris laudatorias preces cum jambis, musica, & organica cantica cantillabant, & pro epithalamio recitabant: nisi fortè quispiam Græcum illud *μυσικήν ἢ ὀργανικὴν ἢ ἑπιθαμιαίαν* translulerit cantica allelujaria. Hoc obiter libuit annotare. S. Germanus Parisiensis Episcopus concinens Alleluja magnum extinxit incendium, ut Fortunatus Pictaviensis n scripsit in ejus vita. Ab altero Germano Episcopo Antiodorensi devictos fuisse hostes, dum Sacerdotis inclamaretur Alleluja, acta ejus à Con-

stantio Presbytero o conscripta commemorant. Bandomina p sanctimonialis in vita sanctæ Rade-gundis Reginae; Usque adeò, inquit, ab ejus corde & ore laus Dei non recesserat, ut, eum vocare vellet prætereuntem sanctimonialem, pro nomine proprio diceret Alleluja. Audiam in templo Serapidis vocem concinentem Alleluja, & tanquam prodigium habitam, quod templum destruendum foret, & occupandum à Christianis refert Sozomenus q. Et revera sic factum est. Nam ejus ruinam Dei hostis Eunapius Sardinus r. Diabolico spiritu ætatis describit, & pro Sacerdotibus Idolorum Monachos ibidem substitutos his verbis exaggerat: Cultus Numinis apud Alexandriam, & Serapidis delubrum disturbata, dissipataque fuere, non religio tantum, sed universa fabrica, & omnia cum habuerunt exitum, quem Poëtarum fabulæ tribuunt gigantum victoriæ. Et qui bellum nunquam auditione acceperant, Serapidis ædem funditus demoliti sunt, templique donariis manus hostiliter injecerunt. Et post pauca. Iidem postea in sacra loca invexerunt Monachos sic dictos, homines quidem specie, sed vitam turpem porcorum more exigentes, qui in propatulo infinita, atque infanda scelera committebant, quibus tamen pietatis pars videbatur sacri loci reverentiam proculcare. Sic ille blasphemus, cui consonat carmine elegiaco Rutilius s in Itinerario pari furore in Monachos Lirinensis Insulæ debachatus. Quod licet parergon eò libentius adnotavi, ut clarius agnoscant lectores, quo spiritu ducantur recentiores hæretici, qui prædicta Idololatæ verba magno solent plausu adversus Monachos effutire, & in suis commentariis aureis fermè literis exarare.

6. Extat in Regula sancti Benedicti t integrum caput, quo sanctus Pater determinat dicendum Alleluja à Pascha quidem usque ad Pentecosten sine intermissione: à Pentecoste autem usque ad caput Quadragesimæ omnibus noctibus cum sex posterioribus Psalmis nocturni Officii: omni verò Dominica extra Quadragesimam ad cantica nocturnorum, & ad omnes horas Vesperis dumtaxat exceptis. In cujus Monasticæ sanctionis explicacione mirè se torquet Rupertus Abbas u tacito nomine Cistercienses sugillans, quasi præferrent literalem Regulæ observantiam uni-

e 3. Machab. in textu Græco circa finem. f Sidor. 2. ep. 12. g Aug. l. 2. de cantico novo cap. 2. tom. 9. h Paulin. ep. 18. i Hieron. ep. 7. 17. 27. k Victor lib. 1. de persec. Wandalica. l Aug. in ps. 105. m Theod. Bals. ad can. 106. Conc. Carthagen. n Fortun. Ep. Pictavian. in vita S. Germ. cap. 5.

o Constant. lib. 1. c. 28. p Bandomina l. 2. q Sozom. l. 7. c. 20. r Eunapius lib. de vitis Philosoph. in Aedeso. s Rutil. v. 440. t Bened. Reg. c. 15. u Rupert. in Reg. S. Bened. lib. 2. c. 13.

universalis Ecclesiae praecepto quo statuitur in Septuagesima dimitti *Alleluja*. De qua re eodem Cistercienses olim reprehendit Petr. Abaelardus & his verbis: *Alleluja* nec in Septuag. communi Ecclesiae more intermittitis, sed usque ad Quadragesimam retinetis. Sed nunc omnes Monachi tam Cistercienses, quam aliarum Congregationum non discrepant in hac re ab Ecclesia Romana, quae mater est cunctarum Ecclesiarum. Atque id jam suo tempore à quadam Synodo Gallicana statutum fuisse Smaragdus Abbas & commemorat. Quo verò tempore sanctissimus Legislator regulam scripsit, nondum sic erant officia ordinata, ut in Septuagesima *Alleluja* deponeretur, insinuat Augustinus z, & clarè docet Concilium Tolentanum. a

7. Sed age videamus quid Latine significet hoc Hebraicum nomen *Alleluja*. Qua in re multas omitto ineptas quorundam interpretationes verò sensui haud consentaneas quas curiosi Lectori Joannes Lorinus b, & Ludovicus ad Alcazar e abundè suppeditabunt. Dico igitur verum, & legitimum hujus vocis sensum ex Hebraico idiomate sumendum esse. *Alleluja*, non est una simplex dictio, sed è duobus vocabulis componitur הללו *Hallelu*, & יהי *Jah*: & sonat laudate Deum cum jubilo, lætitia, & cantu, הללו *Hallelu* idem est ac laudate, vocem extollite cum lætitia, à radice הלל *Hallal*. Est secunda persona numeri multitudinis modi imperativi in Pihel. הלל *Hillel* significat laudare, lætari, insanire, illuminare, splendere: quarum omnium significationum exempla affert Sanctus Pagninus in Thesouro linguæ sanctæ ex R. David Kimchi, verbo יהי *Jah* unum est ex nominibus Dei: ideo *Alleluja* hilarem habet acclamationem, & jucundam exhortationem ad laudes Dei concinendas, quæ cum uno Latino vocabulo sufficienter exprimi nequeat, majores nostri primitivam Hebraicæ idiomatis nomenclaturam retinuerunt. Auctor quæstionum ad Orthodoxos inter opera Justini Martyris d sic *Alleluja* explicavit: *הַלְלוּ אֱלֹהִים בְּכָל יְמֵי חַיְוֵיכֶם*, laudibus celebrate canentes id quod est, sive ipsam ens. Nomen enim יהי *Jah*, dictum volunt nonnulli ab יהי *hajah*, quod est esse. Dionysius Areopagita in fine capitis quarti de Eccle-

siastica Hierarchia hujus vocis mentionem facit, quæ in sacri Christum confectio cantabatur. Porro, ait, sacrum divinitus inspiratorum Prophetarum *אֱלֹהִים* ajunt qui Hebraicè norunt, laudem Dei significare. Clarus Abbas Vercellensis in sua Paraphrasi. *Alleluja* autem secundum Hebræos interpretatur laus Dei, vel laudate Deum: Quam explicationem approbat Carthusianus e in libri hujus elucidatione. Illud verò advertendum, multò majorem vim apud Hebræos habere hanc vocem *Alleluja*, quam apud Latinos Laudate Deum; hoc est enim exhortantis, vel excitantis ad Deo laudes reddendas: at *Alleluja* vim potius habet interjectionis quàm verbi, & vehementem sonat affectum acclamantis præ gaudio, & ex laude Dei exultantis, atque in jubilo, vocemque lætitiæ erumpentis.

8. Quoniam autem de nominibus Dei semel injecta est mentio, danda mihi venia est, & permittendum, ut divertam paulisper, in hortulosne dicam, an in sylvas convalles Hebraicarum eruditionum? Imò nec divertam quidem, cum quotidie Prophetico moneamur affatu Dei nomen sanctum laudare, extollere, magnificare. Teste igitur D. Hieronymo f decem sunt apud Hebræos nomina principalia, quibus in sacris Bibliis Deus nominatur.

Primum est אל *El*, pro quo Græci *ελεος*, Pagninus fortem vertit, ut Psalmo 49. *Deus Deorum Dominus locutus est*, יהוה דבר, אל אלהים *Elohim Adonai dixer*, Pagninus interpretatur, Fortis Deus Dominus locutus est. Et Exodi 15, ubi nos legimus: *Quis similis tui in fortibus Domine?* textus Hebraicus sic habet *מי כמותך באלים יהוה* *Michamochah baelim Adonai*. Quæ verba cum fortissimi Duces Machabæi solis capitalibus litteris ממי Mem, Chaph, Beth, Jod in vexillis pro militari tessera inscribi fecissent, inde Machabæi Hebraicè dicti sunt.

Secundum nomen est אלהים *Elohim*, habetur statim initio Geneleos. בראשית ברא אלהים *Beresith bara Elohim*. In principio creavit Dii, est enim Elohim numerus multitudinis, quo nomine insinuat mysterium sanctissimæ Trinitatis in ipso limine scripturarum. Attribuitur Judicibus, & Sacerdotibus, ut Exodi 22. *Applicabitur ad Deos*, id est ad Judices. Et *Dii non detrahes*, id est Sacerdotibus. etiam pro An-

x Abaelard. epist. 5. y Smaragd. in cap. 15. Reg. 8. Bened. z Aug. in ps. 110. a Concil. Tol. 4. can. 11. b Lorin. in psal. 104. c Alcaz. in Apoc. c. 19. d Justin. qu. 50.

e Carthus. ar. 37. f Hieron. ep. 136. ad Marcel. lum.

Angelis usurpatur, ut Psalmo 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis*, Hebraicè מלאכה Me elohim, à Diis. In ipsa rerum creatione describenda triginta duabus vicibus repetitur, unde Cabalisticè triginta duas semitas sapientiæ stulto profusus, ac inani studio collegerunt.

Tertium nomen est אלהי Elobe. Exodi 5. אלהי העברים Elobe Hab hiurim, Deus Hebræorum vocavit nos. Quartum est צבאות Sabaoth virtutum, sive exercituum Deus, cujus singulare est צב Sabah exercitus, Psal. 23. Dominus virtutum צבאות יהוה צבאות Adonai Sabaoth. Et 1 Reg. 1. Ut sacrificaret Domino exercituum. יהוה צבאות Lodonai Sebaoth.

Quintum עליון Ngbelion excelsus, summus, altiss. Pl. 90. Qui habitat in adiutorio עליון altissimi.

Sextum אהיה Ehiel, qui est Exod. 3. Qui est אהיה misit me ad vos. Et supra, ego sum qui sum, אהיה Ehiel ascer Ehiel, quem textum legunt Septuaginta, Ego sum ipsum אהיה ens. Solus enim Deus per suum esse essentialiter subsistit, à quo tanquam à fonte & plenitudine totius essentiae, & existentiae cuncta quae sunt essentialiter dependent.

Septimum אדוני Adonai, nos Dominum generaliter appellamus: quando significat Creatorem scribitur cum puncto camets sub Nun, quando attribuitur creaturæ cum alio puncto. Psal. 67. אדוני יומיו Baruch Adonai jom jom, Benedicetur Dominus die quotidie. Ponitur aliquando in numero multitudinis vel ornatus gratia, vel ob majorem divinæ Majestatis reverentiam. Psalmo 135. יהוה אחד הודו להודנה baadonim, Confitemini Dominis Dominorum, ubi vulgata legit singulariter, Confitemini Domino Dominorum.

Octavum est ipsum nomen יהי Fab, cujus occasione huc digressi sumus. Quidam dictum autumant ab היה hahah, quod est esse: dar enim Deus cunctis rebus ut sint, & permaneant. Alii à timendo à radice ירא jare timuit, quod Deus è cunctis timendus sit, quibus & Targhum ad stipulatur pro יהי Fab sapiens vertens timorem. Isaia 26. יהי אדוני bejah Adonai, in Domino Deo. Et Pl. 67. יהי אדוני bejah scemo. In Deo nomen ejus, quod vulgata legit, Dominus nomen illi.

Nonum est illud celeberrimum, ineffabile, אהיה אהיה quadriliterum, inominabile, אהיה אהיה tremendum, & inexplicabile יהוה de quo non solum Hebraei, sed etiam Graeci, & Latini Scriptores multa scitu dignissima

scribunt. In Sacris Literis primò scriptum reperitur Genesis 2. In die quo fecit Dominus Deus caelum, & terram. ביום עשית יהוה אלהים ארץ ושמרים Bejom nghascoth Adonai Elohim erets, vefamaim. Perfecta enim à Deo rerum universarum creatione perfecta ejus appellatio adhibetur. Hoc est illud nomen, de quo ipse Deus Exodi 6. dixit ad Moysen, אהיה יהוה Ego Dominus, qui apparuit Abraham, Isaac, & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum יהוה non indicavi eis. Pro nomine autem tetragrammato Septuaginta verterunt Graecè ΚΥΡΙΟΣ, & Latinus Interpres loco ejus substituit Adonai, qua in re Hebræorum traditionem sequuti sunt. Non enim audent nomen sacrum quatuor litterarum אהיה אהיה eloqui, aut pronunciare, sed pro illo aliud subrogant nomen Adonai, sive Elohim. Porro hodie vera, & legitima hujusce nominis pronuntiatio ignoratur. Nam quod quidam perperam hebraizantes per hanc vocem Jehova efferendum censent, quam erroneum, & inane sit, pluribus ostendunt duo viri rerum Hebraicarum peritissimi Bellarminus, & Genebrardus: hic Epistola ad Lectorem, quam Commentariis in Psalmos praefixit, ille in Grammatica exercitatione super Psalmum trigessimum tertium statim in principio primi versus. Hujus doctrinae cupidus ad hos remitto. Certè notarunt viri eruditi hoc vocabulum Jehova ignotum profus fuisse priscis Scriptoribus, qui vel inter Christianos, vel inter Hebræos sacri idiomatis cognitione floerunt, quicquid scribat in contrarium Petrus Faber g, plurimæ licet lectionis homo, in suo libro singulari, quem Dodecamenon, sive de Dei nomine inscripsit. Quamvis autem vera nominis prolatio ignoretur, non ideo censendum est, quod voce exprimi nequeat, alioquin nec nomen quidem esset, nec literis, & syllabis constaret. Cardinalis Cusanus h ideo ineffabile dici putat, quia est complexio omnis vocalitatis, sunt ejus literæ vocales, & quiescentes, quia in Deo omnia quiescunt. Ajunt Cabalisticè quandam esse hujus Divini nominis expositionem, quam vocant scem hamephoras, quæ per duo praesertim nomina fieri solet, quorum unum duodecim, aliud est quadraginta duarum litterarum, de quibus diffusè satis, & eleganter differit Petrus Galatinus libro secundo de arcanis Catholicæ veritatis ex R. Haccados. Hoc

N n n n n nomen
g Pet. Faber dodec. cap. 5. h Nic. Cusan. dialogo de Genesi.

nomen est fundamentum, & radix omnium nominum divinarum, cæterisque omnibus præminet. Alia enim nomina vel dicuntur de Deo propter actus notionales, ut esse Patrem, Filium, Verbum; vel per relationem ad creaturas, ut esse Creatorem, Dominum, Conservatorem: vel propter attributales perfectiones, ut esse justum, sapientem, omnipotentem: vel per remotionem imperfectionum, ut esse infinitum, immutabilem, immortalem. At verò nomen *יהוה* ipsum esse divinum significat, ut est in seipso, per se subsistens, inñitum, independens, & prorsus incomprehensibile. Joannes Goropius Becanus vir summæ literaturæ scripsit in sua Hermathena id nominis fuisse Deo impostum ab Adamo, sed confutatur à Petro Fabro, qui libro supracitato clarissimè probat ipsummet Deum sibi ipsi hoc nomen imposuisse, & Moysi revelasse, atque ante Moysen omnibus Patribus inauditum fuisse. Licet enim in Genesi sæpius legatur, id per prolepsin factum est ab ipso Dei Chronologo Moysè. Plura de hoc nomine Raimundus Martini antiquus auctor nunc primum editus Parisiis in Pugione fidei, Archangelus Burgonovensis libro de selectioribus, & obscurioribus Cabalistarum dogmatibus, Annibal Rosselius k in Pimandrum Trismegisti, Pererius l in Exodum, Reuelinus libro de verbo mirifico, Joachimus m Abbas in Apocalypsim, R. Moyses n Ægyptius libro de dubiis perplexis Veteris Testamenti, R. Isaac in explanatione nominis sancti, S. Simeon Ben Joachai libro Zoar, R. Akiba, R. Jacob Cohen, & ex nostris insignis nugator Guillelmus Postellus in librum magno Abrahæ falso adscriptum, cui titulus *Sepher Jeshira*, id est liber Creationis, R. Joseph Castiliensis in Porta lucis apud Paulum Riecium lib. 4. de Cælesti agricultura, & alii Cabalistarum in plerisque ridiculi, qui cautè legendi, & quantum permittit Ecclesiasticæ censuræ districtio.

Decimum nomen est, *יהוה* Saddai, quod nos robustum, victorem, omnipotentem, & sufficientem sibi possumus interpretari. Genesis 17. *אני אל שדי* Ani el Saddai, Ego Deus omnipotens, Psalmo 67. Dum discernit *יהוה* Saddai cælestis reges super eam. Derivari potest à *שדד* Sadad, quod est vastare, spoliare, diripere, quia Deus omnia vastare, & in nihilum redigere potest.

i Raimund. 3. p. distin. 3. c. 2. & 4. k Rossel. l. 3. dial. 3. l Perer. in Exod. c. 6. m Joachim in Apocal. c. 1. n R. Moys. l. 1. c. 62.

Vel à *שדי* Schin, & *די* Dai, quod est sufficere, quia per se sufficiens est ad omnia: & ut inquit Algazel o, solus absolute dives est, & ab omni dependentia liber. Alii deducunt à *שדד* Scad, quod uber, & mammam significat: unde Saddai idem erit ac Deus uberum, Deus scilicet pietatis, & misericordiæ, Deus veniæ & consolationis.

Hæc sunt decem præcipua Dei nomina, quæ in Sacris Literis frequentius usurpantur, quorum omnium virtus in nomine JESU includitur, dicente Apostolo p, Dedit illi nomen, quod est super omne nomen: ut quod olim Prophetia signaverat, veritas adimpleret, & hoc est nomen, ait Hieremias q, quod vocabunt eum *יהוה צדק* Adonai Tsidkenu, Dominus justus noster: loquitur autem de Christo, ut patet ex contextu. Idem Zacharias r vaticinatus est dicens, In die illa erit Dominus unus, & nomen ejus unum. Quod autem omnia nomina divina includantur in nomine JESU fusè pertractat Franciscus Georgius Venetus s in Harmonia mundi. Defino, & lectorem metum hortor ad laudandum nomen Dei cum solemnibus canticis Alleluja. Ut autem mea sit efficacior exhortatio, non meis, sed Augustini t verbis peroro. Hortamur vos, ut laudatis Deum, & hoc est, quod nos omnes dicimus, quando dicimus Alleluja: Sed laudate de totis votis, id est ut non solum lingua vestra, & vox laudet Deum; sed conscientia vestra, vita vestra, facta vestra. Etenim laudamus modò in Ecclesia, quando congregamur: cum quisque discedit ad propria, quasi cessat laudare Deum. Non cesserit benè vivere, & semper laudat Deum: nam si à vita bona nunquam declinet, lingua tua tacet, vita tua clamat, & aures Dei ad cor tuum. Ergò, fratres, non tantum ad sonum attendite, cum laudatis Deum, toti laudate: Cantet vox, cantet vita, content facta.

o Algazel, de nominibus Dei. p. Philip. 2. 9. q Hier. 23. 6. r Zach. 14. 9. s Fr. Venet. cans. 2. tom. 9. c. 6. 7. 8. Aug. hom. 16. inter 50.

S. VIII.

De Invitatorio.

Cur Psalmus nonagesimus quartus, & quod rituocturnis vigiliis præmittatur. Brevis ejusdem Psalmi explicatio.

L. Si

1. Sicut hęcinae sonitu, tubarumque clangore dispersæ militum classes congregari lo-
lent ad ineundum cum hoste certamen; ita nobis, quorum cœtus sicut castrorum acies ordi-
nantur, ante prolixiorē nocturnæ Psalmodiæ decursum super omnem classici sonum Spiritus sanctus per os Prophetæ potenter intonat dicens, *Venite exultemus Domino*. Hunc Psalmum semper nocturnis vigiliis præmittit Ecclesia, addita brevi Antiphona, quam Invitatorium ex ipso Psalmi argumento nuncupamus. Quis enim adeo perfectus in hęc fragili carnis molli-
ter peritur, qui adversus potestates tenebrarum harum in tenebris dimicaturus divini verbi non egeat adjuvari præsidio, sublevari incitamento? Quia verò ad cœlestes delicias solis victoribus promissas æqualiter omnes invitati, non omnes tamen invitantis vocem æquali fervore subsequuntur: ideo ipsa Invitatorii prælusio, qua diversimodè pro varietate Officiorum, vel ad adorandum Dominum Deum nostrum, vel ad plorandum coram eo qui fecit nos, vel ad ejus gloriam in Sanctis suis prædicandam solemniter invitamur, non post singulas Psalmi lecti-
nes integro, perfectoque modulamine repetitur; sed integra quidem sexies, dimidiata verò tertio iteratur. Senarius enim numerus primus ex omnibus, qui infra decem sunt, perfectus est; quia ex partibus aliquotis, ut ajunt, simul combinatis, ex uno scilicet, duobus, & tribus perfectè resultat: præterquam quod ex proportionē dupla constare dignoscitur, quæ diapason facit omnium consonantiarum perfectissimam. Senaria igitur, eaque integra Invitatorii repetitio illis propriè competit, qui & perfectè cum cordis exultatione Dei laudibus insistere satagunt, & per charitatis studium alios adhuc imperfectos, pro quibus diminuta sit Invitatorii iteratio, ad communionem Dominum ferventer collaudandum hortantur, ut, sicut Spiritus, & Sponsa dicunt Veni, ita qui audit, dicat Veni: & omnes pariter unius moris, & oris psallant cum jucunditate *Venite exultemus Domino*. Marcus Gazæus Diaconus ^u, qui vivebat anno Domini 430. processionem describit Christi fidelium, Psalmum *Venite exultemus* concinentium, & in versiculorum Psalmi intercensione dicentium *Alleluja*, quæ modulatio quandam Invitatorii speciem representat. Scribit quoque Amalarius ^x hunc Psalmum

se audisse Constantinopoli in Ecclesia S. Sophiae in principio Missæ celebrari. Solet Ecclesia, Romana Invitatorium omittere in solo Officio Epiphaniæ, qui ritus antiquissimus est, teste Alcubio & Hugone, tum quia totum officium est de vocatione gentium, ut docet Bonaventura ^y, & ea verba frequentius iterantur, venimus adorare eum: tum quia idem Psalmus in tertio nocturno cantatur, inconveniens autem esset bis in eodem officio eundem Psalmum recitari. Nos verò qui ex præscripto Regulæ nostræ in tertio nocturno tria Cantica è veteri Testamento psallimus, ipsa etiam Apparitionis die Invitatorium more solito decantamus. In Officio Mozarabo S. Isidori Invitatorium appellatur sonus. In regula Monachorum Auctore Anonymo ^z, quem Magistrum vocant, versus apertionis nuncupatur, sive Responsorium hortationis.

2. *Venite exultemus Domino*. Invitat, ait Augustinus ^a, ad magnas epulas exultandi non sæculo, sed Domino. Nisi enim esset in hoc sæculo exultatio mala, quæ distinguenda est ab exultatione bona, sufficeret dicere Venite exultemus, sed breviter distinxit. Quid est bene exultare? Domino exultare. Ergo exultatio mala est exultare sæculo, exultatio bona est exultare Deo. Pie debes Domino exultare, si vis securus mundo insultare. Hęc Augustinus. Quibus autem, & à quo dicitur Venite? Certè non potest fideliter dicere Venite, nisi ille qui jam viam intravit mandatorum Dei, qui jam exultans Domino alios, qui per somnolentiam, distractionem, vel vanitatem longè facti sunt, ferventer invitat, ut veniendo propinquent, propinquando accedant, accedendo exultent: ne fortè inter illos computentur, de quibus scriptum est *b Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me*. Clamant membra diaboli *c, Venite, fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter: Venite, opprimamus pauperem, circumveniamus justum*. Clamant membra Christi, *d Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob*. Venite exultemus Domino, à quo facti sumus. Quò disceditis? Quem sequimini? Diabolum decipientem, mundum deficientem, carnem insufficientem? Convertimini, & venite. Quò? vel unde? Ex vobis in vos ipsos: non enim locorum mutatio, sed conversio

Nanan 2 sen-

y Bonav. in Psal. 94. z Magister regula cap. 44.
a Aug. in Ps. 94. b Matth. 13. 18. c Sap. 2. 6.
Hierem. 18. d Isai. 2. 3.

^u Marc. Gaz. in vita S. Porphyrii. x Amalari. de Ord. Antiphonarum c. 21.

fenfuum lætitiæ Divinæ æternam præparat man-
fionem. Ergo venite exultemus Domino. Sed
ubi est illud, ait Chryfologus e, *Beati qui lu-
gent, & Væ vobis qui ridetis?* Planè beati qui
lugent mundo, & væ qui ridet mundo: sed
beati qui exultant Domino, qui nesciunt de ra-
pinis, nesciunt de fraudibus, nesciunt lætari de
lacrymis populorum. Hæc fit autem exultatio
nostra, inquit Valerianus Cemeliensis Episco-
pus f, ut diu noctuque lætemur in Domino. Hoc
est autem exultare, mandatis Domini tota mente
fervire. *Jubilemus Deo salutari nostro*, à quo re-
dempti, & liberati sumus. Jubilemus vinceatium
vox est, quia igitur vicit piorum chorus impio-
rum superbiam, meritò ad triumphalem Hym-
num Deo psallendum victrix iustorum turma in-
citatur. Porro quod sequitur, *Præoccupemus ja-
ciem ejus in confessione*, dupliciter intelligi potest.
Duplex enim est confessio; Est confessio lau-
dantis ad honorem pertinens ejus qui laudatur;
est confessio gementis ad penitentiam spectans
ejus qui confitetur. Ad confessionem laudis vo-
cantur perfectiores. Nos autem imperfecti ad
penitentiam excitamur, quia non est specio-
sa laus in ore peccatoris. Præveniamus ergo fa-
ciem Dei in confessione, confiteamur Patri,
ne judicem sentiamus: dicamus indulgentiæ
tempore delicta nostra, ne severitati cogamur
exolvere, quæ tacemus, *Et in Psalmis jubile-
mus ei*. Exigit Psalmographus jubilationem tan-
quam conditionem præcipuam ad dignè psal-
lendum: hilarem enim datorem diligit Deus,
& beatus dicitur populus qui scit jubilationem.
*Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex ma-
gnus super omnes Deos*. Rationes affert cur lau-
dandus sit Deus. Quia magnus est super omnes
Angelos, & Principatus, Rex Rerum, & Do-
minus dominantium. *Quoniam non repellet Do-
minus plebem suam*. Eum, inquit g, *qui venit ad
me, non ejiciam foras*. Quia in manu ejus sunt om-
nes fines terræ, & altitudines montium ipsius
sunt. Nihil est tam abditum in rerum natura,
nihil tam eminens, & elevatum, quod non sub-
sit ejus arbitrio, præsentia, & potestati, *Quo-
niam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & ari-
dam fundaverunt manus ejus*. Ne fortè timeas ab
altitudine maris demergi, & multitudinè tribu-
lationum ultra vires aggravari; Scito quoni-
am ipsius est mare, & non permittet fluctus
ejus nimia perturbatione sævire, sed faciet

cum tentatione proventum, ut possis sustinere.
Quod si mentis ariditatem pertimescis, quia exa-
ruit sicut testa virtus tua, accede ad Dominum;
& dic illi, Anima mea sicut terra sine aqua tibi:
& veniet super te gratia ejus, sicut imber tem-
poraneus, & serotinus, ut fructum afferas in pa-
tientia: nam & aridam fundaverunt manus ejus.
Propterea *Venite adoremus, & procidamus ante
Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos*.
Jam commemoratis Dei laudibus, & benefi-
ciis concurramus omnes alacriter ad Dominum:
illum solum adoremus, illi soli procidamus,
illi per humilem subjectionem curvemus genua.
Sola enim illa virtus, ait Leo Pontifex h, illa
sapientia, illa est colenda majestas, quæ uni-
versitatem mundi creavit ex nihilo, & in quas
voluit, formas, atque mensuras terrenam, cœ-
lestemque substantiam omnipotenti ratione pro-
duxit. Sol, Luna, & sidera sint commoda
utentibus, sint speciosa cernentibus, sed ita ut
de illis gratiæ referantur Auctori, & adoretur
Deus qui condidit, non creatura quæ servit.
Quod si solliciti sumus de peccatis, quæ nos
elongarunt à Deo, faciamus quod ait Prophe-
ta, ploremus coram Domino qui fecit nos. Ete-
nim lacrymæ, teste Maximo i, Taurinensi Epil-
copo tacitæ quodammodo preces sunt: veniam
non postulant, & merentur: causam non di-
cunt, & misericordiam consequuntur: nisi quod
utiliores lacrymarum preces sunt, quam sermo-
num, quia sermo in precando fortè fallit, lacry-
ma omnino non fallit. Adoremus igitur, & plo-
remus: rursus ploremus, & adoremus: *Quo-
niam ipse quidem est Dominus Deus noster; nos au-
tem populus ejus, & oves pascuæ ejus*. Ipse pastor,
nos greges: ipse custos, nos oves. Ipse nos re-
git, ipse irrigat, ipse vivifica subministrat ali-
menta. Utrum verò inter oves Domini nume-
rari possimus, ex hoc quod sequitur cognosce-
mus. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdu-
rare corda vestra, sicut in irritatione, secundum
diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me pa-
tres vestri, probaverunt & viderunt opera mea*. O-
ves meæ, ait Pastor k, *vocem meam audiunt, & ego
cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam
do eis*. Ad hæc eos autem dictum est l, *Vocavi &
renuistis*. Quare in hac die salutis, in hoc tem-
pore acceptabili, si vocem Domini audieritis,
vel vocantis per internam allocutionem, vel
clamantis in virtute, & magnificentia, vel in
sibilo

e Chrysol. serm. 46. f Valerian. hom. 10. g Joan. 6. 37.

h Leo Magn. ser. 2. de Nat. Domini. i Max. ho. 3. de Pauc. Petri. k Joan. 10. 27. l Prov. 1. 24.

sibilo aere tenuis susurrantis : audite monentem. sequimini trahentem, nolite rebellantem patrum vestrorum proterviam imitari, de quibus scriptum est, *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem.* Et illi quidem terga verterunt Deo, cum ipse nunquam misericordiae suae beneficia ab eis subtraxerit. Nam *Quadraginta annis*, dicit Dominus, *diffensus fui generationi huic, jurgatus sum cum populo isto, proximus iustitiam in signis, & mirabilibus: Et dixi, semper hi errant corde, semper corde obdurato in peccatis contentiosè egerunt adversum me. Ipsi verò non cognoverunt vias meas, opera mea, & præcepta, vias vitæ, & semitas salutis: quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Irrevocabili nimirum sententia decrevi, ne in terram quietis, quam promiseram Patribus eorum, ingrederentur. Ingens poena hæc est, horrendumque supplicium adversus impios, qui vocem Domini contemnunt audire. Magnus terror, ait Augustinus *m*, ab exultatione cœpimus, sed ad magnum timorem conclusit Psalmus iste. Jurantem hominem debes timere, ne propter jurationem faciat, quod contra voluntatem ejus est: quanto magis Deum, qui nihil temerè jurare potest? Ecclesia itaque à spiritu veritatis edocta nocturnæ precis initio hunc Psalmum decantat, ut discamus exultare Domino cum tremore, quasi hilares, sed nondum securi. Quia verò benè cœpisse dimidium operis fecisse est, maximoperè studendum est, ut hoc solemne nocturnæ synaxis exordium pio mentis affectu, & sincera cordis intentione percurramus, omnes creaturas Dei ad ejus laudes nobiscum decantandas alacriter invitantes.

§. IX.

De Hymnis.

Hymnorum usus antiquissimus. De Hymnis Orphei. Varia genera Hymnorum. Laudantur Hymni ex sacris, & prophæticis auctoribus. Quid sit Hymnus. Quo ritu cantari soleant.

I. N Ulli dubium est Hymnorum usum antiquissimum esse. Homerus enim, & illo majores natu Linus, Musæus, & Calli-

m Aug. in hunc Psalm.

machus ingentem illorum Deorum turbam pluribus, iisque doctissimis Hymnis celebrarunt, quorum venustatem etiam nunc vel ipsi sapientissimi viri admirantur. Auctor est Pausanias in Bœoticis, Licium Oden primum omnium Hymnos composuisse. Alii *n* hunc primatum Anthi Anthedonio tribuunt. Sed quicquid sit de primo Hymnorum Auctore, illud certissimum est, quod & Pausanias *o* advertit, Hymnos Orphei religione, sanctitate, & elegantia cæteris omnibus antecire. Claruit hic, teste Suida *p*, sub Judæorum judicibus sublato Atheniensium regno: eumque primas Theologiæ partes post Hermetem Trismegistum obtinuisse Marcellus Ficinus *q* asseverat. Sed & Gregorius Nazianzenus *r* Pythagoricam Philosophiam ex eo produsse innuit, & Cyrillus Alexandrinus ejusdem Hymnos præ cæteris commendat lib. 1. contra Julianum. Jacobus Boulduc *s* hunc verè, & Moisaicæ Theologiæ sectatorem fuisse non sine probabilibus conjecturis suspicatur. Tatianus *t* quidem, Clemens Alexandrinus *u*, aliique nonnulli *x* negant Hymnos Orphei esse, qui ejus nomine insigniti circumferuntur, sed Onomacriti Atheniensis, vel cujusdam Cercopis: sed istos errasse, & revera Orpheum extitisse, atque Hymnos composuisse sapientum auctoritas, omniumque Doctorum consensus evincit, ut Guillelmus Canterus *y* in novis lectionibus observat. Princeps Mirandulanus una, & triginta conclusionibus practicè ostendit à se primum reperta in Orphicis Hymnis magiæ naturalis occulta mysteria, secretam scilicet humanarum, divinarumque rerum sapientiam. Mercurium verò Trismegistum Hymnos item scripsisse, quibus in sacris utebantur Ægyptii tradit Clemens Alexandrinus *z*. Varia sunt autem Hymnorum genera, quibus vetusto sacrorum ritu utebantur Græci. Præcipua fuere tria, quæ Cœlius Rhodiginus *a* enumerat, Profodion, Hyporchema, Stasimon: Profodion, Litanía, sive supplicatio dicebatur, cum sacrificium ad altare proferrent: Hyporchemata concinebant saltantes in altaris ambitu, ubi sacra jam igni admota forent: mox cum quiescentes canerent, Stasima

Nnnn 3 voca-

n Scaliger. l. 1. Poetic. c. 46. o Pausani. in Botic. p Suid. v. Orph. q Ficin. præm. in Pimandy. r Nazianz. orat. 33. num. 30. s Boulduc. lib. 3. de oggio Christiano. t Tatianus or. adv. Græc. in fine. u Cl. Alex. 1. Strom. x Cicero 1. de Nat. Deor. y Canter. nov. lect. lib. 3. c. 3. z Clem. Alex. 5. Strom. a Rhodig. lect. antiq. lib. 8. c. 3. & lib. 4. cap. 5.

vocabantur. Plura de Hymnis Photius *b* ex Procli laudabilibus de re poetica. Hymnum, inquit, sic dictum ajunt, quasi *ἑπιμνηστικόν*, id est commemoratio quaedam sit, & quasi in memoriam revocet res gestas eorum, qui hymnis celebrantur. Quare omnia melici carminis genera in gratiam sacrorum ministrorum conscripta hymni vocabantur. Hujusmodi sunt Profodion, Pæan, Dithyrambus, Nomos, Adonidia, Jobacchus, Hyporchemata, Parthenia, Daphnephorica, Olchophorica, & precatoria. Profodion dicebatur, cum ad aras, aut templa accederent, & in accessu ad tibiam caneatur. Pæan olim Apollini, & Dianæ attributum, ut pestis morbique depellerentur. Dithyrambus in Bacchum conscriptus, Nomion in Apollinem. Est autem Dithyrambus concitatus, & multum furoris cum saltatione ostendens, & ad affectus vehementiores comparatus, quare Phrygiam, & Hypophrygiam adhibet harmoniam, & concitatus est numeris, & dictione utitur simpliciori: Nomos contra per affectus, & numeros leviores remittitur, composito gradu ac magnifico incedit, & Lydio modo temperatur. Adonidia in Adonim referebantur. Jobacchus in festis, & sacrificiis Bacchi cum insolenti fremitu caneatur. Hyporchema vocabant carmen cum saltatione decantatum. Parthenia virginum choris adaptabantur. Daphnephorica cum lauros nono quoque anno Apollini inferebant. Olchophorica ab Atheniensibus caneantur palmites vitis gestantibus plenos maturis uvis, quod ipsi Olchin vocarunt, unde & carminibus nomen inditum est. Precatoria ab his componebantur, qui à Deo aliquid rogarent. Hæc Photius ex Procli *γεννησις*. Aliam hymnorum divisionem tradit Scaliger *c* in Poeticis: seu verius Menander Rhetor initio libri de divisione causarum in genere demonstrativo, à quo Scaliger eam accepit. Sunt enim hymni Glytici, sive evocatorii, aut invocatorii: sunt apopemptici, quibus ethnici Deos suos quasi abeuntes postremo festorum die prosequiebantur. Sunt etiam Physici, quibus dies, & nox: mychici, quibus justitia, & pax celebrantur. Sunt genealogici, proscæntici, heroici, pæanes, & mixti: Qua vero ratione ad colenda Numina adhiberentur hymni, docet Natalis Comes *d* in Mythologis.

2. Obscurum est quod minutores quidam Scriptores ajunt, primum hymnorum usum in

b Photius col. 239. *c* Scal. l. 3. poetic. c. 112. *d* Nat. Comes lib. 1. cap. 16.

agresti, rudique vita apud pastores extitisse: nullum enim extat hujusce ritus vestigium. Romæ à Saliis Sacerdotibus Martis hymni saliares à Numina Pompilio compositi cantabantur ante omnem Poetarum memoriam. Non est autem cur Græci semper mendaces primam hymnorum inventionem sibi arroganter attribuunt: Moyfes enim, cujus ingenium, & mirabilem dicendi vim Dionysius Longinus *e* miratur, & alii vates Hebræi hymnos Deo cantantur multis ante seculis quam in Græcia Poetæ flourerent. Atque ut fileam de cæteris, Moses vixisse creditur octingentis circiter annis ante conditam Urbem, adhuc vigente prima Monarchia Assyriorum. Rex quoque David à Philone Hebræo hymnographus autonomasticè nuncupatur, & in morem Pindari, Flacci, & Alcæi lyra excellenter personnit. Age verò quam excellens, quam nobilis Hymnorum usus dicendus est, quos non solum Apostoli, & alii fideles in primitiva Ecclesia frequentarunt, sed ipse etiam Christus exemplo suo commendavit? *Et hymno dicto*, ajunt Evangelistæ *f*, *exierunt in montem olivarum*. Dubitavit olim Carolus Magnus Imperator, quisnam fuerit Hymnus iste, quem dixit Jesus post cenam, cumque hanc quæstionem Albino Flacco *g* propoluisse, respondit ille longa, & elegantè epistola, confutatque primò eorum sententiam, qui dicunt fuisse aliquem psalmum: tum asserit, vel non omnia ab Evangelistis scripta esse, vel Hymnum fuisse partem illam sermonis, *Pater clarifica filium tuum*, & quæ sequuntur Joannis XVII. Iste est Hymnus, ait Albinus, sacratissimus, & pulcherrimus, & cunctis pernecessarius credentibus, quem advocatus noster Dominus Jesus Christus peracto nostræ salutis, & suæ pietatis convivio magna dulcedine, & mirabili suavitate præsentibus suis discipulis decantavit. Ipse est hymnus, quem in spe vitæ æternæ beatitudinis memoria tenere debemus. De Hymnis quos caneant Christiani initio nascentis Ecclesiæ multa Eusebius *h* ex Philone. Dionysius libro de divinis nominibus passim hymnos admirabilis viri Hierothei magistri sui citat, & commendat, quem imitatus scripsit & ipse plures Hymnos, qui tamen injuria temporis perierunt. Idem Dionys apud Euseb. *i* Hymnos Nepotis collaudat, quos tunc fideles cantabant. S. Athenogenis antiqui Theologi

Hymnum, *e* Dio. Longin. libro de sublimi eloquen. *f* Matrb. 26: 30. Marc. 14: 26. *g* Albin. epist. 106. *h* Euseb. l. 2. Eccl. hist. cap. 16. *i* Idem l. 7. c. 19.

Hymnum, quem cecinit per ignem martyrium consummaturus tanquam vulgò notum citat Basiliius libro de Spiritu sancto ad Amphilochem, ipsumque vocat exiterion, id est egressorium, vel ut alii legunt alexiterion, id est amuletum. Equis est adeò rudis, & imperitus Ecclesiasticæ antiquitatis, qui nesciat Paulum Samosatenum in Concilio Antiocheno damnatum, quod Hymnos, & cantus in honorem Christi compositos exploderet, ut patet ex epistola Catholicorum Episcoporum in historia Ecclesiastica Eusebii & S. Ephræm Harmonium hæreticum Bardefanis Syri filium, & Gregorius Nazianzenus Apollinarium sacris Hymnis filere fecerunt.

3. Plato Philosophorum mens rectissimum fore ait, ut Hymni, & laudes Dei precibus mixtæ canantur. Idem asserit Proclus lib. 2. Platonicæ Theologiæ cap. 11. Agelaus nunquam Hymnos dicere desinebat, teste Xenophonte in ejus vita. Militibus sacros Hymnos commendant Leo Imperator, & Joannes Cantacuzenus. Ipse quoque Julianus desertor eorum usum laudat, & extollit in quadam oratione, sive epistola acephala, cujus solum fragmentum ad nos pervenit. Eosdem inter assiduas Imperii curas Carolus Magnus frequentasse gesta ipsius testantur. Robertus Rex Franciæ cum Avallo nem obfideret, sacrosque Hymnos decantaret, magna pars murorum spontè corruit, ut tradit Paulus Æmiliius o. Concinnè apud Arrianum Epicætetus p. Num aliquid oportebat nos, si quidem intelligentia in nobis est quædam, publicè, & privatim facere quam laudare & celebrare Numen, eique pro beneficiis in nos collatis gratias agere? Nonne & fodientes decet, & arantes, & comedentes canere Hymnum Deo? Magnus Deus, qui nobis instrumenta hæc, quibus terram coleremus, exhibuit: magnus, qui nobis manus dedit, item ut gula deglutire possemus, qui ventrem, qui incrementa corporis occulta, qui ut sopiri somno possemus spirare effecit. Pro his universis laudare eum decebat, ac præstantissimum, divinissimumque Hymnum accinere confessionem hanc exprimentem, quod nimirum dederit nobis facultatem assequendi hæc omnia, ac certa via, rationeque iis utentem. Quid igitur sit? Quandoquidem plures cæci estis, an non esse oportet aliquem isto munere fungentem, & pro omnibus

debitam laudem Deo exhibentem? Si ego lusciniæ essem, facerem quod solent lusciniæ: si Cygnus, Cygni more canerem. Atqui composum rationis. Itaque Hymno mihi celebrandus est Deus: nam meum illud est officium, quod sanè præstabo, nec deferam ordinem hunc quoad ejus possum: vosque ut idem faciatis, atque eadem incedatis via, hortor. Hactenus Epicætetus. Et cantum quidem Hymnorum utilem esse ad movendum piè animum, & accendendum divinæ lectionis affectum asserit Augustinus, q: De quibus Hymnis, inquit, in Ecclesia canendis, & ipsius Domini, & Apostolorum habemus documenta, & exempla, & præcepta. Augustino suffragantur alii Patres, quos in re clarissima superfluum est recensere. Est autem Hymnus, si propriè loquamur, ἡ εἰς Θεὸν ἀδὴ, Dei laus per carmen, sive cantus in Deum, sicut scholiastes Sophoclis definiit. Athenæus r in dipnosophistis; Hymnus cantus de Deo. Gregorius Naz. s in carminibus, Modulata laus est Hymnus, ut quidem arbitror. Elias Cretenfis r ejusdem Gregorii Scholiastes, Hymnus divinæ gloriæ est decantatio, laudisque ipsius prædicationis. Chrysostomus Proemio 2. in Psal. Hymnus est honorum verborum conceptio, quæ Deo offertur pro bonis, quæ nobis adsunt. Minus recta videtur Hymni finitio, quam assignat Ven. Beda præfatione in Psal. Hymnus est propriè laus Dei metricè scripta: si enim ad Hymnum ligatam orationem necessariam existimat, errat. Primarii sapientiæ antistites sunt, apud quos reperimus Hymnos soluta oratione compositos, videlicet apud Trifmegistum in Pimandro, Platonem in Symposio, & in Phædro præter alios adnotavit Rhodiginus u. Marinus Neapolitanus in Proclo, sive de felicitate, Hymnos inquit, efficiunt alii metro, alii oratione soluta. Egregiè Augustinus x Hymni proprietatem describit. Hymnus scitis quid est? Cantus est cum laude Dei: Si laudas Deum, & non cantas, non dicis Hymnum. Si cantas, & non laudas Deum, non dicis Hymnum. Si laudas aliquid, quod non pertinet ad laudem Dei, est cantando laudes, non dicis Hymnum. Hymnus ergo tria ista habet, & canticum, & laudem, & Dei. Laus ergo Dei cum canticum Hymnus dicitur. Quidam recentiores Poëtæ suis carminibus, quibus Sanctos invocant, Hymni titulum præfigunt, sed

pro-

k 1d. ibid. c. 24. l Plato 7. de legib. m Leo Imp. de re
taficæ. 12. n. 113. n Cantacuz. l. 3. c. 62. o Paul.
Emil. in vita Roberti. p Epicætet. l. 1. c. 16.

q Aug. ep. 119. c. 18. r Athen. l. 4. c. 4. s Nazian.
Jambo l. 15. v. 14. t Elias in or. 9. Naz. n. 21.
u Rhodig. l. 7. cap. 5. x Aug. in Ps. 148.

propriè Hymni ad Deum pertinent, & soli Deo conscribi solent, quod præter alios observat Menander Rhetor. y

4. S. Benedictus z in Reg. Hymnum vocat Ambrosianum, nam tempore Divi Ambrosii frequentius cantari ceperunt Hymni ab eodem compositi, ut ipsemet de se testatur in fine concionis de basilicis non tradendis hæreticis. Monastica verò Regulæ sanctionem sic explicat Walfridus Strabo z, ut beatissimus Legislator per Ambrosianos, vel eos intelligat Hymnos, quos consecit Ambrosius, vel alios ad imitationem Ambrosianorum compositos. De qua re extat hic canon secundi Concilii Turonensis b. Licet Hymnos Ambrosianos habeamus in canone, tamen quoniam reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos præter ea quorum auctorum nomina non fuerint in limine prænotata: quoniam quæ fide constiterint, dicendi ratione non obstant. Hymnos authenticos, qui in antiquis hymnariis reperiuntur, nominatim recenset Radolphus Tungrensis c eosdemque collegit, ac scholius illustravit Jodochus Clichtovæus. Laudant Hymnorum auctores Isidorus d, Rabanus Maurus e, Walfridus Strabo f, & Berno Augiensis g. Sunt autem præcipui, qui Hymnos scripserunt, Synesius, & Hilarius Episcopi, Cosmas Hierosolymitanus, Joannes Damascenus, Theophanes, Theosterictus, Theoleptus, Merrophanes Smyrnæus, Prudentius, Beda, Sedulius, Paulinus, Venantius Fortunatus, Fulbertus Carnotens. Paulus Diaconus, Thomas de Aquino, Joannes Geometra, Maximus Margunius, & alii. In Officio nocturno solent hymni statim post Invitatorium decantari. Vocati enim, & invitati ad Deum illic quæ gaudemus, & exultamus, & si quæ sunt adhuc torpentia corda ad invitantis vocem nondum factis commota, per Hymni alacritatem, & jubilationem ad Psalmos devotè persolvendos excitantur. Si quidem, ut Magnus scribit Basiliius h, hilarem alacremque animæ æqualitatem hymnica conferunt cohortamenta. In Laudibus verò, itemque in Vesperis, & Completorio Hymni dicuntur post Psalmos, quia cum his horis ferventiores in divinis laudibus inveniri debeamus, con-

sentaneum est, ut ad opus psalmodiæ sine prævia Hymni cohortatione procedamus, ut fiat quod scriptum est, i In Psalmis, Hymnis, & Canticis. Prius enim ponuntur Psalmi, postea Hymni, ut potè res quædam diviniore, teste Chryostomo, demum cantica: qui ordo in hisce tribus officiis omnino servatur, nam post Hymnos Evangelica cantica modulatur. At in cæteris diurnis horis Hymnus præcedit Psalmos, quia curis quotidianis occupatum cor ad dulcedinem divini amoris hymnico personante concentu retrahi debet, sicut dicit Scriptura, k Pinguescent speciosa deserti, & vales abundabunt frumento, clamabunt, etenim Hymnum dicent. Quomodo pinguescet desertum? Quomodo corda depressa, & distracta divinæ gratiæ suavitate abundabunt? clamabunt inquit. Quid clamabunt? Hymnum dicent. Hymnus igitur dicendus est, ut divinæ consolationis epulo saginemur. Eructabunt labia mea Hymnum, inquit Psalmographus l, cum docueris me justificationes tuas. Eructat qui plenus est. Si divina jucunditate repletus es, si donis cœlestibus impinguatus, eructabunt Hymnum labia tua. Quare Hymnus aliquando præcedit, ut laude Dei repleatur os nostrum: aliquando subsequitur, ut de perceptis muneribus summo largitori gratias referamus. Quod enim à superis descendit, ut sapienter scribit Ennodius Ticinensis m, sola licet Hymnorum mercede taxari: Fabricator mundi ad potiora munera modulatis invitatur eloquiis. Hymnos autem idcirco stantes cantamus, ut in corporis erectione rectitudinem mentis ostendamus. Nam quid prodest, ait Augustinus n, quod Hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? Male vivendo multas linguas misisti in blasphemiam. Lingua tua vacat Hymno, & cæteræ te intuentium vacant blasphemis. Si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum ejus, fac voluntatem ejus. Te decet Hymnus Deus, ait Psalmus. Sed ubi? In Sion. In Babylone non decet. Spes nostra fundata est in illa Civitate Hierusalem. Qui cantat secundum hanc spem, licet carne sit adhuc in Babylone, corde tamen cantat in Sion, dicente Apostolo, Conversatio nostra in cœlis est. Qui verò terrenis adhuc inhiat cupiditatibus, hic ab Hymnis alienus est, hic Hymnos cantare nequit de canticis Sion.

§. X. De

y Menander loco citato. z Bened. Reg. cap. 17. a Strabo c. 25. de reb. Eccl. b Concil. Turon. cap. 24. c Radolph. pro. 13. d Isidor. lib. 1. de Ecc. off. cap. 9. e Rab. Maurus. 2. c. 49. f Strabo cap. 2. g Berno Abb. cap. de reb. ad Mis. spectant. h Basil. epist. 1. ad Greg. Theol.

i Coloss. 3: 16. & ibid. Chrysost. k Psal. 64. l Psalm. 118. m Ennod. in Panegyrico ad Theodoricum. n Aug. in ps. 102.

S. X.

De Antiphonis.

Quid sit Antiphona. Quis primus fuerit Antiphonarum institutor. Alteri cantus antiquitas. Antiphona charitatem designat. Suspiria amantis anima.

Feruentissimus Christi Martyr Ignatius primus in Ecclesia Orientali Antiphonis initium dedit, ut Socrates Scholasticus o testatur. Est autem ἀντίφωνος vox contra sonans, sive cantus oppositus, & reciprocus à verbo Græco ἀντίφωνος quod est contra clamare, seu vicissim, & ex adverso respondere. Unde Echo à Græcis Poëtis Antiphonis, id est vicissim resonans, aut reclamans nuncupatur. Antiquiores musici, cum multiplex consonantiæ genus faciant, unum eorum vocant ἀντίφωνος, ut doctissimus Zerlinus p ostendit, estque hujusmodi diapason, diapason diapente, & disdiapason. Ufu verò receptum est, ut sententia, quæ Psalmum vel canticum antecedit, Antiphona dicatur, nam teste Amalario q, totus Psalmus, totumve canticum juxta ejus tonum alternis versibus vicissim cantatur, ac deinde duo chori in ipsa Antiphona post finem Psalmi simul conveniunt. Dico Antiphonam more Ecclesiastico, quamvis sic loquentes irrideat l. r. Dodecachordi cap. 16. Henr. Glareanus, qui Antiphonum dici vult, ut linguæ Græcæ ratio postulat. Ignoscant Critici. Ipsi quoque Psalmi, cum à pluribus alternatim recitantur, Antiphonæ dici possunt, quia scilicet duo chori ad statutæ Antiphonæ symphoniam alternâ modulatione sibi mutuò respondent. Hanc igitur consuetudinem alternatim psallendi habet ab antiquissimis seculis orthodoxa Ecclesia, ab Ignatio nimirum, qui post Euodiam Antiochenæ Ecclesiæ Antistes pontificatus gratiam, ut ait Theodoretus r, per Magni Petri dexteram accepit. Hic in excessu mentis suæ vidit Angelos alternis Hymnis sanctissimam Trinitatem collaudantes, unde psallendi formam in ea visione expressam Ecclesiæ tradidit Antiochenæ, quæ deinde in varias Ecclesias piorum Episcoporum studio insinuata ab omnibus demum Catholicis recepta est. Scio quidem Theo-

doretum s, Suidam t; quos nonnulli recentiores secuti sunt, ad Flavianum, & Diodorum Antiochenos Monachos, qui tempore Constantii Imperatoris floruerunt, hanc institutionem referre. Verumtamen vel errasse istos dicendum est; vel nonde quocunque alterno cantu, sed de solis Davidicis Psalmis intelligi debent. Hi enim primi, ait Theodoretus, psallentium choro in duas partes diviso Hymnos Davidicos alternis canendos instituerunt. Theodorus autem Mopsuestenus citatus à Niceta Choniare lib. 5. Theauri Orthodoxæ fidei c. 30. præfatos Monachos eam Psalmodiæ speciem ex Syrorum Lingua in Græcam transtulisse asseverat. Scio etiam ritum Monachorum tempore Cassiani u diversum fuisse. Nam in cœnobitis hunc morem viguisse refert, ut sedentibus cæteris, & omni cordis intentione ad vocem psallentis intentis unus in medio integrum Psalmum solus cantaret: imò quantalibet multitudo convenisset, nunquam amplius psallebant in synaxi, quàm quatuor fratres. Nondum videlicet illa alternatio in monasteriis approbata fuerat, nec statim in omnes terræ partes propagata. Sanè in Latina, & Occidentali Ecclesia, quotquot scribunt de sacris ritibus, Beatum ajunt Ambrosium Mediolanensem Episcopum primum fuisse, qui Græcorum imitatus exemplum hunc canendi modum per Antiphonas tradiderit, quem postea Damasus Papa Pontificali auctoritate confirmavit. Atque hinc fortasse quorundam historicorum error defluxit alterni cantus auctorem B. Damasum asserentium, quem tamen ipse non introduxit, sed ab Ambrosio institutum Apostolico decreto stabilivit.

2. Hanc veritatem unico testimonio confirmo, quod nullâ possit exceptione pervicax adversarius eludere. Audiamus Augustinum x: scimus enim quia verum est testimonium ejus. Quantum flevi, ait, in Hymnis, & canticis tuis suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? & infra. Non longè cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis, & exhortationis celebrare magno studio fratrum concinentium vocibus, & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò amplius, cum Justina Valentiniani Regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causâ, quâ fuerat seducta ab Arianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia mori parata cum Episcopo suo servo

Ooooo tuo.

o Socrat. lib. 6. c. 8. p Zerlin. initiol. 3. supplem. Musiscalis. q Amalar. l. 4. c. 7. r Theodoret. lib. 1. hæretic. fabularum.

s Id. hist. Eccl. lib. 2. cap. 2. t Suidas v. 28011. u Cassiani. lib. 2. de inst. cœnob. c. 5. & seq. x Aug. lib. 9. confess. cap. 6. & 7.

tuo. Tunc Hymni, & Psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est, & ex illo in hodiernum retentum multis jam, ac penè omnibus gregibus tuis, & per cæteras orbis imitantibus. Hæc Augustinus. Cæterum in Veteri Testamento cantus alternationem adumbratam videmus Isaïæ sexto in duobus Seraphim, qui clamabant alter ad alterum *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Initio autem Evangelii, si non alterni cantus expressio manifesta, aliquod saltem ejus vestigium apud Philonem *y*, & Dionysium Areopagitam *z* reperitur. Et ille quidem choros describit nunc junctis vocibus resonantes, nunc sibi invicem congruè respondentes. Hic verò canentes ad alterutrum laudat, quasi una concordia, & consona sacrarum rerum chorea. Tertullianus quoque in fine libri secundi ad uxorem; Sonant, inquit, inter duos Psalmi, & Hymni, & mutuo provocant quis melius Deo suo canet. Quod si ad sinceram Christi fidelium pietatem profanos etiam ritus adjungere libeat, viguisse apud Ethnicos cantus alternationem manifestum est. Poëtis enim solemne est carmen Amœbæum, in quo cantantes alternis sibi respondent. Sic ille Pastor apud Poëtam in Bucolicis, *a*

*Vis ergò inter nos quid possit uterque vicissim
Experiamur?*

Et post pauca:

*Incipe Damoeta, tu deinde sequere Menalca?
Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.*

Calpurnius, *b*

Tuque prior Corydon, tu proximus ibis Amynta.

Stadius Papinius, *c*

*— Paulatim alternis in verba, minasque
Cunctantur.*

Homerus *d* describit Mus s alternatim cantantes, *αἰεδοὶ ἀμειβομένης φωνῆ ἡσυχῆ* canebant alternantes voce pulchrâ. Sed his omittis, quæ sit mystica Antiphonarum intelligentia libet paucis investigare.

z. Amalarius *e* doctè, & eleganter rem istam edisserit. Quantò melior, ait, anima corpore, tantò melior est cantus animæ quàm corporis. Igitur intendendum est, quæ sit Antiphona animæ. Videtur nobis virtus dilectionis esse, quæ

y Philo de vita contemplat. *z* Dionys. cap. 3. Eccles. Hierarch. *a* Virgil. Ecl. 3. *b* Calpurn. Ecl. 4. *c* Statius 1. Thebaid. *d* Homer. Iliad. 1. v. 604. *e* Amalar. l. 4. c. 7.

conjungit opera duorum fratrum simul. Psalmi ad opera referuntur, Antiphona ad illam dilectionem, qua unusquisque fratri suo porrigit suum opus. Duobus choris alternatur Antiphona, quoniam non potest minus esse charitas, quàm inter duos. Hanc vicissitudinem charitatis significant Cantores, qui alternatim ex utraque parte Antiphonas levant. Hos duos choros designaverunt pennæ animalium invicem porrectæ, quas vidit Ezechiel in figura adventus Christi, & novi testamenti. Conjunctio duarum pennarum Antiphona est, quæ vicem tenet charitatis. Penna enim animalium alterius ad alterum jungitur, ait Gregorius Magnus *f*, quia sanctorum Prædicatorum virtus, atque sapientia vicissim sibi in charitatis atque concordie pace sociatur. Ut autem charitas perfecta sit, necesse est adesse alterum, cui ejus affectus exhibeatur. Ideò Psalmos alternâ modulatione cantamus, quia amor si non sit mutuus, jucundus esse non potest; quandoquidem si desit qui amorem impendat, & qui respondeat, amor non est. Ante Psalmum imponitur Antiphona, quia opus bonum, ut sit meritum, ex charitate procedere debet. Juxta tonum Antiphonæ cantatur Psalmus, quia juxta charitatis mensuram solet manus operari. Frustrâ accedit ad Psalmum cantandum, qui amoris Antiphonam non intermiscet. Fides per dilectionem operatur, nec potest capere frigidum pectus eloquium Dei ignitum vehementer. Sicut enim, ait Bernardus *g*, Græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non novit, nec Latine loquentem, qui Latinus non est: sic lingua amoris ei qui non amat, barbara erit, erit sicut æs sonans aut cymbalum tinniens. In solemnioribus festis, quia perfectior charitas esse debet, duplicatur Antiphona: in aliis autem initio Psalmi imperfectè inchoatur, & in fine integra dicitur, quia, ut explicat Hugo Victorinus *h*, inchoata in hac vita charitas in fine consummanda est. Cantor solus incipit Antiphonam, quæ ab omnibus deinde completur, tum quia charitas ab uno Christo ad membra diffunditur, tum quia summus Dei amor prævenit nostrum, & ipse prior dilexit nos. Ideò post Psalmos cantant omnes communiter Antiphonam, quia commune gaudium à communi oritur dilectione. Tempore Resurrectionis minor est numerus Antiphonarum, quia Clerici, & Sacerdotes Paschalis gaudiis, & Sacramentis quasi succenso clibano intus

f Greg. hom. 3. in Ezech. *g* Bern. serm. 69. in Cant. *h* Hugo c. 3. Specul.

ineus æstuantibus non indigent externis adminiculis, ut ad amorem incitentur.

4. Utinam, Domine Jesu, possideat me semper amor tuus, & vera charitatis Antiphona semper resonet in corde meo. Recedat ab anima mea omnis dissonantia, ut te solum diligam, tibi soli placere cupiam, cui soli debetur amor. Vulnera cor meum potenti jaculo charitatis tuæ, ut amore tuo faucibus vivam semper in vulnere tuo. Absconde me in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum, protege me in tabernaculo tuo à contradictione malorum, qui non diligunt te, nec agnoscunt te, & dicunt mihi; Veni, serviamus Diis alienis, & idolis offeramus libamina, cum tu solus sis Deus, quem solum quaero die ac nocte, attrahens ventum amoris mei, & durissimum terræ hujus incolatum detestans à malitia inhabitantium in ea. Fecisti me Domine ad te, & inquietum est cor meum, donec requiescat in te. Sed quando te videbo? Quando apparebo ante faciem tuam? Quando fatiabor pulchritudine vultus tui, in quem desiderant Angeli prospicere? Renuit consolari anima mea, nec requiem invenire potest, nisi in te dulcedo mea, & unicum solatium cordis mei. Veniat igitur dies illa, dies inquam æternitatis, dies quæ nescit occasum, in qua te perfruar sine fine, in qua videbo te revelatâ facie, ad quem nunc de longè suspiro.

METRUM XL.

Hei mihi, dulcis Amor, mea qui suspiria solus,
Et gemitus nosti, cordis & mea vides,
Hei mihi, te quaerens, qua non loca tristis obrui,
Nec, mea vita, tamen te reperire queo.
Non mihi sunt sylvæ, non spinæ lustræ relicta,
In via fluctu vagi, nec via spreta maris.
Sed mare dum peragro, dum terras lustris, nec ulla
Respondent lacrymis compita trita meis:
Sento me tantos frustra impendisse labores,
Perque viam insuetos at tentasse pedes.
Dicite vos socii, populus genialis amantum,
Dicite, se nostis, qua meus vivit Amor.
Ille meus, vitæ quem diligo carius ipsa
His erit iudicis cognatus ille meus.
Pulchrior est rutilo radiantis lumine solis,
Calis splendidior cum sine nube nitens.
Cynthia flammiferis quanto supereminet astris,
Tanto est Angelicis pulchrior ille choris.
Cernite odoratis gemmantem floribus hortum,
Cernite puniceis liliis mixta rosas.
Cernite florifero vernantes gramine campos,
Cernite quam læta præter colore vident.

Omne decus terræ nitore omnis fulget in illo,
Et calis supero quicquid in axe micat.
Nondum opifex rerum calorum extenderat orbem,
Nec librata suo pondere stabat hanus.
Non Phœbus nitida lustrabat lampade terras,
Non pelagi spumans cinxerat unda solum.
Jamque meus vivebat Amor, flammaque perenni
In semet refluxus fontis bonitatis erat.
Sed licet æternos sine tempore computet annos,
At tamen illum omnis parturit usque dies.
Ardet, & ardenti per undas lumine Solem,
Deque ejus radiis sidera lumen habent,
Jactat ubique faces, terras comburit, & astrâ,
Illius & gelidis incubat ardor aquis.
O superi, o vigilis, o vos qui nostis Amorem,
Dicite quando abiit, quo simulavit iter.
Dicite vos sancto mihi quoniam, ædere junctis,
An meus, ille meus, perlitus usque latet?
Sed tu dulcis Amor, cur non te ostendis amanti?
Cur fugis, & sponsam deseris usque tuam?
Ergone sponse animas ad vulnera cogis amantes,
Atque venenata cuspide corda seris?
An forte hic præsens vultum tegis obice nubis,
Nec sinor ore tuo, nube regente frui?
Sic tu nempesoles tacitis illudere votis,
Sicque meam speras posse probare fidem.
Aspice ego te nunquam, dulcissime sponse, relinquam;
Nec mea comburet viscera falsus amor.
Spiritus ante meus temes vanescet in auras,
Quam mea mens possit non meminisset tui.
Te mihi non enses, non undas, nec auferet ignis,
Ipsa licet tristis sylvæ advenula foret.
Ergo veni mea lux: cur longa absentia amantem
Vexat, & infestum pectora vulnus edit?
Ora notat pallor, toroquo in corpore languor,
Et retrico in vultu mortis imago sedet.
Sed quo nuuc rapior? quis me novus occupat ardor?
Quæ flamma insolito membra calore cremat?
An reconspicio mea lux, & Amore fatiscens
Te mihi præsentem, sponse, latere puto?
Ab! præsens sponse es; nec se mens credula fallit,
Intus nam sentit Nymen adesse tuum.
Jam mea divinum spirant præcordia amorem,
Involo in amplexus jam, mea vita, tuos.
Jam super astrâ seror, pedibus sublimia calco
Culmina caelorum: sordida terra vale.
Terra vale, & mundi vos impia turba valete,
Gens infixa solo, turbaque amoris inops.
Fas mihi nunc tecum, mea spes, mea vita, morari:
Fas mihi te solo nunc sine teste frui.
In te stavit Amor, votorum meta meorum,
Sit mihi certa salus, sit mihi tuta quies.
Oscula jam liceat per amica silentia tecum,
Oscula per longas jungere pressa moras.
Te plenum, vacuumque sui ad te pectus anhelat,

*Et mea vita tuis ignibus uffa perit.
 Ignibus uffa perit mea vita: o parce sagittis,
 Parce Amor, ab! tantas comprime, sponse, faces.
 Pone modum flammis, ignem compeſce ſurentem:
 Quam iucis ab! miſer a figit arundo necem,
 En morior, ſam victor ovans pr adare jucentem,
 Oreque grandiloquo parta trophæa cane.
 O Amor! o uror! o qua me dementia cepit!
 O mors! o miris perdit a vita modis!
 O ſigna! o monſtra! o ſana ludibria mentis!
 O vigilans ſomnus! o ſine nocte dies!
 Orutilans nox! o ſapientis dementia! flamma
 Ardorem extinguent! os ſine voce loquax!
 O caſta ebrietas! clamor ſilentia cordis!
 O ubi ſum? quid ago? quo ſuribunda feror?
 Deſpicio, tu cogis Amor. Sed nunquid meritis
 Semper ei o? & mortem ſemper inulta ſeram?
 Arma, arma huc ſerte, huc ſidi properate ſodales,
 Ferte enſes, gladios, ſpicula, tela, ſaces.
 Quid moror? & ceſſo jaculum torquere, vel haſtam,
 Et non incerta ſigere tela manu?
 Sed jam victus Amor proprio comburitur igni,
 Et patitur telis vulnera ſacta ſuis.
 Dicite io baan, io plaudite: victor Amoris
 Eſt Amor, en victus porrigit ille manus.
 Ponite poſ ſocii tumulum, tum cadite ſaxo
 Hac duo perſpicuis carmina ſcripta notis.
 Hac tenet urna duos alterna cade peremptos:
 Victus uterque fuit, victor uterque fuit.*

§. XI.

De Pſalmis.

Pſalmorum encomia ex Patribus. Pſalterium compendium eſt omnium ſcientiarum. Diſiſio Pſalterii. Pſalmus quid ſit. Uſus Pſalmorum laudabilis & antiquiſſimus.

1. **I**ngens argumentum, & non unius operis eſſet, quicquid de Pſalmis ab orthodoxis viris præclare dictum, & ſapienter excogitatum eſt in unum colligere: ſuperat enim argumenti fœcunditas, vel diligentiffimi ſcriptoris ſedulitatem, ut ex multis pauca ſecernere res ardua ſit, cuncta verò in pauca congerere pompam potius ingenii præ ſe ferre, quam ſolidam legentium utilitatem videatur. Satis igitur erit in tanta rerum copia præcipua quedam non meis, ſed ſanctorum Patrum verbis carptim adnotaffe, quæ Pſalmorum præſtantiam, vim & excellentiam ſinceris mentibus oſtendant. Nulla pars eſt ſa-

crarum Scripturarum, in qua ornabda, & interpretanda plura ſudârunt tum veterum, tum recentiorum ingenia, ut ad eorum labores curioſi lectoris ſtudium omnino remittere debeat circa varias difficultates, quæ de Pſalmorum auctore, materia, nomine, diſiſione, titulis, ordine, & argumento in ipſo tractationis limine diſputanda forent. His igitur conſultò prætermiſſis excitandus lectoris animus eſt ad amorem Pſalmodiæ ignitis ſanctorum eloquiis, & exhortationibus. Extat in primis admirabilis viri Ephrem Syri præclarum encomium in Pſalmos. Cum Deo, inquit, multis, cum hominibus paucis loquere. Pſalmus in ore tuo ſit aſſiduè. Quoniam Deus cum nominatur dæmones fugat, & pſaltem ſanctificat. Pſalmus tranquillitas eſt animæ, deſignator pacis. Pſalmus amicitiæ conciliator, diſſidentium unio, inimicantium inter ſe ſœdus, ac pacificatio. Pſalmus Angelorum ad ſubveniendum inductio, præſidium timoris nocturni, requies à laboribus diurnis, infantium tutela, ornamentum ſenibus, majorum natu conſolatio, mulieribus aptiſſimum ornamentum. Hic ſolitudines inhabitat, conciones temperat, rudiſus eſt inſtructio, proficientibus incrementum, perfectorum firmamentum, & vox Eccleſiæ. Hic feſta colluſtrat, hic dolorem ſecundam Deum operatur. Etenim Pſalmus ex lapideo etiam corde lacrymas excutit. Pſalmus Angelorum opus eſt; cœleſte munus, atque adminiſtratio, incenſum ſpirituale. Pſalmus mentium illuminatio, ac corporum ſanctificatio. In hoc fratres, nunquam exerceri deſiſtamus, & domi, & extra, in viis, & dormientes, & excitati, loquentes nobiſmetiſſis in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritalibus. Pſalmus piorum gaudium: hic otioſiloquium exterminat, riſum reſſimit, iudicium ſuggerit, animam in Dei laudem excitat, cum Angelis choros agit. Hæc Ephræm Syrus, cui Græcorum eloquentiſſimum adjungo Baſilium k; Pſalmorum liber, ait iſte, quidvis ex omnibus in ſe complectitur, quod uſui ſit omnibus, futura certiffimis præcinit oraculis, hiftoricam continet narrationem, leges ſancit vitæ ſanctius inſtituendæ, cuique agenda præſcribit, & ſubmonet. Utque ſemel omnia, liber hic bonæ omniſis doctrinæ uberriſum quoddam eſt, & commune promptuarium. O inventum ſanè quàm admirabile, ac ſapientis

Docto-

i Ephr. Syrus tom. 1. pag. mihi 13. k Baſil. præf. in Pſ. ſive bom. in Pſal. 1.

Doctotis, qui excogitavit quo pacto una, eademque opera ipsi melicos cantus emodularemur, & doctrinam animæ salutarem condisceremus. Quid porro non hinc possis edoceri? non fortitudinis magnificentiam? non exactam severitatem iustitiæ? non temperantiam vel ipso aspectu venerabilem? non absolutam perfectionem prudentiæ? non poenitentiae formulam? non modum patientiæ? non denique quicquid dicere possis de genere bonorum? Hæc & alia plura verè magnus Basilius, cui consonat Chrysostomus Homilia 7. de poenitentia.

2. Latinorum quoque doctissimus Augustinus cum in omnibus scriptis insigni niteat eloquentiâ, in Psalmis tamen laudandis, & explicandis tantâ pollet dicendi facundiâ, ut seipso major videatur. Quid Ambrosium commemo-rem? cujus oratio tanto distat verborum neitate, ut de illo meritis usurpem Davidicum illud, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* Quid dulcius his verbis, quibus Psalmorum explicationi præludit? In libro Psalmorum profectus est omnium, & medicina quædam salutis humanæ. Quicumque legerit, habet quo propriæ vulnera passionis speciali possit curare remedio. Psalmus benedictio populi est, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo univerforum, vox Ecclesiæ, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis lætitia, clamor jucunditatis, lætitiæ resolutio. Iracundiam mitigat, sollicitudinem abdicat, mœrorem allevat. Nocturna arma, diurna magisteria. Scutum in timore, festum in sanctitate. Imago tranquillitatis, pignus pacis, atque concordie, citharæ modo ex diversis & disparibus vocibus unam exprimens cantilenam. Diei ortus Psalmum resultat, Psalmum resonat occasus. Mulieres Apostolus in Ecclesia tacere jubet, Psalmum etiam bene clamant. Hic omni dulcis ætati, hic utrique aptus est sexui. Hunc senes rigore senectutis deposito canunt, hunc veterani tristes in cordis sui jucunditate respondent. Hunc juvenes sine invidia cantant lascivie, hunc adolescentes sine lubricæ ætatis periculo, & tentamento concinunt voluptatis. Juvenculæ ipsæ sine dispendio matronalis psallunt pudoris; puellulæ sine prolapsione verecundiæ cum sobrietate gravitatis Hymnum Deo inflexæ vocis suavitate modulantur. Hunc tenere gestit puericia, hunc meditari gaudet infantia, quæ alia declinat ediscere. Psalmum Reges

1 Ambros. prof. in Psal.

sine potestatis supercilio resultant. Psalmus cantatur ab Imperatoribus, jubilatur à populis. Certant clamare singuli quo omnibus proficit. Psalmus virtutum organum est, quo sancti Spiritus plectro pægens Propheta venerabilis celestis sonitus fecit in terris dulcedinem resultare.

Grandiori cothurno attollitur Theologorum vetustissimus Dionysius Areopagita m. Sancta, inquit, Psalmorum modulatio omnibus Sacerdotalibus mysteriis jungitur, & substantiæ ratione cohæret Omnis quidem textus sacræ Scripturæ, rerum substantiam, ac distinctionem à Deo conditam prædicat: aut legale sacerdotium, vivendique denunciat modum: aut sortes Dei populo distributas, ac possessiones narrat, aut iudicium sanctorum, aut sapientium Regum, aut piorum Sacerdotum sensum, ac prudentiam celebrat: aut veterum hominum inter varios, & multiplices tristium casus mirabilem constantiam, immobilemque Philosophiam eloquitur: sive agendæ vitæ sapientia monita, sive divinorum amorum dulcia carmina, & divinas effigies profert: sive plenas doctrina salutari futurorum prædictiones enunciat: sive divina Domini Jesu in humano corpore opera loquitur: sive discipulorum ejus mores, atque instituta divinitus tradita, & ad Dei similitudinem imitando ducuntia, sanctissimasque doctrinas: sive arcanam illam, ac mysticam omnino visionem dilecti discipuli, divinamque Domini Jesu, & altissimam Theologiam iis, qui fieri Dei merentur, exponit, eosque per mysteria sacra, & divina sustollit, atque confirmat. At divinorum carminum sacrosancta Scriptura, cum id præcipue intendat, ut omnia Dei eloquia, & operationes concelebrat, omnia divina universaliter canit, atque exponit, apertissimum habitum inferens eis, qui eam dignis affectibus promunt. Pergit sanctus Pater ostendere ea omnia, quæ in sacris Scripturis diffusè explicantur brevi Psalmorum compendio contineri. Est igitur Psalterium consummatio totius Theologiæ, ut loquitur Radulphus Tungrensis n. Est totius Scripturæ summarium, est omnium insuper artium, omniumque scientiarum collectio, & promptuarium. Quicquid literator Grammaticus de congrua differit oratione, quicquid subtilis Dialecticus de operationibus mentis ratiocinatur, quicquid venustatis facundus promit Rhetoricus, quicquid perspicax Arithmeticus de mystica numerorum

Ooooo 3 ratione

m Dion. c. 3. Eccl. Hierarch. n Radulph. prof. 8.

ratione philosophatur, quicquid solers Geometra accuratâ delineat mensuratione, quicquid dulcifonus Musicus canoro pangit modulamine, quicquid siderum indagator Astrologus in sublimi sphaerarum circulatione speculatur, quicquid gravis doctusque Philosophus de rerum naturis, & proprietatibus curiosa disputat sedulitate; quicquid denique facer docet Theologus divinæ lucis fulgore illustratus, id totum tanquam in amplissimo quodam Scientiarum omnium thesauro in Davidicis Psalmis reconditum reperitur. Sic varietas ista Psalmorum, ait Cassiodorus, aut preciosissimo lapidi topazio, aut pulcherrimo pavoni congruè forsitan comparatur, qui toties diversos reddunt colores corporis sui, quoties in eis defixus fuerit oculus intendentis.

METRUM XLI.

Nemo Jeshiadis carmina Principis
 Aequo reddere pleetro,
 Vel dignis studeat tollere laudibus
 Vana concitus aura.
 Nam præceptis liquidum vectus in aëra
 Falsis nititur alis,
 Audit qui temerè culmina scandere
 Non concessa polorum.
 Ut campos tumidi fluminis impetus
 Rupto gurgite inundat,
 Sic mentem rapidis cursibus irrigant
 Magni carmina Vatis.
 Nec tot flammivomis faucibus egerit
 Ardens Aetna favillas,
 Quot flammis populat viscera, quot faces
 Psalmus vibrat amoris.
 Seu Regem superum concinit, & Patrum
 Laudat facta priorum,
 Et castra Isacidum, iustaque praelia,
 Et stantes pelagi undas.
 Seu seris reserat fata nepotibus
 Cæli insculpta pyropis.
 Evolvitque Patris consilia, & sacros
 Scribit Verbi hymenæos.
 Sive implorat opem Numinis, & preces
 Pronus fundit Olympo.
 Divinus fidicen semper amabili
 Mulcet carmine cælum.

4. Theodorus ille lapsus, ad quem Chrysostomus scripsit, ut eum revocaret ad Monaste-

o Cassiod. in Psalm. ult.

rium, & à quo Nestorius suam hausit impietatem, non amplius quam 18. annos, ut testatur Leontius Byzantinus, in scripturas debacchatus est, non enim nisi debacchationes scripturarum ejus interpretationes vocari possunt & inter cætera inscriptiones Hymnorum, & Psalmorum, & Canticorum penitus ejecit, & omnes Psalmos ad Zorobabelem, & Ezechiam retulit, tribus tantum ad Dominum rejectis, qui error intolerabilis est. Alii verò in hoc errarunt, quod non omnes Psalmos à S. Rege David fuisse conscriptos existimarent, sed hi tamen ob hæc causam inter Hæreticos numerari non debent, ut censuit S. Philastrius, & Episcopus Brixienfis. Libet autem Ecclesiasticos homines hic admonere, ut Psalterium non solum verbo tenus memoriter scire, sed ejus quoque mysticam intelligentiam percipere studeant. Notissimum est illud Augustini, vix nomen Sacerdotis mereri, qui Psalterium ignoraverit: & Concilium Toletanum, sacris Ordinibus eos prohibuit insigniri, qui totum Psalterium, & Cantica usualia nescirent. Magnus item Gregorius, eum qui Psalmos ignorabat noluit Episcopum ordinare. Possem paginas latè implere Auctorum nominibus, qui Psalterium præclaris lucubrationibus illustrarunt, sed nolo ego assumpta censoria virga federe arbitratot ingeniorum, & critica dicacitate aliorum opera subtilius examinare: puto tamen hominibus mediocri prædicatis literatura sufficere posse Commentaria Cardinalis Bellarmini, & Paraphrasim Cornelii Jansenii, doctoribus enim hæc in re legem præscribere supercilii esset non tolerandi. R. Abraham aben Hezra Psalterium dividit in decem Psalmorum genera. Primum est *Menatzeach*, quod nos dicere possumus carmen triumphale. Secundum *Neghinab*, cantus cum musico instrumento. Tertium *Mizmor*, Psalmus. Quartum *Seir*, Canticum. Quintum *Tebilab*, laus. Sextum *Tephilim*, Orationes. Septimum *Berachot*, Benedictiones. Octavum *Hodoth*, Confessiones. Nonum *Asre*, Beatitudines. Decimum *Halleluth*, quæ sunt laudes *Jab*, unde *Hallelujah*. Porro Psalmus Græca vox est, quæ Latinis idem est ac cantus à verbo *ψάλλω*, quod est canto, sive id ore duntaxat fiat, sive addito musicali instrumento. Hebræi Psalmos vocant *Tebilim*, id est laudes, sive Hymnos, quod præcipua eorum

pars
 p Leont. lib. 3. adv. Nest. & Eutych. q Philast. de
 hæresib. num. 79. r Concil. Toletan. 7. c. 10. s Greg.
 l. 4. Ep. 45.

pars in cantandis Dei laudibus versetur. Quam sit antiquus eorum usus in Ecclesia, superfluum est hic repetere, cum jam probatum sit supra capite primo. Cur verò Ecclesia præ cæteris scripturis frequentius utatur Psalmis, tractant Radulphus de Rivo, & Joannes à Turrecremata Cardinalis, quia videlicet excellentiores sunt, ut modò ex Patribus ostensum est, perfectam orandi formam continent, suntque magis idonei ad cantum, & vocalem jubilationem. De numero Psalmorum, deque mysticis eorum sensibus, & de usu psallendi insignem tractatum scripsit Joachimus Abbas in tres libros distinctum. De privato usu Psalmorum quomodo, & qua ratione in diversis occasionibus illis uti debeamus, disserit Athanasius in aureo libello de interpretatione Psalmorum ad Marcellinum, qui tractatus & lectu dignissimus est, & Christianis omnibus maximè utilis. Docet Amalarius nos stare solere, quando Psalmos cantamus, ut ex situ corporis affectum mentis demostremus, paratos videlicet nos esse ad exercitium operis, quod per Psalmos significatur. Parum enim valeret Psalmorum modulatio, nisi bonorum operum executio oris cantum sequeretur. Finis hac præclara melliphthongi Doctoris & parænesi. Cibus in ore, Psalmus in corde sapit: tantum illum terere non negligat fidelis, & prudens anima quibusdam dentibus intelligentiæ suæ: ne si forè integrum glutiat, & non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili super mel, & favum. Mel in cera, devotio in litera est. Alioquin litera occidit, si absque spiritus condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas & mente, cognosces & tu de illius veritate sermonis: quem dixit Jesus: *Verba que locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt.* Sic delectabitur in crassitudine anima tua, sic holocaustum tuum pingue fiet: sic placabis Regem, sic placebis Principibus, sic denique totam tibi curiam benevolam reddes.

t Radulph. prop. 8. § 9. u Turrecrem. in regul. 3. Bened. tract. 75. x Amalar. l. 4. c. 3. y Bern. Jerm. 7. in Cons.

§. XII.

De Canticis.

Quomodo inter se differant Psalmus, Canticum, Canticum Psalmi, & Psalmus Cantici.

Canticum quid sit. De Canticorum usu, numero, materia, & antiquitate. De Canticum Te Deum laudamus. Per alia Cantica properandum esse ad Cantica Canticorum.

I. DE divinis Canticis paucis agendum est, si de tanta re pauca proloqui fas erit. Orthodoxi Patres & Cantica à Psalmis distinguunt juxta diversas musicæ artis præscriptiones. Et Psalmus quidem sermo musicus est, qui secundum harmoniæ rationem ad organum pulsari, & simul cantari solet. Canticum verò est, cum cantantium chorus, libertate sua utens, nec in consonum organi adstrictus obsequium solius vocis modulatione exultat. At cum organo præcistente Cantoris vox instrumenti æmulatrix subsequitur, Canticum Psalmi nuncupatur. Cum autem humana voce incipiente organi sonus pari suavitate vocis modulò imitatur, Psalmus Cantici vocari consuevit. His ergo quatuor musicæ artis generibus competentes Canticorum inscriptiones prænotantur. Canticum sola voce, Psalmus voce simul, & organo: incipiente organo Canticum Psalmi; instrumentali symphonia vocem subsequente Psalmus Cantici decantatur. Porrò Canticum, quod in sacris literis a collaudare jubemur, significat apud Hilarium b, & Augustinum c scientiam spiritualem, & intelligentiam cœlestis arcani, quam quis per cognitionem sapientiæ consequitur. Sive, ut ait Basiliius d, Canticum est, quodcumque contemplatione simplici, ac Theologica comprehenditur, vel, ut docet Maximus Martyr e, Cantica voluptatem significant divinorum bonorum, quæ animas commovent ad sincerum Dei amorem. Non enim semper boni operis exercitium habitam de Deo cognitionem statim subsequitur, sed cognoscens divinæ majestatis miranda secreta in nuda eorum contemplatione aliquando quiescit, sicut scriptum est f; *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus.* Hanc autem animæ voluptatem, hanc animi sublimem contemplationem denotat Canticum, quod, teste Chrylostomo g animam erigit, & alatam quodammodo efficit, & à terra liberat, & exolvit à vinculis corporis, & amore sapientiæ afficit, & ut res omnes ad hanc vitam per-

a Hilarius, Euthymius & Chryost. in præf. Psal. Basiliius in Ps. 29. a Eccl. 39: 19. b Hilar. præf. in Psalm. c Aug. in Ps. 67. d Basil. in Psal. 29. e Maxim. Mar. de Eccl. mystagogia. 11. f Ps. 45. g Chryf. in Psal. 41.

pertinentes irrideat, perficit. Hac verò dispositione divini Officii series ordinatur, ut nonnisi præmissis aliquot Psalmis Canticorum modulario subsequatur: nam Psalmus exteriores indicat actiones, quarum laboriosa efficientia, ad sublimem contemplationis statum in Canticis symbolicè adumbratum aptatur homo. Et quia solet nonnunquam rerum divinarum adepta cognitio magnarum rerum operationem parturire, ideo post Cantica adhuc Psalmi aliquando cantantur, necessariam actionis, & contemplationis vicissitudinem indicantes. Sed post Cantica ex Evangelio desumpta nullus sequitur Psalmus, quia futuræ vitæ perennem contemplationem significant, quando non erit amplius neque labor, neque dolor. Cæterum Cantica antiquitate temporis Psalmos omnes antecellunt. Nam Moyses ante omnem Psalmorum usum primus omnium cecinisse Canticum narratur, cum subsistentium, & decurrentium aquarum obsequio è durissima feruitute liber evasit. Ecclesia è veteri testamento septem accepit Cantica, quæ septem diebus Hebdomadæ pro matutinis laudibus assignavit. E novo autem tria dumtaxat quotidie frequentantur, Canticum quidem Zachariæ in matutinis, Canticum B. Virginis in vespertina synaxi, Canticum denique Simeonis in postrema Completorii hora. Vides quod hæc tria Cantica singulis diebus, cætera nonnisi semel in Hebdomada concinuntur? An hæc sunt nova Cantica, ad quæ Psalmographus toties repetito carmine fideles populos hortatus est dicens, *h Cantate Domino Canticum novum, Cantate Domino omnis terra?*

2. Rectè Chrysostomus. Vetus Canticum unius populi finibus circumscriptum erat, unoque climate continebatur, neque fas erat populo extra illud clima vetus afferre Canticum; sed novum per omnem terram incedit, quæ sub cælo est, & ab universo decantatur orbe. Rectè item Augustinus. Prius fuit testamentum vetus, Canticum vetus, homo vetus; nunc autem testamentum novum, Canticum novum, homo novus. Hoc est discrimen inter Canticum novum, & vetus. Veteres interrogati ab alienigenis, ut inter salices Babylonis Canticum Domini psallerent, responderunt: *Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* At de novis Canticis scriptum est: *Euntes in mundum universum predicare Evangelium*

h Psalm. 95. i Chrys. Hom. in psal. 95. k Aug. l. de Canticis novis, c. 1.

omni creaturæ. Idèò hæc frequentius, illa parcius decantamus. Quare autem prædicta Cantica certis diebus, & non aliis assignavit Ecclesia, pluribus edisserit Amalarius Fortunatus, cuius allegoricas rationes, cum sint prorsus voluntariæ, consultò prætermitto. Odi enim, ut verum fatear, has ingenii lascivientis foeturas, nec placent allegoriæ, nisi sacrarum literarum auctoritate confirmentur. Utrumque vitiosum est, & omnem spernere allegoriam, & nimium illis insistere, & facere ingenium suum Ecclesiæ sacramenta, ut loquitur Divus Hieronymus in scribens de Origene. Omnia Cantica ad gratias agendas Deo pro insigni aliquo, & speciali beneficio fuisse composita Richardus Victorinus, Rupertus Abbas affirmant. Alii tamen observarunt multiplicem esse Canticorum materiam. Est materia gratulatoria, ut in Canticis Moysis post transitum maris rubri; in Canticis Deborah post interfectum Sisaram; in Canticis Judith post necem Holofernis; & in eo quod tres pueri ab incendio liberati cecinerunt. Est & materia prophetica, ut in Canticis Isaïæ, & Habacuc. Est item invectiva, ut in Canticis, quod cecinit Moyses coram filiis Israël, quando invocavit contra ipsos cæelum, & terram. Præclare Ambrosius p. Cantavit Moyses, quando in mari rubro ad transitum Judæorum fluctus obrigit, unda circumstetit, eademque equos Ægyptiorum, ascensoresque reclusa demersit. Cantavit Isaïas dilecto dilecti vineæ suæ Canticum, significans asperam flagitiis fore plebem, quæ secundis prius erat virtutibus fructuosa. Cantaverunt Hebræi, cum vestigia eorum tactu flammæ rorantis humescerent, & intus, extraque ardentibus omnibus solos ignis innoxius lamberet, nec adareret. Habacuc quoque Canticum publicam doctus mulcere mœstitiâ prophetavit dulcem Domini fore fidelibus passionem. Cantaverunt ergo Prophetæ spiritualibus modulis publicæ salutis oracula resultantibus. Quamvis autem multa sint Cantica, Ecclesia tamen Romana plura non recipit, quam Duo Cantica Moysis, Canticum Annæ, Canticum Isaïæ, Ezechii Regis, Habacuc, & trium puerorum, & tria ex novo testamento. At Monachi ex præscripto Regulæ S. Benedicti diebus festis in tertio Nocturno tria Cantica

recipiunt.
l Amal. l. 4. à cap. 10. usque ad 18. m Hier. prolog. l. 5. comm. in Isai. n Richard. l. 4. in Apoc. cap. 6. o Rupert. in Prot. Cantic. p Ambros. lib. 6. in Lucam.

recitant ex Prophetis, & aliis scripturis, quorum rationem suo loco *q* explicabo. Hæc Cantica diutinam hujus exilii solitudinem consolantur, donec in cœlesti patria Canticum verè novum immortalitate donati sine ulla doloris admixtione modulemur. Etenim in præsentiarum sicut nulla sine miseriis plena sunt gaudia, ita teste Paschasio Ratberto Abbate *r* sine lamentis vix aut nulla inveniuntur Cantica: quoniam solummodo Cantica in cœlesti Sion decantantur, lamentationes autem in hac nostra peregrinatione: mixtim verò quasi in meditullio jure lamenta carminibus, atque carmina fletibus permiscerentur, ubi & mala planguntur, & in spe gaudia cum fide celebrantur. Plura de Canticis mysticè & anagogicè Joannes Gerson tertiâ parte suorum operum.

3. Est & aliud canticum, si tamen inter cantica, & non potius inter Hymnos numerandum, ut putat Rupertus Abbas *f*, quod licet in sacris literis non inveniatur, divinitus tamen compositum est, & diebus festis post ultimam Nocturnorum lectionem solemniter decantatur. Hoc est *Te Deum laudamus*; de quo sanctus Dacius *t* Mediolanensis Episcopus sic scribit: A. B. Ambrosio cunctis fidelibus urbis adstantibus, & videntibus in nomine sanctæ, & individue Trinitatis Augustinus baptizatus, & confirmatus est: in quibus fontibus prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, *Te Deum laudamus* cantantes cunctis qui aderant audientibus, & videntibus ediderunt, quod ab universa Ecclesia Catholica usque hodie tenetur, & religiosè cantatur. Hæc Dacius, ut vulgò citari solet, cujus meminit S. Gregorius in Dialogis. Verùm Hugo Menardus in Notis ad sacramentarium ejusdem S. Gregorii *u* certum ait non esse S. Dacii illud Chronicon, ex quo præallegata auctoritas desumpta est, quod non redoleat styllum illorum temporum, atque etiam quædam falsa contineat. Sententiæ Menardi subscribit Bartholomæus Gavantus *x*, totumque canticum uni Ambrosio deberi ait, cum careat dialogismo: additque in antiquissimo Breviario M. S. Collegii Aniciani de Urbe isti cantico præferri hunc titulum, Hymnus S. Abundii. Sed quis fuerit iste Abundius incertum est. Ante sanctum Benedictum *y*, & Teridium discipulum

sancti Cæsarii Arelatenfis Episcopi, qui de hoc in suis scriptis locuti sunt, nullus veterum mentionem illius fecit. In Psalterio M. S. Basilicæ S. Petri in Vaticano inscribitur, Hymnus S. Sifibuti. In Psalterio Latino Gallico, cujus meminit Jacobus Ufferius Armachanus in tractatu de Symbolo Romanæ Ecclesiæ, Epistola ad Vossium, S. Nicetio adscribitur. Sed an hic fuerit Trevirensis, aut Lugdunensis Episcopus, non liquet: nec etiam constat quis fuerit ille Sifibutus. Nam Sifibuto Hispaniarum Regi vix puto convenire, cum ratio temporis obstet. Non esse autem recedendum ab antiqua traditione, quæ hoc Canticum sanctis Ambrosio, & Augustino tribuit, cum sit ad eò communiter recepta, asserit Lorinus *z*. Ecclesia Romana illud omittit in Adventu, & Quadragesima; at Monachi omni die Dominica ipsum cantant, etiam in ipso tempore Adventus, & Quadragesimæ, de qua re cum incidisset quæstio inter Episcopos, & Abbates in quodam Concilio congregatos, responderunt Abbates se id agere ex B. Benedicti nominatissimi, atque excellentissimi Patris præceptione, cujus Regulam Summus Pontifex Gregorius Magnus approbavit. Quo audito quieverunt Episcopi, ut scribit Radulphus Glaber *a* in Historia.

4. Notat Origenes *b*, nos omnia veteris testamenti Cantica peragere debere, antequam dignè possimus ad Canticum Canticorum pervenire. Hoc primarium Canticum est, omniumque finis & scopus, quo Christi, & Ecclesiæ laudes, quo mystici connubii sacramenta, amorisque divini operationes mirabiliter describuntur. Canere prius oportet alia Cantica: nam in exitu nostro de Ægypto, de domo servitutis cantavimus Domino Canticum novum, quia mirabilia fecit. Rursum cum nobis pœnitentibus peccata dimissa sunt, immissa gratia, & promissa gloria, spe gaudentes cantavimus in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini. Cum pravas animæ affectiones Deo juvante repressimus, cum vicimus mundum, & carnis laqueos declinavimus, necessarium fuit psallere Domino Canticum novum, carmen Deo nostro. Cum profigatis vitii virtutum ornamentis illustrari cepit anima, tunc exaltatum est cornu nostrum in Deo nostro, & factus est in voce exultationis, & confessionis sonus epulantis. At Canticum Salomonis, Canticum pacifici quando cantabimus?

P p p p p

Quant

q Infra c. 18. *r* Paschas. initio l. 5. in lament. Jeremia. *f* Rupert. Abb. lib. 2. in Reg. 8. Bened. c. 7. *t* Dacius l. 1. Chron. c. 10. *u* Greg. 3. Dialog. c. 4. *x* Gavant. in R. Brev. sect. 5. c. 19. *y* Bened. Reg. c. 11.

z Lorin. in. ps. 27. *a* Glab. lib. 3. hist. cap. 3. *b* Origen. Hom. 1. in Cant.

Quando ad eam pervenimus aetatem, aetatem inquam non dierum, sed meritorum, quâ celestis sponsi nuptiis idonei. Canticum illud excellentissimum psallamus, non labiorum strepitu, sed jubilo cordis; non vocum melodia, sed consonantia voluntatum? Philo. & Carpathiorum Episcopus, Quicumque ait, omni occasione carnis præcisâ, remotisque, atque depulsis illecebris voluptatum; mente tranquillâ, corpore castus & animo, temperantiâ viribus vallatus erit, is Cantica Canticorum istrepidè adire potest. O verè Canticum Canticorum, Canticum singulare, Epithalamium amoris, quod omnibus præcellit Canticis, sicut omnibus sanctis major est ille, qui Rex Regum vocatur, & Dominus dominantium, ut scribit Aponius. d. Verè Canticum Canticorum, quod nemo dicere potest, nisi emptus sit de terra, & transgressus sit universam naturam sensibilium, ac intelligibilium, & ad Sancta Sanctorum pervenerit. Utinam Domine talia psallere possem, qualia servi tui fideles ineffabili exultatione modulantur. O quam libenter in tuas laudes effusus Canticum novum, carmen lætitiæ, Canticum Canticorum infatigabiliter decantarem! Sed quoniam curis carnalibus præpeditus à præsentia vultus tui adhuc longè constitutus ad tantam dignitatem assurgere nequeo, psallam nihilominus quamdiu fuero, & in minoribus Canticis exercebor, donec te promovente tantis increvero virtutum augmentis, ut oris tui osculo dignus inveniar, atque adeo supremi Cantici valeam modulamine recreari. Doce me interim tu ipse quid & qualiter cantare debeam, quia ut quidam servus tuus e scripsit; Nemo tibi cantat digna, nisi qui à te acceperit quod canter.

S. XIII.

De Versibus.

Versus unde dicatur. Quid significet. Aliquot versuum explicatio. Cantica Evangelica cur stando psallantur.

1. **V**ersum à vertendo dictum ipsa nominis derivatio indicat. Quando enim versum audimus, faciem illicò vertimus ad altare, ut omnis cogitatio, quæ foras exivit per evagationem, revertatur ad Deum, per devotam intro-

versionem. Nam & ipsa mentis intentio in aliam intentionem ducta voluntatem secum trahit de uno in alium affectum, de psalmodia scilicet ad lectionem, de lectione ad orationem. Significat versus boni operis fructum, debetque statum notare vel Officii, vel temporis. Officii status indicatur, cum exempli gratia de virginibus cantamus. *Diffusa est gratia in labiis tuis*: vel de Confessoribus, *Iustum deduxit Dominus per vias rectas*: aut de Martyribus, *Gloria, & honoræ coronasti eum*: sive de Apostolis, *In omnem terram exivit sonus eorum*. Status autem Officii in his versibus apparet, quos horis diurnis frequentamus. Primo enim mane Deum precamur, ut virtute brachii sui adjuvet nos ad operandum, & liberet de insidiis, quæ paratæ sunt contra nos dicentes: *Exurge Domine adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum*. Horâ tertiâ dicitur versus, *Adjuvor meus esto Deus, ne derelinquas me*; ut, qui adjuvit nos usque ad hanc horam, auxilium suum protegat, donec ad meridiem, in quo ipse pascitur, perveniamus. Hora sexta cum Sol in auge ferventissimum ardorem diffundit in terram, devotorum hominum perfectio demonstratur, quorum fervor ita divino igni conjunctus est, ut ab ipso pascantur, & illustrentur, nihilque eis deficit, ut ait Apostolus: *Omnia possum in eo qui me confortat*: idè canimus: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit in loco pascuæ ibi me collocavit*. Sed quia hora nona per solis declinationem fervoris diminutio, & tentationes ingruentes designantur, ab illis petimus liberari dicentes: *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo*. Sic in Vesperis vespertinam orationem commemoramus, & in Completorio custodiam Domini propter timores nocturnos postulamus. Longi operis esset omnium versuum rationem describere, cùm id præsertim eleganter præsterit Amalarius Fortunatus.

2. Dicitur versus clarâ & acutâ voce, ut eo audito excitentur pigri, & revertantur ad cor. Dicitur noctu ante lectiones, ut qui psallendo laboravit, sedeat jam & requiescat, & ad lectionum doctrinam vigilanter audiendam elevetur, ne fortè sedenti importuna irrepât dormitatio. Dicitur singulis horis diei ante collectam, sive orationem, quia scriptum est f. *Ante orationem præpara animam tuam*. Paucos reperias, qui solliciti sint omni custodiâ servare cor suum, & conscientiam semper immaculatam exhi-

c. Philo initio Comment. in Cant. d. Apon lib. 1. Com. tu Cant. c. Aug. præf. in psalm. 34.

f. Eccli. 18. 23.

exhibere, ideo necesse est maculas diluere subintrantes, quia dicit Psalmus *g*, *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Hoc nimirum admonet versus orationi præmissus, ut quicquid minus est fervoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Si confiteamur peccata nostra, si miseras exponamus, ignoscet nobis Deus, quia benignus & misericors est. Idcirco post versum subdunt Monachi: *Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson*, nam quid oremus sicut oportet nos nescimus, nisi spiritus, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, adjuvet infirmitatem nostram: Electorum mentes, ait Laurentius Justinianus *b*, si quas in se præsentis vitæ cogitationes inveniunt, penitentia ardore consumunt, nec cogitationes suas extra se dilatare permittunt: sed eò se districtius in seipos colligunt, quo ferventius assilire ante Deum per orationis studium disponunt: quia reverà absque confusione Deo vacare non potest, qui extra se mente inaniter exiterit dilatatus. Etiam ante cantica Evangelica versibus præparamur, quia & modum orationis habent, & altissimam continent doctrinam, quam nec corde percipere, nec moribus exprimere possumus, nisi doceat nos veritas, illa inquam veritas quæ dicit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Unde & ipsa Cantica stando cantamus; quia parati semper esse debemus ad currendam viam mandatorum Dei per semitas Evangelii, sicut scriptum est, *i Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.*

s. XIV.

De Lectionibus.

Antiquitas, utilitas, & excellentia sacrarum lectionum. Ritus lectionum explicatur. De benedictionibus. Cur Prælati Domus, & non Dominus nuncupetur. Dicta quædam obiter de hac voce. Sacra Scriptura cur difficilis.

IN sacris libris linguaque, & mente frequenter versare, aut etenim donat Deus ista laborum præmia, ut absconsa lucis mens sedula quiddam conspiciat: vel certe istinc ea commoda carpit, ut per sancta Dei capiat præcepta dolorem:

g Psalm. 65. h Laur. Justin. ligni vitæ de orat. cap. 3. i Psalm. 118.

Aut quod postremum est animos hæc lectio rebus abstrahit à fluxis studiis ad meliora vocatos.

Sic canit Gregorius Nazianzenus *k*, Sacrarum enim lectionum usus ita interiorem hominem illustrat, ut merito Davidicum illud usurpare possit, *l Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Lumen animæ, inquit Cæsarius Arelatenus *m*, & cibus æternus non est aliud nisi Verbum Dei, sine quo anima nec videre potest, nec vivere: quia quomodo caro nostra moritur, si non capiat cibum, ita & anima nostra extinguitur, si non accipiat Dei verbum. Quod Sol diei, quod Luna noctibus, quod Stellæ navigantibus, hoc est animæ lectio. Diem statuit pulsa criminum nocte, divini amoris radiis calefacit, errantes in tenebris hujus mundi ad viam revocat, oppressis denique tentationum fluctibus tuta littora, portumque gratissimum designat. In sacris literis legendis, teste Philone *n* Carpathiorum Episcopo, peccatores de propriis erratis admonentur, & quomodo se castigant, corrigant ac emendent, apertissime docentur, & quicquid homines alter alteri, vel dicere verentur, vel ignorant, hoc sacræ literæ, & sanctissimè audent, & uberrimè noverunt. Scriptura enim sacra, ait Magnus Gregorius *o*, mentis oculis quasi quoddam speculum opponitur, ut interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim feeda, ibi pulchra nostra cognoscimus. Ibi sentimus quantum proficimus, ibi à profectu quàm longè distamus. Sed verba Chrysostomi *p* hic omittenda non sunt initio Homiliæ de paradiso, & scripturis, quam habuit cum Eutropius deprehensus est extra Ecclesiam. Suave quidem est præteritum, & hortus, utroque tamen multò suavius spirat lectio divinæ scripturæ. Illic siquidem flores invenire est, sed qui tempore marcescunt: hic autem occurrunt sententiæ in nativo vigore perennantes. Illic aspirat favonius, hic afflat aura Spiritus S. Illic spinæ pro muro obsepunt hortum, hic Dei providentia tutum reddit lectorem. Illic cicadæ stridore suo obstreperæ: hic Prophetæ suavi júbilo personantes. Illic ex ipso aspectu quiddam oblectationis concipitur: hic autem ex ipsa mox lectione plurimum decerpitur utilitatis. Hortus uno quoque circumscripto loco: divinæ autem Scripturæ omni loco terræ habitabilis circumferuntur. Hortus pro tempore

Ppppp 2 qua-

k Gregor. Naz. carm. de lib. sac. Script. l Psalm. 118. m Cæsar. hom. 18. n Philo in c. 4. Cant. o Greg. lib. 2, mor. cap. 1. p Chryf. rom. 11

qualitate servit necessitatibus: scripturæ autem tam hiberno, quam æstivo tempore fructuum pondere degravantur. Nihil verò aptius ad comparationem eorum, qui per amplâ scripturarum studia decurrentes assiduâ lectione animorum industriam exercent, nihil aptius inquam, quam sedularum apum similitudo. Istæ enim, ut tumidis utar verbis sancti viri Aldhelmi q̄ Sciriburgensis Episcopi, roscido faceffente crepusculo tripudiantium turmarum exercitus per patentes campos gregatim diffundentes, modò melligeris caltharum frondibus, seu purpureis maluarum floribus incubantes multa nectaris stillicidia guttatim rostro decerpunt: modo flavescentes falluculas, & croceta genistarum cacumina circumvolantes fertilem prædam numerosis cruribus, & coxarum oneribus advehunt, quibus cerea castrea conficiunt: modò teretes hederarum corymbos, & levissimos florentis tilix surculos constipantes multiforrem favorum machinam angulosis, & opertis cellulis construunt. Eadem verò ratione mens religiosa per florulenta scripturarum prata latè vagans bibulâ curiositate decurrit. Nunc divina præcorum Prophetarum Oracula certis astipulationibus jam dudum Salvatoris adventum vaticinantia enixius investigando: nunc antiquarum arcana legum ab illo mirabiliter digesta, quæ bis quinis Memphisica regna plagarum afflictionibus crudeliter percussisse, & rubicundi tumentes Oceani gurgites sacrosancti tactu viminis ex colubro nuper transfigurati in simulachro macerix altrinsecus sequestrasse, & post cœleste colloquium cornutis vulvibus incredulum fugasse vulgus describunt, sollicitâ intentione scrutando: nunc quadrifariam Evangelicæ relationis dicta mysticis Catholicorum Patrum commentariis exposita, & quadriformis Ecclesiasticæ traditionis normulis secundum historiam, allegoriam, tropologiam, anagogiam digesta, solerter indagando. Apis autem propter peculiaris castimonix privilegium Ecclesiæ speciem portendere dicitur, quæ florentes saltuum cespites ineffabili prædâ depopulans dulcia natorum pignora, nesciens conjugii illecebrosa consortia, fœtosa quadam suavissimi succi de balsamo concretionem producit. Ecclesiæ verò bis acuto Testamentorum mucrone hominum vitaliter corda transverberans hæreditariam legitimæ æternitatis sobolem casto Verbi semine fœcundat. Hæc carptim ex Aldhelmo.

51. *Aldhel. de laud. Virginit. c. 21*

2. Filiorum ergò profectui seduld incumbens sancta Mater Ecclesia nocturnæ Psalmorum modulationi sacrarum literarum, sanctorumque Patrum lectiones inferendas esse decrevit, quatenus defessi, & aberrantes eorum animi hoc pabulo reficerentur, hæc luce illustrarentur. Parum est, ait unus r̄ è primis Ecclesiæ Patribus, quod Dei plebem classico nostræ vocis erigimus, nisi credentium fidem, & dicatam Deo devotamque virtutem divinâ lectione firmemus. Sic sanctus ille Moyses s̄ volumen legis cunctis audientibus legere consuevit, ut rudis populus præceptis Domini disceret obedire. Sic legis Deuteronomium r̄ continuâ lectione commemorari præcipitur, ut discant omnes timere Domium, & verba ejus custodire. Sic Levitæ, jubente Esdra n̄ in libro legis Dei, legebant distinctè, & apertè ad intelligendum rectè legendi modum edocentes. Sic seniores Judææ x̄ gentis inter bellorum pressuras, ac innumeras calamitatum angustias se libros sanctos habere pro solatio gloriantur. Sic ipse Christus Redemptor noster intravit secundum consuetudinem die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere, & traditus est illi liber Isaiaæ Prophetæ ȳ. Sic denique in ipso Ecclesiæ ortu lectiones ex Prophetis, & Apostolis in Conventu Christianorum legi solebant, ut Paulus in fine Epistolæ ad Colossenses, & Justinus Martyr Apologetico secundo pro Christianis testes insuperabiles ostendant. Hic vero usus æcumenica sanctione in Concilio Laodiceno z̄ stabilitus fuit, ordinemque lectionum per anni circulum legendarum Gelasius Papa digessit, cujus Ordinis accuratam rationem Rupertus n̄ Abbas Tuitiensis in fine librorum de divinis Officiis secundum datam sibi sapientiam explicavit. Nam Historia Regum, quæ statim post Pentecosten ponitur, primis duobus libris mysticè assimilatur primis Christianitatis temporibus, quando paulatim crescente fide vetus idololatria decidit, sicut post regnum Saül successit David vir secundum cor Dei. Duobus autem sequentibus libris in divisione regni à domo David, tempora significantur Hæreticorum, à quibus Ecclesia scissa est. Sequuntur libri Salomonis, quia post certamina Hæreticorum

r̄ Cyprian. præf. libro de exhort. Martyr. s̄ Exod. 24: vers. 7. t̄ Deuter. 31: 11. u 2 Esdra 8: 8. x 1 Mach. 11: 9. y Luc. 4: 16. z̄ Concil. Laodic. cap. 59. Dist. 15. C. sancta Romana Ecclesiæ. a Rupert. l. 12. c. 24. c̄ 25.

eorum sapientia enituit Doctorum Ecclesiæ, quos illorum contentiones excitarunt. Legitur deinde Job, quia in pace Ecclesiæ non desunt fidelibus tentationes ad probationem, & exercitium virtutis. Mense verò Septembri libri quatuor percurri solent, videlicet Tobias, Judith, Esther, & Esdras, per quos quatuor virtutes Cardinales indicantur: Tobias enim prudentiæ typum gessit, Judith fortitudinis, Esther temperantiæ, Esdras iustitiæ. Quia verò dum in hoc mundo peregrinamur à Domino inter virtutum exercitia vitiorum ingruunt bella, quatuor jam dictos libros prælia Machabæorum aptè sequi consueverunt. Reliquo tempore usque ad Nativitatem Domini Prophetarum personant scripta, ut inter tenebras, & consuetus sæculi usque ad reditum Christi scripturæ nos illuminent, & consolentur. Hæc ferè Rupertus. A die verò Nativitatis Christi usque ad Septuagesimam novum legitur Testamentum, magnusque Præco Evangelii Paulus auditur, ut dicamus in novitate vitæ ambulare. A Septuagesima autem usque ad Pascha, diebus niimirum luctus, & poenitentiae, veteris miseriæ narrantur Historiæ, à qua Christi sanguine redempti sumus. Demum Paschali fulgente gaudio Apocalypsis B. Joannis Apostoli nobis proponitur, post quam sequuntur Epistolæ Canonicae, ut de fine mundi sanctis revelationibus admoniti Apostolicis doctrinis, & documentis nos diligenter ad finem nostrum præparemus.

3. Concilium Carthaginense, sive illud tertium fuerit, ut in collectionibus Conciliorum prænotatur, sive sextum, ut mavult Baronius *b*, etiam passiones Martyrum legi in Ecclesia permittit, cum anniversarii dies eorum celebrantur. Gelasius Papa in Decreto habito cum 70. Episcopis, post sacras Scripturas, sanctasque Synodos universales, & opuscula omnium Patrum orthodoxorum, atque Epistolas decretales summorum Pontificum, recipi item jubet gesta sanctorum Martyrum. Sed ideò, inquit, secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia eorum qui conscribere nomina penitus ignorantur. De eadem re Adrianus Papa *c* in Epistola, qua refellit objectiones adversus septimam Synodum, hæc habet: Vitæ Patrum sine probabilibus auctoribus minimè in Ecclesia legun-

tur: nam ab orthodoxis titulatae & suscipiuntur, & leguntur. Magis enim passiones sanctorum Martyrum sacri Canones censurunt ut liceat eas in Ecclesia legi, cum Anniversarii dies eorum celebrantur. Paratae sunt igitur lectiones, ut in sanctorum festivitatibus eos qui divinis laudibus vacant loqui faciat sermo qui tacet, ut eleganter ait Berengosius Abbas *d*. Paratae sunt scripta sanctorum Patrum, ut loquitur in Dialogis de fide Caesariuse, quæ nihil aliud quam flores sunt, qui aqua manante ex latere Christi irrigantur, ejus sanguine tinguntur, totumque mundum suavi odoris fragrantia replent. Primus qui in Italia divinum officium ordinavit distinguendo libros veteris, & novi testamenti, prout hodie leguntur, si vera tradit Hieronymus Rubeus *f*, fuit sanctus Eleucadius Ravennæ Archiepiscopus, qui vivere desit anno Domini 112. Magnus autem Carolus Imperator, ut tradit Sigibertus *g* in Chronico, per manum Pauli Diaconi sui decerpens optima quæque de scriptis Catholicorum Patrum lectiones unicuique festivitati convenientes per circulum anni in Ecclesia legendas compilari fecit. Jacobus Pamelius *h* lectionum antiquitatem demonstrat in Latinorum Liturgicis, ubi in hanc rem testimonia Sanctorum Patrum plurima affert. Quæ verò lectiones ad præscriptum sacrorum Canonum legi debeant, docet Radulphus Fungrensis *i*, ut nulla scilicet apocripha Historia, nulla profana novitas introducatur: verum ut præcipit Monachorum Magister *k*, Codices legantur in vigiliis tam veteris Testamenti, quam novi divinae auctoritatis, & expositiones eorum, quæ à nominatissimis Doctoribus Orthodoxis, & Catholicis Patribus factæ sunt. Inter errores Agobardi Lugdunensis Episcopi non minimus ille est, quem in opusculis de veteri ritu canendi Psalmos, & de correctione Antiphonarii propugnat, nihil scilicet in divinis Officiis audiri debere, nisi sacram Scripturam, ne inquit ignem alienum offeramus Domino, quasi non sit à Deo omnis sermo verus. Magnus Gregorius *l* cum audisset publicè ad vigiliis legi in Ecclesia Ravennensi sua Commentaria in Job, scripsit de hac re Joanni ejus Ecclesiæ Subdiacono in hæc verba: Illud quod ad me quorundam relatione perlatum

Ppppp 3 est,

d Bereng. ser. 1. de Martyr. e Casar. dial. 1. inter. 1.
f Rubeus hist. Ravennat. lib. 2. *g* Sigibert. ann.
 807. *h* Pamel. Liturg. to. 1. *i* Radulph. prop.
 11. *k* Bened. reg. cap. 9. *l* Greg. 1. 10. Ep. 22.

b Baron. ann. 419. num. 95. In Epistol. summ. Pont.
 tom. 2. par. 2. c. Adrian. Epist. 3. pag. mibi 749.

est, quæ Reverendissimus frater, & Cospiscopus meus Marianus legi commenta B. Job publicè ad vigiliis faciat, non græte suscepti: quia non est illud opus populare, & rudibus auditoribus impedimentum magis, quam proventum generat. Sed dic ei ut commenta Psalmorum legi ad vigiliis faciat, quæ mentes sæcularium ad bonos mores præcipuè informant. Habendus igitur in lectionibus delectus est, sapientibus enim, & insipientibus debitores sumus.

4. Non facile dixerim, quam convenienter id ab antiquis institutum sit, ut orationi subdatur lectio; rursumque lectionem excipiat oratio: nam cum oramus, cum Deo loquimur; cum legimus, Deus loquitur nobiscum. Per orationem mundamur à peccatis, per lectionem discimus quid facere, quid cavere, quò tendere debeamus. Disertissimè Bernardus libro de modo orandi, seu verius Guigo Carthusiensis *m* hætenus sub Bernardi nomine citatus: Beatæ vitæ dulcedinem lectio inquirat, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Unde ipse Dominus dicit, *Quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Quærite legendo, & invenietis meditando: pulsate orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat, & frangit, oratio saporem acquirit, contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat, & reficit. Denique ingens bonum est lectio, ait Chrysostomus *n*, quæ facit animam optimis moribus præditam, & mentem in cælum transfert. Porro ritus, quo legi solent lectiones, hic est; Post Psalmos dicitur Versus, ut à Psalmodia ad lectiones vertatur intentio. In pluribus Ecclesiis sequitur post versum Absolutio, itemque Oratio Dominicalis: quia enim in malevolam animam non introibit sapientia, mundari cor debet, atque per orationem præparari ad audiendum verbum Dei, quareus precibus nostris propitiatus is qui dat omnibus assuenter, adaperiat cor nostrum in lege sua, & in præceptis suis, aperiatque sensum ad intelligendas Scripturas. Lector verò accepto codice licentiam petit legendi à prælato, vel Sacerdote dicens, *Fube Domine benedicere*; quia, ut dicit Rupertus *o*, Nemo nisi missus, aut permissus officium prædicandi usurpare debet, quomodo enim prædicabunt nisi mittantur? Non tamen

m Guigo Carth. in scala claustralium c. 1. *n* Chryf. Hom. 35. in Genes. *o* Rupert. l. 1. cap. 12.

petit se à Sacerdote benedici, sed ut jubeat sibi à quocunque alio benedictionem impertiri, cuius rei mysterium edidit his verbis Petrus Damianus *p*. Lecturus magnæ humilitatis gratia non à Sacerdote, sed ab eo cui Sacerdos iusserit se postulat benedici dicens, *Fube Domine benedicere*. Sacerdos autem, ut tantæ humilitati vicem reddat, non subiecto cuiquam benedicendi delegat officium, non per semetipsum benedictionem dare præsumit, sed potius ut à Deo, qui est super omnia benedictus, prærogetur, exposcit. Hic ritus benedicendi antiquissimus esse videtur: nam in manuscriptis Græcorum Patrum Homiliis plerumque præfixa reperiuntur hæc verba, *ἐὐλόγησον πατέρα, Benedic Pater*, quod Jacobus Gretzerus *q* ex antiquo more petendi, benedictionem à Prælato, priusquam legere quis inciperet, derivasse arbitratur. Quare & in multis sermonibus Sancti Ephræm hæc eadem verba prænotata videmus, quia ejus scripta publicè in Ecclesia legi solebant, ut testatur D. Hieronymus *r*. Hac autem voce benedicendi antiquos etiam Ethnicos usos fuisse ex multis scriptoribus constat. Cicero pro Sextio: Cui benedixit unquam bono? benedixit? imò quem fortem, & bonum civem non perulantissimè est insectatus? Ovidius *f*.

Scis bene cui dicam positus pro nomine signis.

Plautus in Milite glorioso. *z*

Conserui, conserva que omnes bene valete, & vivite,

Bene quæso dicatis inter vos, & mihi absentis tamen.

Idem in Cassina. *u*

Benedicite, Diis sum fretus, Deo speravimus,
Et in Aulularia. *x*

— Bono animo es, & benedicere.

Et alibi. *y*

Eja benedicite, ite intro, valete.

Extant autem de benedictionibus doctissimæ lucubrations prædicti Gretzeri, quibus nihil addi potest. Illud etiam observandum, non Dominum vocari Prælatum, sed Dominum ablata literula, quæ appellatio, cum ad Monachos maximè pertineat, aliquanto fufius explicanda est.

5. Joan-

p P. Damian. lib. de Dom. vobiscum cap. 2. *q* Gretzer. to. 1. de Cruce in or. Alex. de Crucis Invent. *r* Hieron. de vitis illustr. *f* Ovid. 4. Trist. *t* Plaut. mil. gl. ac. 4. sc. 8. *u* Cas. ac. 2. sc. 5. *x* Aulul. ac. 4. sc. ult. *y* Asinar. ac. 3. scen. ult.

5. Joannes Buseus *z*, & Nicolaus Serarius *a* huic voci initium dedisse autumant humilem Christianorum modestiam, qui integrum Domini nomen ei soli reservarint, de quo psalmus; Tu solus Dominus, tu solus altissimus. Unde vulgatus extitit versus:

Celestem Dominum, terrestrem dicit Dominum.

Sanè Tertullianus *b* eos Imperatores oburgans, qui sublimem divinitatis titulum superbe assu- mebant, Augusti moderationem commendat, qui ne Dominum quidem dici se volebat: hoc enim, ait, Dei est cognomen. Atque id ipsum de Augusto testatur Suetonius *c* his verbis. Domini appellationem ut maledictum, & opprobrium semper exhorruit, Dominumque se appellari ne à liberis quidem, aut nepotibus suis, vel feris, vel joco passus est. Eandem Domini appellationem Alexandrum Severum respuisse scribit in ejus vita Aelius Lampridius *d*. Idem de Tiberio asserit Tacitus *e*, De Justiniano Imperatore, & impia Theodora ejus conjuge hæc notat Procopius Cæsariensis *f* in Historia *arabica*: Antiquitas etiam qui Cæsarem alloquerentur, Imperatorem compellarunt, conjugemque Imperatricem. At quisquis cum alterutro horum Augustorum sermones misceret, Imperatoremve, aut Imperatricem non Dominum, Dominamque nominasset, is verò rudior, ac procax habebatur, & quasi scœdissimè lapsus abigebatur. Sed & teste Seneca *g*, olim Dominum Patrem familias appellaverunt, idque modestiæ, ac humanitatis causa. Solebant quidem Romani obvios quosque Dominos salutare, sed hoc duntaxat, cum nomen proprium nescirent, vel statim memoriæ non occurreret. Constat ex Seneca initio Epistolæ tertiæ, & ex Martiali his versibus *h*.

Cum te non nossem, Dominum vegetemque vocabam.

Cum bene te novi, jam tibi Prius eris.

Item, *i*

Cum voco te Dominum, noli tibi Cinna placere, Sapè etiam servum sic resaluto meum.

Observant Baronius *k*, & Ludovicus de la

z Buseus in not. ad Epist. 4. Petri Blesens. *a* Serar. lib. 1. de Litaniis cap. 13. *b* Tertull. Apolog. cap. 34. *c* Sueton. in Aug. cap. 53. *d* Lamprid. in Alex. cap. 4. *e* Tacit. 2. Annal. *f* Procop. in fin. hist. arabica. *g* Senec. Ep. 57. *h* Martialis lib. 1. Epig. 113. *i* Id. l. 2. Ep. 68. *k* l. 5. Epig. 58. *k* Baron. an. 416. num. 23.

Cerda *l* clarissimis olim viris, & sceminis, præsertim Ecclesiasticis, atque ipsis quoque sanctis hoc Domni, & Domnæ præno- men attributum fuisse. Sanctus Odo *m* Cluniacensis Abbas sanctum Martinum Dominum vocat. Apud Baronium *n* in notis ad Romanum Martyrologium extat Epitaphium S. Anathalonis primi post S. Barnabam Mediolanensis Episcopi à S. Mirocle conscriptum ante annos mille, & multò amplius, cujus primus versus hic est:

Petri hospes, sancteque Anathalon, Domne probate.

Apud Brissonium *o* legitur testamentum Hadoini Episcopi Cenomacensis, in quo sancti Martyres, & Apostoli, sicut & viri illustres semper Domni appellantur. In fine Historiæ Apostolicæ Aratoris Subdiaconi hæc inscriptio reperitur ex antiquissimo Codice manuscripto. Beato Domno Petro adjuvante oblati hujusmodi Codex ab Aratore excomite domesticorum, excomite privatarum, viro religioso, Subdiacono S. R. E. sanctoque, atque Apostolico viro Papæ Vigilio, & susceptus ab eo ante Confessionem beati Domni Petri. In Litaniis, quas Serarius vetustissimas se vidisse testatur, summus Pontifex Dominus Apostolicus nuncupatur. Eadem vox passim occurrit apud Gregorium Magnum, Goffridum Vindocinensem, Petrum Blesensem, Leonodum, & alios. Nunc etiam in Hispania, & maxima Italiæ parte illustres, & summates viri Domni vocantur, quem titulum olim quoque Regibus attributum constat ex Cassiodoro *p*. Sicut autem nos dimidiato vocabulo Italicè *Don* pro Domno dicimus, ita eandem syncopen amare Græcos invenio, qui *κύριε* pro κύριε ponunt, & brevius aliquando *κύριε*: ut observat Gretzerus *q* in notis ad Orationem Germani Patriarchæ. Quidam vir doctus non à Domino per syncopen, sed à voce Hebraica *Adon*, quæ Dominum significat, sublata per aphæresim prima litera, & Latino more inflexo vocabulo Domni appellationem derivasse existimat. Sed hæc opinio qua nitatur probabilitate viderint doctiores. Non est autem hic omittenda S. Benedicti *r* regularis institutio. Is enim postquam præcepit nulli lice- re alium puro nomine appellare, jubet deinde à junio-

l Cerda adversar. cap. 77. *m* Odo serm. de combust. Basilicæ sancti Martini. *n* Baron. ad diem 25. Sept. *o* Brisson. lib. 7. de formul. *p* Cassiod. l. 8. variar. Ep. 5. *q* Gretzer. tom. 2. de Cruce. r. Bened. reg. c. 63.

junioribus seniores vocari Nonnos, Abbatem verò, quia Christi vices agit, Dominum appellari decernit. Quam regulæ jussionem sic ex usu suorum temporum interpretatur Smaragdus *f*, ut non solum Abbas, sed etiam ceteri Monachi Domni vocarentur. Sicut, inquit, tunc apud illos paterna exhibebatur reverentia, ut priores vocarentur Nonni: ita nunc apud nos exigitur hodie, ut ipsa paterna reverentia priores nostri à nobis vocentur Domni. Non est igitur recens inventum, quod Monachi omnes indiscriminatim Domni vocentur, quod nostris hinc temporibus multò potiori ratione ab universis Monasticis Congregationibus sancitum videtur, ut à Mendicantium Ordinibus ipsa nuncupatione fecernerentur. Abiit nunc in dis-suetudinem Nonni, & Domni discrimen, quod tamen non rei, sed vocis fuisse ex veterum monumentis conjicio. Ut enim Domnos viros præstantissimos honoris, ac reverentiæ gratia vocitamus; ita per Nonnum intelligi paternam reverentiam S. Benedictus asseverat. Illi etiam qui sanctitatis titulo insignes erant Domni dicebantur, quos item Nonnos dici reperio apud Arnobium *r*. Terrenæ mentes, ait, interficiuntur hoc ordine: si ille qui sanctus, & Nonnus vocatur, sic agit; ego quis, aut quotus sum, ut non agam? Eandem vocem adulationis notam fuisse testatur Hieronymus *u*: Quæ in adulationem tui sanctum, Nonnumque coram te vocat. Ubi malè in quibusdam codicibus irrepsit, sanctum nonnunquam. Xiphilinus *x* auctor Græcus virgines Nonnas vocat: Quæ vox frequentius pro sanctimoniali usurpatur. In Pœnitentiâ S. Fulberti, si quis Nonnam corruerit, septem annis pœniteat. Rursum Hieronymus *y*: Quia maritorum expertæ dominatum viduitatis præferunt libertatem; castæ vocantur, & Nonnæ. Dicitæ sunt etiam Nonnanes, & Nonnanæ, ut ostendit Rosuvedus, in Onomastico. Esse autem hanc vocem reverentiæ, & quæ propriè majoribus natu, ac senioribus olim tributa fuerit docet Hugo Meruardus ad cap. 70. Concordiæ Regularum. At de Domni, Nonnique appellatione hæc notasse sufficiat. Jam ad ritum lectionum regredior.

6. Cùm legitur lectio sedere solemus exemplo Christi sedentis inter Doctores, ut eos audi-

f Smaragd. in c. 6. regula. *r* Arnob. in Psalm. 105.
u Hieron. Ep. 47. *x* Xiphilin. in Domitiano.
y Hieron. Ep. 22.

ret, nam sessio propter quietem attentioni maxime servit: & ut docet Aristoteles *z*, sedendo, & quiescendo animus fit sapiens. Nec vacat sessio, ait Bernardus *a*, tranquillitatis insignie est. Altum verò silentium servandum est, dum leguntur lectiones. Nam, ut loquitur Chrysostomus *b*, si cùm Regiæ leguntur literæ ubique est silentium, abestque strepitus, & tumultus, omnibus astantibus, & aures arrigentibus, ut sciant quæ regis literis manifestentur: & quisquis vel parum tumultuatus fuerit, & quæ leguntur interruperit, in magno periculo est: multò magis cùm leguntur Divinæ lectiones cum magno timore, & tremore astandum est, & altum habendum silentium, & pellendæ cogitationes turbulentæ, ut quæ dicuntur intelligere possitis *c*. An non creditis quod hæc quæ leguntur, sunt à Deo? Sunt Epistolæ ad nos è celo missæ? cum timore igitur audiamus quæ dicuntur. Ethnicis quoque solemne erat in templis proclamare, *Favete linguis*, nimirum ut sacra cum debita veneratione perficerentur, nulla voce non mala solum, ut inquit Seneca *d*, sed ne bona quidem obstrepente. Quod & illud quoque indicabat ex Briffonio *e*, *σιγα, πᾶς ἐπι λέως, Τάχε, omnis esto mutus*. Sanè in Gentilium templis nefas fuisse expuere, aut nasum emungere scribit Arianus *f*. Quem morem commendans Quintilianus *g*, ait: In templo verbis parcimus, animos componimus, tacitam mentem velut in solitudine, velut in secreto quodam custodimus. Sunt autem multi, qui, cùm leguntur lectiones, tametsi lingua taceant, mente tamen distrahuntur, de quibus audeo dicere cum Origene *h*, quia cùm legitur Moyses, jam non velamen super cor eorum, sed paries quidam, & murus positus est. Quoties ergò Dominica nobis panduntur eloquia, mens evigilet, ut ait Chrysologus *i*, animus intendat, ut possit intellectus scientiæ celestis intrare secretum. Quid enim prodest lectione continua tempus occupare, sicut scribit quidam vir pius *k*, sanctorum gesta & scripta legendo transcurrere, nisi ea etiam masticando, & ruminando succum eliciamus, & translutendo usque ad cordis intima transmittamus, ut ex his diligenter consideremus statum nostrum,

z Aristot. 7. Physic. *a* Bern. de consid. lib. 5. cap. 4.
b Chryf. hom. 14. in Gen. *c* Id. hom. 3. in 2. ad Theff. *d* Senec. c. 26. de vita beata. *e* Briffon. l. 1. de formul. *f* Ariam. Epist. l. 4. c. 12. *g* Quintil. de clam. 365. *h* Origen. Hom. 12. in Exod. *i* Chrysol. serm. 139. *k* Gurgo Caribus. in scala claustral. c. 11.

nostrum, & fludeamus eorum opera agere, quorum facta cupimus lectitare? Optimè de hac re S. Antiochus¹: Qui opus tractat spirituale, dum divinas legit Scripturas, quæcunque occurrunt univèrsa in seipsum debet tacita cogitatione reflectere, & non in alterum. Item Marcus Eremita^m: Legens verba sanctæ Scripturæ, opere ipsa exequaris, & ne glories de nuda ejus cognitione.

7. Cùm verò audicuri sumus sacrarum Scripturarum lectionem, orare cum Propheta debemus, & dicere, *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Tanta est enim earum profunditas, tanta obscuritas, ut illarum penetrare mysteria nemo valeat, nisi sensum aperiat^o ad intelligendum, ille qui aperit, & nemo claudit. *Tenebrosa est aqua in nubibus aëris,* inquit Gregorius Magnus^p, quia obscura est scientia in Prophetis. Et Augustinus^q ad Volufianum scribens, Tanta est, ait, Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Oritur hæc obscuritas, seu difficultas ex multiplici capite. Primò quidem ex Hebraico idiomate, quo ferè omnes conscriptæ sunt, ut observat Euthymius^r, Hæc autem lingua à cæteris omnibus aliena cum nullis Europæ communicat: unde factum est, ut de Judæis fileant Græci, & Latini Historici, nec nisi quædam mendacia scribant ore tenus accepta à finitimis Gentibus, quæ semper Hebræis fuerunt infensæ, qualia sunt ea, quæ Trogus, & Tacitus mentiuntur: Deinde sacræ literæ tropis abundant, & sensibus mysticis; pro quorum intelligentia sancti Patres plures Regulas, & Canones tradiderunt, multumque laborarunt, nec tamen omnia sunt affecuti, & sæpè dissentiunt inter se in unius sententiæ expositione, ut docet Fulgentius^s lib. 2. ad Monimum. His accedit posteriorum altitudo, quibus plenæ sunt omnes paginæ testamenti. Denique, teste Augustino^t, divinitus provisum est, ut multa in scripturis obscurè dicta retineantur, quæ densissimam caliginem obducunt, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio re-

¹ Antioch. ho. 70. ^m Marc. Erem. lib. de lege spiritali c. 87. ⁿ Psal. 118. ^o Psal. 17. ^p Greg. hom. 6. in Ezech. ^q Aug. Epist. 3. ^r Euthym. pref. in Psal. ^s Ful. lib. 2. ad Mon. cap. 14. ^t Aug. lib. 2. de doctri. Christi. c. 6.

vocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt. Cùm ergò leguntur scripturæ, magno studio eis attendamus, facientes quod ait Psalmographus, *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem.* Tunc enim bona sunt verba Domini, inquit Remigius Altifiodorensis^x; si opere impleantur, si cor labiis consentiat. Post lectionem vertitur lector ad Dominum dicens, *Tu autem Domine miserere nobis:* quia ipsum legendi munus sine aliqua culpa peragi nequit. Si rectè legit, animum tentat elatio: si malè, vana sequitur confusio. Semper ideò misericordia Dei indiget qui legit, ne opus per se bonum vel superbiam contamine vitium, vel damnabilis verecundia pudor inficiat. Olim lectiones admodum proluxæ legebantur ex Codicibus sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum, nec finis à legente imponebatur, nisi Superior præciperet dicens *Tu autem,* cui parens Lector statim dicebat, *Domine miserere nobis.* Ad hunc ritum alludit Petrus Cellensis Epist. 20. libro 6. ubi loquens de charitate ait, Lectio ista sine *Tu autem* continuetur. Succinit chorus, *gratias Deo,* quod ad totam lectionem refertur: namque gratias agimus Domino, quod panem suæ doctrinæ nobis frangere dignatus sit, & animas esurientibus sapientiæ pabulo recrearit. Hæc autem vox *Deo gratias* antiquissima est, eaque olim utebantur Monachi, cùm sibi invicem occurrerent. Testis est Augustinus^y Donatistas redarguens, qui nostrum *Deo gratias* irridebant: ut scias recentiores Hæreticos omnem errorum luem jam à Patribus damnatum ab inferis revocasse.

^u Psal. 118. ^x Remig. in Mich. cap. 2. ^y Aug. in Psal. 132.

§. XV.

DE RESPONSORIIS.

Responsoria quid significant. Cur proluxius cantentur. Quis eorum auctor. Quo ritu dicantur.

1. **Q**ui aurum, & argentum, in quo confundunt homines, ingentive pretii splendidissimas gemmas repererit, non publicè minimum avaritiæ diripiendas prostituit, sed in intimis penetralium recessibus centum clavibus

Q999

ser-

servandas abscondit. Eadem prorsus ratione qui verbum Dei fidele, immaculatum, convertens animas, desiderabile super aurum, & lapidem pretiosum auribus corporis, & cordis perceperit, servare illud, & custodire debet non auditor obliviosus factus, sed memor semper mandatorum Dei ad faciendum ea. Sicut qui thesauros effodiunt, inquit Chrysof. non solum in superficie fodiunt, sed in profundum descendunt, & penitiores terræ sinus scrutantur: ita nos pari diligentia spiritualem thesaurum in verbis reconditum inquirere debemus. Diripi autem spiritualis thesaurus nequit, & ubi in promptuaria mentis nostræ reconditus fuerit, ab omnibus insidiis est securus: modo per ignaviam locum non demus ei, qui illum nobis auferre cupit. *Fili mi*, ait Sapiens ^b, *custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi*. Beati sunt qui audiunt verbum Dei, sed si custodiunt illud: *si hæc feceritis*, dicit Dominus ^c, *beati eritis si feceritis ea*. Hoc significant ex antiqua sapientum traditione Responsoria, quæ lectiones subsequi, eisque consonare solent. Quid enim habet emolumentum virtutem cognoscere, si meliora videntes, & probantes sequantur deteriora? Divinorum quippe sermonum meditatio, ac lectionis auscultatio, ait rursus Chrysofomus ^d, in bona opera desinere debet. Et quidam profanus ^e: Hic fructus legendi est, æmulari ea quæ in aliis probes, & quæ maxime inter aliorum dicta mireris in aliquem usum tuum opportuna derivatione convertere. Item Gregorius Magnus ^f: In nobismetipsis debemus transformare quod legimus, ut, cum per auditum se animus excitat, ad operandum quod audierat, vita concurrat. Ideo, juxta sententiam Epicteti ^g, in nostris lectionibus non proficimus, quia dumtaxat ea intentione legimus, ut sciamus: nec studium nostrum ad actionem, & morum compositionem dirigimus. Amicitiam suam non audientibus legem, sed facientibus quod præcepit lex, legis & mandatorum auctor pollicetur. *Vos*, inquit ^h, *amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis*. Sicut igitur unamquamque lectionem congruum, & consonum excepit Responsorium; ita Divinorum sermonum auscultatio in copiosam definit bonorum operum fructificationem. Pul-

^a Chryf. hom. 8. in Gen. ^b Id. ibid. ho. 5. ^c Proverb. 7. 1. ^d Ioan. 13. 17. ^e Chryf. in Psal. 118. v. 48. ^f Macrob. lib. 5. Satur. cap. 1. ^g Greg. lib. 1. mor. cap. 10. ^h Epictet. apud Ariannum lib. 4. cap. 4. h. Ioan. 15. 14.

cherrimus ordo hic est, ut ex coelestium mandatorum auditu sanctarum operationum usus inoleseat.

2. Ipse cantus, quo Responsorium cantatur, laborem activæ vitæ subindicat: creberrimæ enim sub eadem syllaba plurimum notarum excursioniones, vocum itidem difficiles saltus, sublimæ elationes, inimicæ depressiones, frequentes ac subitæ mutationes indicia sunt multiplicium laborum, quos in mandatorum celestium executione subire debemus. Docet Stephanus Eduensis Episcopus ⁱ, cui consentit Hugo Victorinus ^k, Responsorium significare ascensum, quem auditores lectioni, ejusque monitis præbuerunt: atque ideo dicitur Responsorium, quia responsio secundum voluntatem interrogantium assensus est, vel concessio: sive, ut Rupertus ^l docet, Responsorium dicuntur, quia respondent lectionibus, tristitia tristibus, læta lætis: vel choro respondente cantantur. Quomodo verò, & à quibus Romanis Pontificibus mutatus sit cantus in Responsorium ostendit Amalarius initio libri de ordine Antiphonarii. Afferit Isidorus ^m Responsorium ab Italis inventa fuisse. At Sozomenus ⁿ auctor est S. Joannem Chrysofomum Responsorias cantiones instituisse ad æmulationem Arianorum, qui in cœtus distributi alternatim, & ad modum Responsoriorum canebant, & Corollaria adjiciebant in sectæ suæ gratiam composita. Responsorium versus ab uno solo cantatur, per quod singularitas operationum designatur. Chorus autem repetit post versum partem Responsorii, ut id ipsum dicamus omnes, & non sint schismata in nobis: quia autem opera nostra imperfecta sunt, ideo ex parte tantum repetitur. Additur in quibusdam *Gloria Patri* in gratiarum actionem ei, qui dedit nobis vellemus, & perficere: & in confessionem fidei, sine qua impossibile est placere Deo. Hæc est autem discretio, inquit Concilium Toletanum ^o, ut in lætis sequatur *Gloria*, in tristibus Responsorii principium repetatur. Post Capitula, quæ breves lectiones sunt, breviora sequuntur Responsorium, ut præcedenti doctrinæ subsequens operatio conveniat. Nocturno tempore longiores, diurno breviores recitantur lectiones, quia nox ad contemplandum, dies ad agendum tri-

ⁱ Steph. Eduen. lib. de sac. altaris cap. 12. ^k Hugo in spect. c. 7. ^l Rupert. lib. 1. cap. 15. ^m Isidor. de Eccles. off. lib. 1. c. 8. ⁿ Soz. lib. 8. c. 8. ^o Concilium Tolet. 4. cap. 15.

tributa videtur; contemplatio autem longior, actio brevior esse debet, quia qui minoratur actu, percipiet sapientiam. Tempore Paschali in fine Responsorii adjungitur *Alleluja*, quod lætitiæ additamentum & gloriam Dominicæ Resurrectionis respicit, & ferventius benè operandi studium sacris illis diebus ostendit.

§. XVI.

DE CAPITULIS.

Capitulum quid sit. Quare singulis horis, & quo ritu recitetur.

1. **B**REVIS quædam lectio è divinis libris deprompta, quam in singulis Officiis recitamus, à nonnullis antiquioribus ꝑ collectio, lectiuncula, & versiculus dicebatur, à D. autem Benedicto ꝑ lectio, ab omnibus communiter Capitulum nuncupatur. Hujus nominis ratio est, quia Capitula ut plurimum brevia capita sunt Epistolarum; quæ in Missa leguntur. Est autem Capitulum, teste S. Anselmo ꝑ, brevis multorum complexio, sic dicta quia breviter capit totam summam. Nam per hoc quod diminutivum est Capitulum designatur brevis: & per hoc quod venit à capite, vel à capio, intelligitur quod magnum sensum capiat, & sit breve caput multorum, quæ late differuntur. Notat Baronius ad diem 12. Novembris, antiquum esse nomen Capitulum in Ecclesiasticis Officiis, alterius tamen significationis ab ea qua nunc accipi solent. Erant enim preces quædam prolixiores in honorem Sanctorum vel solemnitate, ut constat ex Epistola Vigilii Papæ ad Eucharium. Capitula secundum alios breves quædam partitiones sunt, & in solo Evangelio Marci erant olim 235. A Joanne Chrysostomo *ἡ ἑκαστὴν ὁμιλίαν* sive Capitulum reductio in summam dicitur, cum quæ prolixè dicta sunt compendiosè dicuntur. Xenophon ꝑ totius rei summarium *ἡ ἐπιτομή* id est Capitulum vocat. Plato ꝑ eadem voce utitur pro eo quod in aliqua re summum, & præcipuum est. Notat Ven. Beda ꝑ exemplo gentis Israëlitiæ

ꝑ Conc. Agathense c. 20. ꝑ Benedicti in Reg. c. 13. ꝑ 17. ꝑ Anselm. seu quisquis est auctor in c. 8. ad Hebr. ꝑ Chrys. ad Ephes. hom. 1. ꝑ Xenoph. lib. 6. Cyprian. ad u. Plato 1. de leg. x Beda lib. 2. exposin Esdr. cap. 2.

quæ tempore Esdræ ꝑ legebat in volumine legis quater in die, hunc morem in Ecclesia involuisse, ut per singulas diurnæ Psalmodiæ horas lectio una de veteri, sive de novo Testamento cunctis audientibus ex corde dicatur: & sic Apostolicis, sive Prophetiis verbis confirmati ad instantiam orationis genua flectant. Horis nocturnis plures lectiones, & longiores dicuntur, quia tunc à laboribus operum cessantes liberiores aures divinis auscultationibus accommodamus. Stamus ad diurnas, quia breviores. Non præmittitur benedictio, quia à Prælato, vel Sacerdote dicuntur, cujus est aliis benè precari. In fine non dicitur, *Tu autem Domine*, quia in brevi lectione facilius est culpam evitare, cum præsertim à viro perfectiori recitetur. Sine titulo leguntur, quia Sacerdotes docti esse debent in divinis scripturis. Sermonibus autem sanctorum Patrum titulus præfigi solet, quia multiplicem eorum doctrinam non omnes Ecclesiastici viri, vel scire possunt, vel ejus meminisse si sciant. Post Capitulum respondemus *Deo gratias*, ut pro singulis gratiæ donis gratias agentes locum gratiæ faciamus in nobis, & cum gratiarum actione petitiones nostræ innotescant apud Deum.

§. XVII.

DE COLLECTIS.

Collecta nomen æquivocum. Collectarum primi auctores. D. Benedictus benedictionis nomine Collectam indicat. De salutatione Dominus vobiscum, quæ collectis præmittitur. Notantur quædam de ultima collectarum clausula, & de hac voce, Amen.

1. **I**NTER minores Officii divini partes locum potissimum tenent breviusculæ orationes, quas Collectas nuncupamus, vel quia Collectæ sunt ex auctoritate divinarum scripturarum: vel quia sacerdos, ut notat Innocentius Papa ꝑ, totius populi preces colligit, & refert ad Deum: vel quia hujusmodi preces populo in unum collecto fieri solent, idque Pamelius observat ad verba Tertulliani ꝑ; Quomodo colligimus, quomodo Dominica solemnia celebremus, quomodo

Qqqqq 2 bimus?

ꝑ 2. Esdr. 9. 3. ꝑ Innoc. 3. l. 2. de Myst. Missæ cap. 27. ꝑ Tert. l. de fuga in persec. c. ult.

bimus. Atque hoc sensu phrasim est antiquis Patribus, & historicis Ecclesiasticis valde usitata Collectas agere, con venire ad Collectam, pro eo quod communiter dicimus Ecclesiam aliquam orationis gratia adire. Etiam in veteri testamento coetus fidelium, diesque solemnes Collecta dicebantur ^b. Eadem voce pro conventu, & congregatione fratrum ad orationem simul convenientium utitur passim S. Pachomius ^c in Regula, quam Angelo dictante conscripsit. Paulus Apostolus Collectarum voce utitur pro elemosinis, quæ ad alendos pauperes colligebantur ^d: *De Collectis autem, quæ sunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite: ut non cum venero tunc Collectæ stante.* Scribit Cassianus ^e Sacerdotem post Psalmos collegisse omnium preces, unde usus Collectarum. Uranius in vita S. Paulini narrans obitum S. Joannis Episcopi Neapolitani, ad Ecclesiam, inquit, processit, & populum ex more salutavit, resalutatufque à populo orationem dedit, & collecta oratione spiritum exhalavit. Breves autem fuerunt instituta Collecta, quia brevis & pura debet esse oratio. Usum earum antiquissimum esse colligunt quidam ex Liturgiis Sanctorum Jacobi, & Marci. Berno Augiensis ^f, & Sigebertus ^g præcipuum earum auctorem faciunt S. Gelasium Papam. Sed Magnus Gregorius meliores, & emendatores in ordinem redegit, & ex iis librum composuit, quem Sacramentorum inscripsit. Hic mihi primarius Collectarum Auctor fuisse videtur: nam ante ipsum rarior earum mentio apud Scriptores Ecclesiasticos reperitur. Refert Jonas Abbas ^h in vita S. Eustachii Luxoviensis Abbatis, quemdam Schismaticum Regulam S. Columbani inter cætera accusasse, quod plures Collectas in divinis officiis multiplicari juberet: quod tamen rationabiliter institutum S. Abbas ostendit in synodo Matifconensi. De Collectis earumque in Ecclesia Latina origine, antiquitate, auctoribus, seu inventoribus, ratione, atque usu extat insignis Commentarius Claudii Espencei Theologi Parisiensis.

2. Illud autem hoc loco obiter notandum, quod facit ad intelligentiam cujusdam monasticæ Sanctionis. Sanctus enim Pater Benedictus nocturnarum vigiliarum ordinem dispo-

^b Levitic. 23. 36. Deuter. 16. 8. 2. Par. 7. 9. ^c Pachom. reg. num. 2. 3. & 10. ^d 1. Cor. 16. 1. ^e Cass. lib. 2. de inst. can. cap. 7. & 10. ^f Berno de Missa c. 1. ^g Sigibert. an. 487. ^h Jonas Abb. cap. 3. ⁱ Bened. reg. cap. 18.

nens Dominicis diebus post duodecimum Responsorium dicto Hymno *Te Deum Laudamus*, præcipit ut Abbas legat Evangelium: lecto autem Evangelio, & data, inquit, benedictione incipiant Matutinos. Dubitavi sapius, factor, quidnam intelligeret beatus Pater per benedictionem, quam dari vult, antequam Laudes incipiantur. Nam omnes Monachi Collectam officii currentis legunt, postquam immediatè subsequuntur Laudes. Sed inveni tandem, qui nodum solveret Amalarium Fortunatum ^k; Episcopus, inquit, vel sacerdos dicit *Oremus*, ac deinde sequitur benedictio. Utroque nomine benedictionis, & orationis vocatur oratio sacerdotis. De benedictione dicit Apostolus ^l *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiota, quomodo dicit Amen super tuam benedictionem, quia nescit quid dicas?* Hanc benedictionem vocat Ambr. orationem dicens: Imperitus audiens, quod non intelligit, nescit finem orationis, & non respondet *Amen*, id est verum, ut confirmetur benedictio. Hactenus Amalarium. Sed sententia, quam tribuit Ambrosio, Hilarii Diaconi est, cuius sunt Commentaria in Paulum Ambrosio adscripta. Hujus Hilarii meminit Augustinus ^m, eum sanctum vocans ex usu temporum, citatque locum ex his Commentariis in caput 5. epistolæ ad Romanos. D. quoque Hieronymus ejusdem mentionem facit in Dialogo adversus Luciferianos, ipsumque appellat orbis Deucalionem ob inductum anabaptisimum. Quod verò benedictio pro Collecta accipi solet, probatur etiam ex Augustino ⁿ his verbis: An quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit, da illis Domine in te perseverare usque in finem, non solum voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super ejus talem benedictionem, & corde credente, & ore confidente respondit *Amen*? Cæterum S. Benedictus nullam in reliquis horis collectæ mentionem facit, ut vel inde discas præcipuam earum institutionem ad Magnum Gregorium pertinere. Notat autem sancta Hildegardis præclarissimi ingenii femina in explicatione regulæ nullam collectam designari à sancto Patre, nisi tantum post Evangelium, quia Dominica oratione nullam pretiosorem invenit,

^k Amalar. lib. 2. c. 9. ^l 1. Cor. 14. 16. ^m Aug. adv. duas epist. Pelag. lib. 4. cap. 4. ⁿ Aug. de dono persever. cap. 23.

nit, per quam divinum Officium terminaretur. Præclare de collectis, earumque materia Gennadius Massiliensis *. Cum sanctorum plebium præfules mandata sibi legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, & tota secum Ecclesia congemiscens postulant, & precantur; ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, & hæretici Catholicæ Fidei perceptione respiciant, ut Schismatici spiritum reditivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cœlestis misericordie aula referetur.

3. At verò sacerdos, priusquam orationem incipiat, divinis salutationem, ut verbis utar Dionysii Areopagitæ p, præmittit dicens, *Dominus vobiscum*. De qua salutatione extat Canon q Concilii primi Bracarenensis ejus antiquitatem ostendens his verbis: Placuit ut non aliter Episcopi, & aliter Presbyteri populum, sed uno modo saluent dicentes: *Dominus sit vobiscum*, sicut in libro Ruth legitur, & ut respondeatur à populo, *Et cum spiritu tuo*, sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet Oriens, & non sicut Priscilliana pravitas permutavit. Eadem utitur sanctus Martyr Ignatius in sine epistolæ ad Tharsenses. Maximus quoque Martyr, de ea sic scribit in Ecclesiastica mystagogia: spiritualis salutio, quæ Latini est *Dominus vobiscum*, Græcis *Εὐχριστός*, *Pax omnibus*, bonorum omnium consensus, & concordiam, & rationalem quodammodo identitatem per fidem, & dilectionem præfiguratur. Respondet populus, *Et cum spiritu tuo*, quæ verba, teste Chrysostomo s, nihil aliud significant, quam commune esse orationem plebis, & sacerdotis; Unum enim corpus sumus. Nihil autem melius invenit Ecclesia, ut observat Florus Magister t, quod optaret sacerdoti, nisi quod sacerdos optat Ecclesiæ, ut idem Dominus, qui dignatur esse cum Ecclesia, dignetur etiam esse cum spiritu sacerdotis. Et bene Dominus cum spiritu hominis esse optatur, quia in spiritu, & mente rationali creatus est homo ad imaginem, &

similitudinem Dei. Aliter explicat hanc responsionem Isidorus Pelusiota*. Illud autem quod à plebe respondetur, *Et cum spiritu tuo*, hanc habet sententiam: Pacem quidem nobis præbuit Domine, hæc est mutua inter nos concordiam. Pacem autem nobis da, hoc est hujusmodi tecum conjunctionem, quæ nullo modo divelli possit, ut cum spiritu tuo pacati, quem nobis in creationis initio indidisti, à tua charitate distrahi nequeamus. Scripsit verò de hac solutatione elegantissimum opusculum Petrus Damianus, quod omnino legendum est à studioso rerum Ecclesiasticarum lectore. Ego pauca delibo, & in gustum de hoc nectare propino. Id, quod dicitur *Dominus vobiscum*, sacerdos, inquit, ad populum est salutio. Orat enim, Dominus sit cum eis, sicut dignatur dicere per Prophetam: *Inhabitabo in illis*: & Salvator discipulis suis, cunctisque fidelibus, *Eccc, inquit, ego vobiscum sum*. Qui nimirum salutationis sermo non moderno humanæ adventionis arbitrio constitutus, sed ex antiqua sacri eloquii auctoritate probatur assumptus. Ubi si diligenter inquiritur, sæpius singulariter, & pluraliter appositus invenitur. Singulariter sicut ad B. Dei Genitricem Angelus dicit, *Ave gratia plena Dominus tecum*. Ad Gedeonem quoque ait, salutando; *Dominus tecum virorum fortissime*. Pluraliter autem, ut in libro Ruth Booz salutando messoribus suis ait, *Dominus vobiscum*. Et sicut Propheta à Deo missus invenitur salutasse Asa Regem Juda cum exercitu suo victorem de prælio revertentem dicendo, *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo*. Ecclesia ergo salubri salutatione accepta Sacerdotis, & ipsa resalutando orat, & orando resalutat postulans, ut, sicut ille Dominum esse cum ipsis optavit, ita & cum eo esse dignetur dicens, *Et cum spiritu tuo*, id est cum anima tua sit, ut eum digne pro nostra salute possis orare. Et notandum, quod non dicit tecum, sed cum spiritu tuo, ut totum quod in Officiis Ecclesiasticis geritur, spiritualiter fieri perpendatur. Eadem ferè verba in expositione Missæ Remigii Antiochensis reperiuntur, qui Petro Damiano antiquior est. Porro Sacerdos Collectam diciturus tam se, quam alios ad orandum hortatur dicens, *Oremus*, idque ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, ut patet in Liturgiis Sanctorum

Q99993

o Gennad. lib. de Eccl. dogm. cap. 30. p Dionys. l. de Eccl. Hierarch. q Conc. Brac. can. 21. r Maxim. Martyr. capite. 17. s Chrys. homil. 18, in 2. ad Cor. t Florus in ex. missæ.

u Isidor. lib. 1. Ep. 122.

ctorum Jacobi, Marci, Basili, & aliorum. Meminit huius ritus S. Augustinus *. Nam populus post indictam à Sacerdote orationem aliquantulum orabat sub silentio, & deinde Sacerdos communes populi preces colligebat, & offerebat Deo. Stephanus Eduensis †, Exclamat, inquit, Sacerdos *Oremus* monens se, & alios orare, quia Dominus oravit, & discipulos ad orandum excitavit. Et inter Græcos non contemnendus auctor, sed Schismaticus, Nicolaus Cabasila †; Hortatur, ait, ad orationem Sacerdos, ut qui ad orandum fit ordinatus, & sit populi prapositus, intercessor, & mediator.

4. Tandem Collecta hac celeberrima clausula concluditur, *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum.* Ad Patrem enim dirigitur oratio, ut Concilium Carthaginense tertium decrevit, & per Filium terminatur, ut ipse olim præceperat, *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Ipse itaque est, qui interpellat pro nobis, ipse frater, & caro nostra, ipse mediator Dei & hominum, Deus & homo, Christus Jesus. De hoc mysterio B. Fulgentius Ruspensis Episcopus † libellum scripsit ad Trasimundum Regem Arianum eleganter ostendens: qualiter oportuerit mediatorem Dei & hominum verum Deum, & verum hominem esse, ut per ipsum omnia nobis necessaria ab æterno Patre concederentur. Ad eundem Fulgentium epistolam scripsit Ferrandus Diaconus Carthaginensis quinque questionum solutionem ab eo postulans. Harum quarta hæc est: Unum, inquit, regnum Patris, & Filii, & Spiritus sancti credimus, & facemur, simul eos dominari creaturis omnibus sentientes. Quare ergo in orationibus Sacerdotum *Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti per universas penè Africae regiones Catholica dicere consuevit Ecclesia, tanquam solus Filius cum Patre possideat regnum, in unitate scilicet Spiritus sancti, ut regnantes adunare, non simul regnare Spiritus Sanctus intimeret?* Respondet elegantissimè ad hanc dubitationem Fulgentius † Ipsum

consultat cui libet, nam responsio longior est, quam ut hic debeat integra transcribi. *Asserit* autem nos per Jesum concludere orationem, quod ille mediator sit. Tum ex doctrina B. Augustini † concludit, idè nos unitatem Spiritus sancti cum Patre, & Filio prædicare, ut ex ipso unitatis nomine una essentia, & ex hoc unum regnum, & in eodem uno regno una Trinitatis potestas, unaque majestas à fidelibus agnoscat: ne putetur aut Filius, aut, Spiritus sanctus secundum divinam naturam ita cum Patre regnare, quemadmodum cum potiore regnat inferior, sed illa unitas Spiritus sancti, quæ est communio Patris, & Filii, dum in illo regno unitatem Divinitatis monstrat, unam esse regnandi æternitatem, unam potestatem, unam majestatem, unamque dominationem summæ Trinitatis edoceat. Nullum autem præjudicium Filio, vel sancto Spiritui comparatur, ut idem Fulgentius † alibi scribit, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur, cuius consummatio, dum Filii, & Spiritus sancti complectitur nomen, ostendit nullum esse in Trinitate discrimen: quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur, benè credentis fide tota Trinitas honoratur; & cum ad Patrem litantis destinatur intentio, sacrificii munus omni Trinitati uno eodemque offertur litantis officio. Collectæ autem serè omnes diriguntur ad Patrem, pauca ad Filium, nulla ad Spiritum sanctum, quia cum procedat ut donum, proprium ejus est dari potius, quam dare. Cum verò de extrema Collectæ clausula agimus, non parergo fortasse fuerit admonuisse, quod nos dicimus *Per omnia secula seculorum.* Græcè dicitur *ἕως αἰῶνος τῶν αἰώνων*, idque notasse non piget, ut hujus clausulæ antiquitas dignoscatur. Sanctus enim Irenæus Episcopus †, & Martyr S. Polycarpi discipulus redarguens Valentio Hæresiarchæ portentosum commentum de triginta Æonibus, variisque Æonum generationibus, refert discipulos Valentini conatos fuisse illius erroris Catholicos participes facere, quod in Orationibus dicerent æonas æonum, id est sæcula seculorum. Quid sit autem sæculorum sæculum his qui altiori doctrina digni sunt ostendit apex Theologorum Dionysius † in libro de divinis nominibus.

5. Post

x Aug. epist. 107. y Steph. Eduen. de sacr. alt. cap. 12. z Nic. Cabaf. expos. Liturg. cap. 12. a Fulgent. lib. 1. ad Trasimund. b Fulg. epist. ad Ferrand. de v. questionibus.

c Aug. lib. 6. de Trinit. d Fulg. lib. 2. ad Monimum cap. 5. e Iren. lib. 1. cap. 1. ex eo Epiphani. l. 1. tom. 2. heresi 31. f Dionys. de div. nom. cap. 5.

5. Post precationem, & collectam totus cœtus cecinit *Amen*, cujus responsionis antiquitas manifesta est, tum ex Apostolo, tum ex Patribus Justino ^g, Tertulliano ^h, & aliis. *Amen* vox Hebraica est, qua utuntur sacrae literæ ad aliquid confirmandum; Latine idem sonat ac *verè, fideliter, sic est, ita fiat*. In alienum idioma ab Interpretibus translata non fuit propter sui excellentiam, & ne Græcè vel Latine reddita, vim amitteret. Oraculum Zoroastris Magorum Principis, est, nunquam mutanda esse in sacris nomina barbara. Verba item antiqua in divinis sacrificiis efficaciora esse Platonicis, & Cabalisticis (quos in multis convenire Leo Hebraeus ^k eleganter ostendit) ea ratione asserunt, quia antiquum æternitati, quæ Deus est, proximè accedit. Hanc verò doctrinam Pfellus in Scholiis Zoroastris quamvis non omnino probet, asserit tamen singulas gentes habere quadam nomina divinitus data, quæ incredibilem vim habent in sacris, ut *Seraphim, Cherubim, Michael, Gabriel*. Hujusmodi est vox *Amen*. Ecclesia eam adhibet tanquam sigillum confirmans, & consignans præcedentes precationes. Nam, ut ait B. Yvo Carnotensis Episcopus libro de convenientia veteris, & novi sacrificii, hac voce participem se facit populus omnium charismatum, quæ sacerdos multiplici sacramentorum diversitate studuit impetrare. Ideò Augustinus ^l libro de catechizandis rudibus monet Antifites, ut distinctè orent, quatenus populus ad id quod intelligit dicat *Amen*. Notat Urbanus ^m Quartus Pontifex maximus tres significationes habere hoc vocabulum, nam quandoque accipitur nominaliter, & significat nomen Dei, *Hæc dicit Amen restis fidelis*. Aliquando sumitur adverbialiter, ut passim in Evangeliiis; *Amen, Amen dico vobis*, & significat, *verè, infallibiliter, ita est sicut dico vobis*. Tandem accipi solet verbaliter, & idem est ac fiat. Hoc sensu in fine Orationum ponitur: & Psalmista in fine quorundam Psalmorum ad prædicatorum confirmationem hanc vocem ingeminat, quia, ubi nos legimus *fiat, fiat*, in Hebraico habetur *Amen, Amen*. Alias affert hujus vocis significationes S. Ambrosius ⁿ, ut aliquando sit imperantis, interdum

^g Justin. Apolog. ad Anton. ^h Tertull. de spect. cap. 25. ⁱ Athanas. Apolog. ad Constan. ^k Leo Hebr. dial. 3. de Amore. ^l Aug. de cat. yud. cap. 9. ^m Urbanus in fine metaphras. in Psal. 50. ⁿ Ambros. in Psal. 40.

precantis, interdum verò confirmantis. Idem asserit B. Ogerius Abbas Locedii Ordinis Cisterciensis serm. 7. de Cœna Domini inter opera D. Bernardi. Baptista Vernacia ^o magni spiritus, & cœlestis doctrinæ sanctimonialis libro de unione cum Deo triplex *Amen* distinguit divinum, Angelicum, & viatorum. Deus dicit *Amen*, quia est prima, & summa veritas: Angeli dicunt *Amen*, ut in Apocalypsi, gaudentes Deum esse id quod est: Viatores dicunt, *Amen*, desiderantes ad eum pervenire, qui est veritas æterna. In Thalmudicis Massecheth Berachet apud Angelum Caninium ^p, in locis novi Testamenti, dum audientium oscitantia reprehenditur, triplex malum, & illegitimum *Amen* describitur. Nam cum ille qui respondet *Amen* non intellexit quod dictum est, *Amen pupillum* appellatur: cum autem *Amen* pronunciat, antequam perfecta sit oratio, *surreptitium* dicitur, ex oratione nondum absoluta aliquid surripens: At verò cum aliud agens respondet *Amen*, *scitile* nuncupatur, quasi dissectum in duas partes. Plura de hac voce Archangelus Burgonovensis in dogmatibus Cabalisticis conclusione ultima, cujus hanc unicam observationem notatu dignissimam præterire nequeo, quam à Joachimo Abbate ^q accepit. Hoc verbo, inquit, utitur Dominus in Evangelio, sed & nos cum aliquid affirmare volumus, respondere solemus *Amen*. Hoc tamen distat, quia Deus in principio, nos autem in fine orationis uti consuevimus verbo isto, ut ipsum esse auctorem veri; nos autem veritatis discipulos, dum ei, & in eum credimus, demonstramus.

§. XVIII.

DE SYMBOLO ATHANASII.

Quando Symbolum scripserit Athanasius.
Cur die Dominica recitetur. Notantur
obiter hujus diei prerogativa.

1. **A**thanasius Archiepiscopus Alexandrinus magnum illud Christiani orbis prodigium, omniumque virtutum sacrarium sub Constantino Augusto florere cœpit, & sub Valente

^o Bapt. Vernac. lib. de unione cum Deo cap. 115. ^p 116. ^q Joach. Abb. in cap. 1. Apoc.

lente vivere mundo desit, ut viveret Deo. Hic teste Baronio ^r, cum esset Romæ anno quarto Julii Summi Pontificis, Symbolum scripsit suæ fidei memorabile documentum, quod Latino idiomate coram Pontifice recitavit. In hoc autem symbolo sive componendo, sive è Græco in Latinum traducendo adiutorem fuisse Athanasio Eusebium Vercellensem Episcopum refert Guillelmus Baldesanus in Historia Pedemontana, quæ manuscripta Taurini asservatur in Bibliotheca Ducis Sabaudia, ex tabulario Vercellenfis Ecclesiæ. Imò solum Eusebium ejus Auctorem agnoscunt alii, ut testatur Voilius in fine dissert. 2. de tribus Symbolis, qui etiam ait Latine primum scriptum fuisse, & ex Latino Græcè redditum: nam Latinus contextus unus est, Græca autem exemplaria plurimum variant. Jam supra dictum est, quid per Symbolum intelligamus, & quam multæ sint hujus vocis significationes, quas omnes eleganti carmine explicavit in Symbolicis quæstionibus Achilles Bocchius ^f Bononiensis. Est autem hoc Symbolum tessera Orthodoxorum, Apostolicæ fidei fusioem continens explicationem. Olim quotidie ad Primam cantabatur, ut Honorius ^t scribit: nunc diebus tantum Dominicis congregata in unum majori frequentia populi recitatur, ut sanctæ fidei confessio ea die apertius celebretur, qua Dominus noster præcipua ejusdem fidei mysteria operari dignatus est. Hac enim die, ut sancti Patres observant ^u, novæ lucis primordia mundi originem illustraverunt. Hac die Patres nostri mare rubrum sicco vestigio transierunt. Hac eadem die panem de cælo omne delectamentum in se habentem acceperunt. Initio ejusdem diei natus de Virgine Christus, dictaque die postmodum baptizatus, aqua in vinum mutata recreavit convivas, & de quinque panibus multiplicatis quinque milia hominum satiavit. Hac die resurrexit à mortuis, & januis clausis ingressus ad discipulos dedit eis Spiritum sanctum, & potestatem remittendi peccata. Hac die Spiritus sancti gratia discipulorum corda divinis charismatibus replevit. Hac die Joannes mirandam illam visionem vidit, cujus plura sunt sacramen-

^r Baron. ann. 340. nu. 11. ^f Achil. Bocch. initio lib. 1. qq. Symbolicarum. ^t Honorius in Gemma anime lib. 2. c. 59. ^u Leo Magn. ep. 81. ad Dioscorum. August. ser. 154. ^v 151. de temp. Origen. hom. 7. in Exod. Basil. hom. 2. ex am. Bedæ lib. de equinoc. vern. apud Baron. ann. 198. n. 4.

ta, quam verba. Demum hac die futura creditur generalis resurrectio, & totius mundi renovatio, quando qui bona fecerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum. Meminit hujus symboli Gregorius Nazianzenus ^x, & de illo post sanctam Hildegardem, post Brunonem Herbipolensem, & Richardum Pampolitanum insignè scripsit opusculum Nicolaus Serarius ^y. Agit item de illo Genebrardus lib. 3. de Trinitate. Diem verò Dominicam, qua hoc symbolum recitamus, vocat Sophronius ^z Hierosolymorum Archiepiscopus diem dominam: Theodorus Studita ^a diem pacis: Chrysostomus ^b diem panis, & lucis. Quædam Ecclesiæ recitant post symbolum collectam de sanctissima Trinitate, ut, qui dedit nobis veræ fidei Sacramenta cognoscere, gratiæ quoque præsidia conferat, quatenus fidem nostram anime actio, probet charitas. Illa enim dumtaxat fides in pretio habenda est, quæ per dilectionem operatur.

^x Nazianz. orat. 21. ^y Serar. tom. 2. opusc. 2. Sophr. orat. de Nat. ^a Theod. Stud. cat. 11. ^b Chryf. hom. 5. de resurrect.

§. XIX.

DE LECTIONE MARTYROLOGII.

Exemplorum quanta sit vis. De cruciatibus sanctorum Martyrum. De usu, & ritu legendi Martyrologium.

RECTÈ à quodam dictum est, longum esse. Idem veterum sanctorum vitas literarum monumentis mandari voluit Spiritus sanctus, ut, quam quisque vivendi rationem elegit, ex propriis exemplis exploret, & dirigat ad veritatem, ut sanctus Nilus ^d scribit. Et ut docet Symmachus ^e Papa, illa monita discipulorum conscientiam erudiunt, quæ probantur exemplo. Sine pudore invitat ad innocentiam, qui illam fuerit ipse sectatus ^f. Nescio quo pacto tenacius hæret doctrina operum, quam verborum, atque illi verè docent, qui cum dixerint quid faciendum sit, probant faciendo: quos

^e Senec. Ep. 6. ^d Nilus in lib. ascetico. ^e Symmach. Epist. 2. ^f Seneca Ep. 53.

quos magis admireris cum videris, quam cum audieris. Magnus Basilius & pietatis studiosos ad sanctorum exempla consideranda eleganter hortatur, quia sicut pictores, inquit, cum imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respecerantes lineamenta ejus transferre conantur magno studio ad suum opificium; ita qui sese meditantur omnibus numeris virtutis absolutum reddere, velut simulachra quaedam spirantia & actuosa sanorum vitas respicere oportet; probaque opera illorum sua imitando facere. Non ignoravit Ecclesia sancti Spiritus magisterio edocta hoc saluberrimum bene vivendi documentum, ideoque præcepit, ut quotidie in divinis Officiis sanctorum in memoria è Martyrologio recitaretur, ut audientes beatorum Martyrum, aliorumque piorum hominum invicta certamina ad similem pugnam animarentur. Nam illi tanquam pugiles Christi Tyrannorum rabiem experti secti sunt, tentati sunt, in occasione gladii mortui sunt. Alii fustibus exsi, sagittis confixi, unguibus ac pectinibus excarnificati, torcularibus pressi, ignibus consumpti fuerunt. Alii stipitibus affixi, ferarum dentibus discepti, ponderibus gravati, altero brachio vel summis pollicibus appensi, trochleis elevati, testaceis fragmentis dilaniati. Alii pugnibus contusi, verubus transfixi, ardentibus laminis, facibusque combusti, ad metalla damnati, in mare demersi, capillis suspensi, lapidibus obruti, in equuleo extensi, melleque peruncti sub ardentissimo Solis aestu vesparum moribus objecti. Quid sanctas Virgines memorem, quibus evulsi dentes, excisa lingua, amputatae mammillae? Quid universam illam tyrannicæ crudelitatis suppellectilem enumerem, nervos, pedicæ, numellas, manicas, fustes, catenas, vincula, lora, virgas, scorpiones, sartagine, tauros aneos, craticulas, lebetes, galeas ignitas, tela, gladios, exilium, carcerem, & mortem denique ipsam, quæ sola mitis fuisse inter tot supplicia videtur? Omitto sanctorum Confessorum prolixum, & incruentum martyrium, eorumque omnium, qui Deo placuerunt, angustias, afflictiones, vigiliæ, jejunia, silentium, nuditatem, & innumeras tribulationes. Hæc utique cogitatio omnem nobis torporem ex animo excutiet, acerrimosque ad virtutem stimulos admovebit. Quid enim dicturi sumus, ait sanctissimus Ephræm^b, in

^g Passil. Epist. 1. ad Gregor. h Ephr. serm. de laudib. sancti Mart.

die illa horrenda extremi iudicii, cum beatissimi Christi Martyres, juxta folium gloriæ astantes ostendent vulnerum suorum, atrociumque cruciatuum, ac verberum cicatrices in suis corporibus relucens? Nos, inquam, charissimi fratres, quid obsecro tunc tibi ostensuri sumus? quas illic virtutes proferemus? Num charitatem erga Deum, & proximum? Num integram, inviolabilemque fidem? num voluntariam paupertatem, ac terrenorum omnium nuditatem? num forte quietem, & tranquillitatem? num eleemosynas? num commiserationis affectum? numquid spiritum mansuetudinis? numquid orationes mundas? numquid compunctionem salutarem? num vigiliæ, lacrymas, & veram poenitentiam? Felix profectò, atque beatus erit, quem ista tibi comitabuntur: Tunc sociabitur sanctorum choris, qui eorum vestigia sequutus fuerit. Tunc participes passionum, erunt quoque præmii & coronæ confortes. Martyres enim, ut eleganter scribit Salvianusⁱ, ad cœlestis regis januas gradibus poenarum suarum ascendentes scalas sibi quodammodo de equuleis, catastisque fecerunt.

Salvian. lib. 3. de provid.

METRUM XLII.

Felices animæ, quas nec mors dira, nec Orci
Furor cruentus terruit,
Non mundi vis tanta fuit, stygique Tyranni,
Ut corda eorum frangeret,
Sed penis nutritur amor, vitæque periculis,
Et sanguinis dispendio.
Vt pelagi rupes, circum latrans procella,
Crebris resistit fluctibus,
Sic devota cohors, soboles generosa Tonanti,
Immota canctis ictibus,
Horrendæ genus omne nictis, vitæque cadentis
Annos jugaces despicit.
Membra secit ferro, salientia viscera rostris
Ferox fœlles extrahat.
Pectora dilanet rigidis moribunda flagellis,
Discepat unguibus genas,
Congerat in ventrem liquefacti pondera plumbis,
Tundatque terga fustibus,
Torreat ignis sacibus, corrupta veneno
Propinet ori pocula,
Plectinibus carnem laeret, nexuque rotarum,
Et bestiarum dentibus,
Lumina diripiat, dentes evellat, & artus.

R R R R

In

In frustra cunctos amputet :
 At tamen invictum patri in pectore robur,
 Viresque servat integras,
 Statque animo constans Martyr, sævique lacessit
 Licetis ad poenæ manus.
 Heu quantum fremuit scelerata potentia Reg-
 gum,
 Ut Christi amantes perderet !
 Quanta seges mortis, quam multa reperta su-
 pellex,
 Quæ rumpet lesbi moras !
 Ille suis pascit flammarum incendia membris,
 Sed crescit in flammis amor.
 Hic trabe suspensus caput inter sidera condit,
 Terram perosus impiam.
 Detracta cute regales ostentat honores
 Amictus ille murice.
 Quid memorem fumo exinctos, retroque va-
 pore,
 Taurisque clausos æneis ?
 Quid pice perusos ? media quid in urbe pro-
 terve
 Ludibrio plebis datos ?
 Onimium dilecta Deo, pars magna polorum
 Phalanx beata Martyrum :
 Non ego (si faciles superi mea vota secudent,
 Mihiq; dent pati, & mori)
 Non ego præ vestra fortunam optavero regum,
 Vestrae coronæ particeps.
 Hoc nempe ad superos iter est. Jam claudite cœli
 Viam, poëtae, lacteam.
 Sanguineam docuit Christus, Christumque se-
 quenti
 Quotquot fuerit Martyres.

2. Hic finis, & scopus est, ob quem Ecclesia singulis diebus post Primam legi voluit Martyrologium, ut eorum facta imitemur, quorum exitus admiramur. Præclare Augustinus k. Solemnitates Martyrum exhortationes Martyriorum sunt: ut imitari non pigeat quod celebrare delectat. Illorum autem nomina anticipata lectione recitantur, quorum memoria sequenti die recolitur, quatenus venturæ festivitatis celebrationem digniori apparatu præveniamus. Post lectionem sequitur versus, quo pretiosam in conspectu Domini sanctorum mortem commemoramus, qui pretio sanguinis emerunt immortalitatem. Tum ipsos exoramus, ut Dei clementiam nostris inclinent necessitatibus, quo vitæ huius momento a ternitate acquirere va-

k Aug. ser. 27. de Sanctis,

leamus. Ter deinde divinum imploramus ad-
 jutorium, ut in nomine sanctissimæ Trinitatis
 adversus Diabolum, mundum, & carnem ar-
 mati peccata præterita desicemus, præsentia
 detestemur, futura caveamus. Additur ver-
 sus *Respice Domine in servos suos*, quo omnes co-
 gitationes, & operationes nostras ad finem di-
 rigimus sempiternum. Post actum directionis
 solent Monachi longam audire lectionem ex re-
 gula S. Benedicti, quem usum commendat A-
 malarus l. Pro hac in Breviariis brevis lectio
 posita est ad Capituli absolutionem. Tandem
 omnium fratrum, familiarium, & benefacto-
 rum in pace quiescentium memoriam agimus,
 recitatis more antiquo eorum nominibus, qui
 ea die obierunt. In quem usum in antiquis Cœ-
 nobiis Necrologia sunt, in quibus fratrum, &
 benefactorum obitus describuntur. Hac ratio-
 ne inchoata dies non nisi optimum finem forti-
 ri poterit, quam à sanctorum intercessionibus,
 & pia mortuorum recordatione auspicati sumus.
 Primi qui scripserunt Martyrologium
 fuerunt Notarii Romanæ Ecclesiæ tempore S.
 Clementis Papæ, non autem Eusebius, ut qui-
 dam perperam existimarunt; de qua re, & de
 variis Martyrologiis legendus Baronius in Præ-
 fatione, & Annotationibus Romani Martyro-
 logii. S. Cyprianus m præcipit notari diem
 mortis cuiusque Martyris, ut eorum inquit
 commemorationes celebrare possimus. Mag-
 nus item Gregorius n scribit Eulogio Episco-
 po Alexandrino, qui petierat sibi transmitti
 Martyrum gesta ab Eusebio Cæsariensi colle-
 cta, dicens non extare Romæ hujusmodi li-
 brum: deinde addit: Nos autem penè omnium
 Martyrum distinctis per dies singulos passio-
 nis collecta in uno codice nomina habemus,
 atque quotidianis diebus in eorum veneratione
 Missarum solemniter agimus. Non tamen in eo-
 dem volumine quis qualiter sit passus indicatur;
 sed tantummodo nomen, locus, & dies passionis
 ponitur. Unde fit ut multi ex diversis terris,
 atque Provinciis per dies, ut prædixi, singu-
 los, cognoscantur martyrio coronati. Porro
 ritum legendi in Ecclesia Martyrologium an-
 tiquissimum esse constat ex regula Canonico-
 rum Grodegandi Metensis Episcopi cap. 18.
 ex vita quoque S. Bernardi Episcopi Hildes-
 heimensis apud Brouverum in Sideribus Ger-
 mania.

l Amalar. lib. 4. c. 1. m Cyprian. Epist. 37.
 n Greg. lib. 7. Epist. 29.

mania. Hugo autem Menardus in notis ad Sacrament. S. Gregorii putat non fuisse in usu ante tempora Ludovici Pi.

§. XX.

DE PRECIBUS, ET SUFFRAGIIS,
ATQUE DE FINE OFFICII.

Cur ad Primam, & Completorium quadam preces certis diebus recitentur. Cur etiam in laudibus & Vesperis commemoratio- nes sanctorum fiant, itemque sancta Crucis, & deprecatio pro pace. De versu Benedicamus Domino. De Oratione ad B. Virginem, quæ dicitur in fine cuiusque horæ. Quis Antiphonam Salve Regina composuerit.

I. **I**am spatium consecimus prolixi discursus, quo singulas divinarum laudum particulas, Deo favente explicavimus. Restant adhuc leviora quadam fragmenta, quæ omnino, ne pereant, colligenda sunt. Quidam enim versus, ac breves aliquot Orationes certis diebus, & horis ex præscripto Ecclesiastici Canonis recitantur, ut, sicut dicit Apostolus, *o Fiant obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate.* Hæ preces ad Primam & Completorium frequentari solent, quibus horis generalis quoque confessio recitatur, ut quicquid in nocte vel die quocunque modo deliquimus, poenitentia lavacro mundemus, sicut scriptum est: *p Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* In Laudibus item ac Vesperis unaquæque Ecclesia juxta proprii ritus consuetudinem Beatæ Mariæ Virginis, sanctorumque suffragia eorumdem solemniter commemoratione implorat, ut, quos solemniter veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur: quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus: quorum delectamur præconiis, eorum patrocinii sublevemur. Hi sunt qui assidue orant pro nobis, quorum intercessione humana juvatur infirmitas, excitatur negli-

q 1. Tim. 2. p Psalm. 31.

gentia, ignorantia eruditur. Confirmate igitur amicitias cum sanctis Angelis, ait B. Leo Papa 9, intrate in civitatem Dei, cujus nobis spondetur habitatio: & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusque sociamini. Unde & illi gaudent, gaudete. Horum divitias concupiscite, & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia. Cum quibus enim fuerit vobis consortium devotionis, erit & communio dignitatis, Et Theofridus Abbas r, Digni sunt, inquit, apud homines honore, qui quotidie interpellant pro hominum salute. Memor humanæ fragilitatis hoc gratiæ nobis clementia Salvatoris contulit, ut, quod peccatores per nostra non possumus merita, per sanctorum impetremus patrocinia. Jam securi de sua solliciti sunt pro nostra salute. Offeramus ergo illis laudis sacrificium, ut pro nobis fumus incensorum ascendat de oratione sanctorum, qui per manum Angeli divino præsentatur conspectui: vestigia sequamur eorum, quibus ipsi sequuti sunt Dominum. Inspiciamus perfectam eorum vitam; & emendemus nostram, quæ minus composita est, ut nostri sint adiutores in precibus, quorum sumus imitatores in actibus. Relinquamus cum Apostolis omnia, ut liberè sequamur Domini vestigia. Martyribus associemur in passione, ut eisdem participemus in consolatione. Ne fur domum nostram perforadiat, Confessorum vigiliis mens nostra custodiat: Ornemus lampades cum Virginibus, ut intremus cum eis ad nuptias, quando venerit Sponsus. Memoriam item facimus sanctissimæ Crucis, ut ascendentes in palmam apprehendamus fructus ejus, quoniam ejus virtute fugantur dæmones, roboratur virtus, vitia propulsantur. Sequitur pro pace deprecatio; magnum etenim est pacis bonum, per quod solum ad vocabulum filii Dei feliciter pervenitur. *Beati pacifici, dicit Dominus, quoniam filii Dei vocabuntur.* Pax serenitas mentis est, ut loquitur Augustinus s, tranquillitas animæ, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Hæc est quæ simultates tollit, bella compefcit, comprimit iras, superbos calcit, humiles elevat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placita, non querit alienum, nihil deputat suum, docet amare quæ odisse non novit, nescit extolli, nescit inflari.

Rrrrr 2 2. Cæ-

q Leo serm. 5. de Epiphania. r Theofrid. Abbas ser. de venerat. sanctorum. s Aug. ser. 167. de Temp.

2. Ceterum in fine horarum post ultimam Collectam Sacerdos repetita salutatione Domini praesentiam populis adesse precatur, ut, quemadmodum est pollicitus, maneat nobiscum usque ad consummationem seculi. Tum pia plebs ad benedicendum Dominum invitatur, ut, cujus beneficio vivit, in ejus semper laudibus perseveret. Respondet illa *Deo gratias*, ut in gratiarum actionem desinat divinarum laudum celebratio. Quia vero Beata Virgo prima post Deum humani generis fospitrix semper mortales materno protegit affectu: ideo in fine cujusque officii saluatio quaedam, & deprecatio ad eandem Deiparam Virginem effundi solet, ut, si quid in tremendo Dei cultu humana fragilitate erratum est, matris interventu propitiatus Dominus nobis non imputet ad culpam. Ipsa cunctos qui confidunt in ea depulsis vitæ procellis munifico fovet amplexu. Ipsa periclitantibus in hoc damnabili mundo salutarem porrigit dexteram. Hæc noxios hostium conatus coercet. Sine aliquo ejus beneficio nullus dies, nulla hora, ac ne tenue quidem momentum transcurrit. Hanc colunt superi, observant inferi, mundus adorat: ejus majestatem supermi spiritus perhorrescunt. Ejus nutu regitur orbis, splendent sidera, micat sol, spirant venti, vernant horti, crescunt sylvæ, redeunt tempora, serviunt elementa. Decus morum, nitorem operum, meritorum gloriam de Mariæ gratia suscipimus, cum eam colimus, & veneramur. Novit Ecclesia quanti sit periculi ab indulgentissimæ matris cura exules filios elongari, ac propterea saluberrimo consilio decrevit, ut ad ejus pretectionem frequenti obsequio confugerent, non solum speciali Officio de ea instituto; sed etiam in fine singularum horarum variis pro ratione temporum adhibitis orationibus. Harum præcipua ea noscitur esse, quæ incipit *Salve Regina*, quam Ecclesia Romana certis tantum diebus, quidam vero Regulares quotidie post Completorium solemnè modulatione recitare consueverunt. Ejus auctor fuisse dicitur Hermannus Contractus Monachus S. Benedicti anno 1059. qui cum omnis politionis literaturæ expertus omnino esset, B. Virginis intercessionem in virum alterum mutatus tantâ deinceps doctrinæ laude resplenduit, ut nulli suo tempore secundus haberetur. Hoc Canticum jam solemnè factum cum Spiren-

ses Clerici decantarent, Bernardus Abbas Claravallis tunc ad Germanos Apostolicus legatus, ut refert in Chronico Spirensi Guillelmus Eisengrenius ^t, postrema illa verba ter genua flectens adjunxit, *ô elemens, ô pia, ô dulcis Maria*. At ego libenter huic longo capiti in dulcissimæ Virginis Mariæ commemoratione finem impono. Impar equidem sum, & ingenio exilis ejus laudibus referendis, nec mei sermonis penuria sufficit ad ea exprimenda, quæ de tanta majestate concipio, cujus exiguum partem nec ora mille, totidemque linguæ, aut indefessæ vocis æterna series vix attingere possent. Curabo tamen, ut sanctissimum ejus numen, & nomen intra pectoris mei secreta perpetuo cultu custodiat, quod ut omnes item Christiani efficiant, summiopere cupio & exhortor.

^t Eisengren. lib. 12. ann. 1147.

CAPUT XVII.

De Cantu Ecclesiastico.

§. I.

Laudatur universim Musica, ejusque varii, & admirabiles effectus enumerantur.

1. **Q**uoniam divinum Officium, ejusque partes non simplici vocis prolatione, sed musico etiam adhibito concentu publicè in Ecclesia perfolvi solent, hæc consequenter de Ecclesiastico Cantu tractationem institui, quam Religiosis divinas quotidie laudes decantantibus, nec inutilem fore, nec injucundam confido. Ut enim Rabanus Maurus, luculenter affirmat, tam nobilis est, tamque utilis rectè canendi disciplina, ut, qui eâ caruerit, Ecclesiasticum Officium congruè implere non possit. Nam quicquid in lectionibus decenter pronuntiatur, quicquid de psalmis suaviter modulatur, ita musica scientia temperatur, ut per eam omne Dei servitium impleatur. Hinc musicæ rudimenta lac animæ vocat Philo doctissimus Hebræorum initio libri de Agricultura, dicitque Isidorus ^b tam turpè olim fuisse musicam nescire, quam litteras, tantique semper æstimatum fuisse cantum ab omni-

^b Isidor. l. 3. origin. ^a Raban. de inst. Cleric. lib. 3. cap. 24.

bus nationibus, ut cunctis solemnibus sacris, & profanis adhiberetur. Et nuptias quidem sine musicis concentibus nunquam celebratas fuisse ex antiquis Epithalamis luce clarius constat, idq; probat doctè & diffusè Paulus Sherlogus: vir infinite lectionis in Anteloquiis Canticorum. Sed & conviviis adhibitos olim cantores, ut temperantiæ, & moderationis admonerentur convivæ, non ad luxuriam, atq; inanem voluptatem Athenæus ^d, & Plutarchus ^e, Græci scriptores commemorant. In funeribus quoque nobilium Græcorum, & Latinorum adfuisse tibicines, & aeneatores Seneca in ludo Claudii, Plutarchus de consolatione ad uxorem, Tertullianus de corona militis, Valerius Maximus ^f, & alii complures asseverant, huncque morem secutos fuisse Judæos tum ex Evangelistis, tum ex Flav. Josepho ^g cognosci potest. Inter bellicos tumultus locum item fuisse modulationi testis est ex Horatio, & Thucydide Franciscus Luisinus Utinensis ⁱ in suis Parergis. Nam antiqui duos Pæanes habebant, alterum Martis, quo initio pugnæ utebantur: alterum Apollinis, quem fufis, cæssisque hostibus decantabant. Et cui notus non est tibiæ, tympanorum, tubarumque usus in præliis: in suis namque bellis ait Clemens Alexandrinus ^k, tubæ utuntur Hetrusci, fistulæ Arcades, Siculi autem instrumentis; quæ appellantur *trubidus*: Cretenses lyra, Lacedæmonii tibia, cornu Thraces tympano Ægyptii, & Arabes cymbalo. Vegetius ^l de re militari; Sive, inquit, ad vigilias, vel agrarias faciendas: sive ad opus aliquod, vel ad decursionem campi exeunt milites, tubicines vocante operantur, & rursus tubicine admonente cessant. Lycurgus teste Plutarcho in Laonicis, bellicæ exercitationi Musicæ adjuvit studium, ut nimius belli fervor modulatione temperatus concinnitatem nancisceretur. Ita Cretes ad citharam dimicabant, ait Martianus Capella ^m, Lacedæmones ad tibiam. Quid Amazones, nonne ad calamos arma tractabant? In Italia Sybaritas tibicines ad prælia præisse quis nesciat? Præter hæc de vario Musicæ usu in bellis, legendi sunt

^c Sherlog. in Cant. antel. 5. sect. 3. subsec. 1. & 3.
^d Athen. lib. 1. c. 14. ^e Plut. 7. Sympos. ^f Val.
 Max. lib. 2. cap. 5. tit. 4. ^g Matth. 9. 23. ^h Joseph.
 lib. 3. de bello Judaic. 5. ⁱ Luisin. lib. 2. Parergon. cap.
 22. ^k Cl. Alex. lib. 2. Pedag. cap. 4. ^l Veget. lib. 2.
 cap. 22. ^m Capella de nupt. Merc. & Philologia
 lib. 9.

Diodorus Siculus ⁿ, & Aulus Gellius ^o.

2. Ludorum autem quam magna pars fuerit musica, pluribus exequitur in doctissimo opere de Theatro omnium doctrinarum curiosissimus explorator Julius Bulengerus. Quid sacrificia commemorem, quid Numinis cultum, qui sine Musica nullo modo constare potest? Ideo sententia Strabonis ^p est, omne id quod musicum est opus Dei esse, ipsosque Musicos non solum ministros Dei, sed Deos quodammodo existimandos. Multum itaque Divinitatis obtinet musica, ait Censorinus ^q, & animis permovendis plurimum valet. Nam nisi grata esset immortalibus Diis, qui ex anima constant divina, profecto ludi scenici placandorum Deorum causa instituti non essent, nec tibicen omnibus supplicationibus in sacris ædibus adhiberetur. Hominum quoque mentes & ipsæ divinæ, quamvis Epicuro reclamante, suam naturam per cantus agnoscunt. Denique quò facilis ferant laborem, vel in navis metu à vectore symphonia adhibetur: legionibus quoque in acie dimicantibus, etiam metus mortis classico depellitur. Ob quam rem Pythagoras, ut animum suum semper divinitate imbueret, priusquam se somno daret, & cum esset experrectus citharâ, ut ferunt, cantare consueverat. Et Aselepiades Medicus phreneticorum mentes morbo turbatas, sæpe per symphoniam suæ naturæ reddebat. Hæc Censorinus. Socrates autem vir sapientissimus tanti musicam fecisse dicitur, ut eam natum jam grandior inter pueros ediscere non erubuerit. De Arcadibus scribit Polybius Magalopolitanus ^r, quod, cum alioquin naturæ essent assterioris, musicis tamen disciplinis mirificè delectabantur. Cæteras artes ignorare nulla apud illos ignominia erat, at musicæ imperitiam fateri turpissimum habebatur. Nec minor Lacedæmonii amor musicæ fuit, quos refert Plutarchus in Laonicis majorem curam de illa, quam de victu habuisse. Themistoclem narrat Cicero ^s cum oblatam in convivio lyram recusasset, habitum fuisse indoctiorem. Julianus ^t defensor impietate notior quam scriptis ipsos barbaros se vidisse testatur rustica carmina verbis facta similibus clangorum, quos aspectu clamantes aves edunt, studiosè amplecti, & musicis carminibus delectari. Macro-

ⁿ Diod. lib. 5. c. 9. ^o Gellius l. 9. c. 11. ^p Strabo
 l. 10. Geograph. ^q Censorin. de die natali c. 11. ^r Poly-
 bius lib. 4. ^s Cic. l. Tuscul. ^t Julian. initio Misopogons.

bii observatio est plurimarum gentium, vel regionum instituta sanxisse mortuos ad sepulturam cum cantu prosequi oportere, persuasione hac, quâ post corpus ad originem dulcedinis musicæ, hoc est ad cælum, animæ redire credantur. Lycurgus vir duræ, difficilisque vitæ, musicæ tamen studium in suis legibus commendavit. Hanc primarium Philosophiæ administriculum Xenocrates Chalcedonius vocabat apud Laërtium *: Plato etiam, & Aristoteles summa capita Philosophorum hic in Politicis, ille in Convivio, & septimo de legibus eò musicam efferunt, ut in ea potissimam rationem puerilis institutionis constituent. Sciebant videlicet viri præstantissimi ita nobis musicam naturaliter conjunctam esse, ut eâ nullo modo carere possimus.

3. Nullum est tam immite, tam asperum pectus, quod non musicis sonis capiatur. Incujus rei typum fabulantur Poëtæ à Cadmo fistulâ canente deceptum Typhæum; nam ut explicat Nonnus, in Dionysiâcis, etiam stolidissimi, & furiosissimi musicâ afficiuntur. Nostra enim natura, ait Chrysofostomus z, usque adeo delectatur Canticis, & carminibus, & tantam cum eis habet necessitudinem, ut vel infantes ab uberibus pendentes, si fleant & assidentur, eâ ratione sopiantur. Nutrices quidem, qui eos gestant in ulnis, sæpe abeuntes, & redeuntes, & quædam puerilia eis carmina decantantes, supercilia eorum ita sopiunt. Quocirca sæpe quoque viatores meridie agentes jugalia animalia hoc faciunt canentes, itineris molestiam illis Canticis consolantes. Nec solum viatores, sed etiam agricolæ uvas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcumque aliud opus facientes sæpe cantant: nautæ quoque remos impellentes hoc faciunt. Jam verò mulieres quoque textentes, & confusa stamina radio discernentes sæpe quidem & per se singulæ, sæpe autem etiam omnes concorditer unam quamdam melodiam concinunt. Hoc autem faciunt & mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ, laborem, qui ex opere faciendo suscipitur, cantu consolari volentes, utpotè quod anima, si carmina & canticum audierit, molesta & difficilia sit facilius toleratura. Quoniam ergo hoc genus delectationis est animæ nostræ valde cognatum, & familiare; ne dæmones lasciva meretricia

u Macrob. in som. Scip. 2. cap. 3. x Laertius. lib. 4.
y Nonnus circa fin. lib. 1. z Chryf. in Ps. 41.

cantica introducentes omnia everterent, Psalmos Deus construxit, ut ex ea re simul caperetur voluptas, & utilitas. Hactenus Chrysofost. cui consonans quidam è Poëtis ait a:

*Hoc est cur cantet vincens quoque compede soffor,
Indocili numero cum grave mollit opus.
Cantat & imitens limosæ pronus arena
Adverso tardam qui vehit amne ratem.
Quique refert pariter lentos ad pectora remos
In numerum pulsa brachia versat aqua.
Fessus ut inebuit baculo, saxoque resedit
Pastor, arundineo carmine mulcet oves.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
Fallitur ancillæ, decipiturque labor.*

Etiam monachi antiquiores manibus operantes, & divina psallentes Cantica ipsum laborem, ut scribit Augustinus b, tanquam divino celestimate consolebantur.

4. Ecquid mirum si inter homines tanta musicæ dominatio est, cum aves quoque, ut luscinia, cygni, & alia id genus veluti quædam disciplina artis cantum exercent; nonnullæ verò terrene, & aquatiles bestię musicâ suavitate capiuntur? Fistulis aves alliei, serpentes cantu dirumpi comprobatum est, inquit Martianus c. Equos tubarum clangore ad prælium concitari testatur Job *. Cervos cantu demulceri, & sonitu tibiæ scribunt Plutarchus d. & Clemens Alexandrinus e. Idem asserit Strabo de elephantis. Quod spectat ad pisces, nota est omnibus Arionis Methymnæi fabulosa narratio, adeo pro vera habita, ut etiam annalibus inserta apud Historicos f fidem invenerit. De hoc Poeta g:

*Quamvis mutus erat, voci favisse putatur
Piscis Arionis fabula nota lyre.*

Sed utcumque se habeat Arionis fabella, quam explicat allegoricè Tzetzes h in chiliadibus, illud certissima experientia compertum est, Delphinis, & alios quosdam pisces instrumentali musicâ plurimum delectari, quod etiam Plutarchus asserit in Convivio septem sapientum Orphei lyra etiam nunc inter sidera nomen habet, cujus dulcedo non solum lenire tygres potuit.

a Ovidius 4. de Tristib. eleg. 1. b Aug. de opere mirach. cap. 17. c Martian. lib. 9. * Job. 39. 25. d Plutar. 7. Symp. e Cl. Alex. init. orat. ad gentes f Herodotus in Clis. g Ovid. 4. de arte h Tzetzes Chil. 1. vers. 419.

cuit, rapidosque leones, sed ut Tragicus canit 1,

*Cantu tartara flebili,
Et tristes Erebi Deos
Mortis, nec timuit stygis
Juratos superis lacus.*

Amphioni autem quod tantum carmen, inquit Eumenius Rhetor^k, quæ tanta pleçro, fidibusque dulcedo? quam sequuta quondam saxa perhibentur, ut ducentibus subvesta modulis; & ad intervalla carminum resistencia spontè murum velut arte construerent. Hæc signa præterterissimæ, ni sub eorum cortice præclaræ musicæ dotes continerentur. Orpheus enim, & Amphion, ut docet Macrobius^l in Somnio Scipionis, Pausanias in Beoticis. Palæphatus^m in libro *ἀπίστων ἱστοριῶν*, Fulgentius & Natalis Comesⁿ in Mythologiis, & alii^o, cum duos & sylvestros homines è ferinis moribus ad civilem societatem harmonico modulamine transfussissent, locum fabulæ dederunt, ac propterea dicti sunt immanium ferarum extinxisse furorem, fluviorum impetum stitisse, animasse montes, saxa & cautibus humanos sensus inferuisse.

5. O immensam musicæ suavitatis efficaciam! quam dulci tyrannide in omnes Microcosmi potentias dominaris? Transeunt in stuporem admirabiles ejus effectus, ac omnem prorsus amitterent fidem, ni præter summorum virorum auctoritatem continua probarentur experientia. Timotheus musicus quam facile omnes affectus Alexandri in quamcunque partem flecteret Basiliius magnus^p, Dio Chrysostomus^q, & Himerius^r Sophista eleganter ostendunt; Hujus postremi verba dignissima profecto sunt, quæ transcribantur. Parame, inquit, Rex aliquando sapuit? non permittit id Timotheus, sed cantu in cælum usque Regis animum abduxit. Immoderatene æstuabat animus? præsens ille elatum animum pulsando citharam domabat. Mœstusne erat? statim ridentem ostendebat. An voluptatibus tenebatur? post cantum

i Seneca in Herc. Oet. eo act. 3. k Eumen. orat. pro scholis instaurandis. l Macrobi. lib. 2. m Palæph. c. 34. & 42. n Nat. Comes lib. 7. cap. 14. & lib. 8. cap. 15. o Suidas v. Amph. Tzetzes Chil. 1. v. 307. Horatius de arte Poet. p Basil. hom. de legendis Gentilium libris. q Dio Chrys. or. 1. de Regno. r Himerius apud Photium cod. 243.

statim castissimum videbas. Et ut omnia dicam, talem videre eum licebat, qualem tibi eum Timotheus reddidisset. Hinc Aristonico Citharædo æream statuam fieri iussit Alexander, teste Plutarcho^s, ante quam hasta projecta jaceret. Et Pausanias in Corinthiacis effigiem Amoris commemorat Pausiæ pictoris opus, qui abjecto arcu & sagittis lyram tenet; quia nimirum musica in omnes affectus humanos dominatur. Sanctus Albertus Monachus^t, cum adhuc secularis esset, audiens Mimum quemdam vitam & conversionem S. Theobaldi musicè decantantem, tanta repente gratia divinitus compunctus est, ut inde cœperit in magna vivere sanctitate. S. Amsbertus Monachus^u, & Episcopus Rothomagensis, cum adhuc laicus in aula Regis viveret, diversa musicæ artis instrumenta audiens personantia dicebat sibi, O bone conditor! quale erit te diligentibus Canticum indeficiens in cœlestibus audire Angelorum: quamque suave, & delectabile sanctorum choris concinentibus interesse, si tantam mortalibus præbes industriam, ut peritia artis, ac suavitas cantilenæ provocent animos audientium, ut te Deum creatorem omnium devotè collaudent? S. Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis^v adhuc adolescens & se, & alios musicis modulis à turbulentis mundi negotiis avocabat, & in meditationem cœlestis harmoniæ erigebat. B. Maria Oegniacensis, triduo ante obitum jugiter cecinit Cantica inaudita, & mirabilia, & se cantu ad mortem præparavit. Dicitur & Pythagoras in ebrios olim incidens jussisse tibicinem convivio præsentem mutare harmoniam, ac Dorion ipsis canere, atque hoc modo melodiæ illos ad sobrietatem reduxisse. Parrhasius pictor, teste Theophrasto apud Ælianum^w cantu, & modulatione vocis laborem artis mitigabat, quod solitium omnibus artificibus commune est. Achilles apud Homerum cum se sentiret iratum, musicæ sensu ad animi sensum redibat: quare Seneca^x inter alia quamplurima iræ remedia etiam musicam recenset. Et Climacus^y, Moderata, inquit, melodia furorem lenit, & mitigat. Multas autem infirmitates tam mentis quam

s Plut. or. 2. de Alexandro. t Surius 7. April. u Amsbertus Monachus in ejus vita. x Osbert. Monachus Cantuar. in ejus vita. y Jacob. de Vitriaco vita ejus lib. 2. cap. 11. z Ælian. de var. histor. 1. 9. cap. 11. a Senec. lib. 3. de Ira cap. 9. b Climac. gr. 8.

quam corporis potenti musicæ pharmaco sanari Theophrastus *e*, Jamblicus *d*, Martianus Capella *e*, Severinus Boethius *f*; Joannes Brodæus *g*, Hieronymus Magius *h*, & alii non contemnendi auctores asseverant: vocum enim concentus ex anima in corpus influere solet, & occulto quodam tramite sese insinuans eos præfertim morbos levat, qui animum vehementer exagitant. Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Tales Cretensis citharæ suavitate pestilentiam fugavit. Empedocles, cum quidam ejus hospitem gladio furibundus invaderet, canendi modo juvenis iracundiam repressit. *μουσική* quos phalangum virus morfu pestifero infecit, non nisi musicâ sanari posse res est manifestissima in Apuliæ provincia. Adeo verum est, quod Bion Smyrnæus *k* cecinit, nullum esse medicamentum præstantius cantu. Olim cum Lacedæmones bellis civilibus affigerentur, oraculum illis redditum est *l*, si Terpandrum Methymnæum cithara canentem audirent, protinus conciliandos esse: quod & factum est, nam ejus cantu commoti lacrymantes se invicem osculabantur. Getæ majorum facta ad citharam canebant, ut Jordanus Episcopus *m* eorum Chronologus scribit: & cum legationes obibant, pacem vel impetrare, vel stabilire cupientes citharas increpabant erudito consilio, quod crederent musicam optatæ pacis blandissimam fore conciliatricem. Has efficacissimas musicæ operationes considerantes nonnulli existimarunt inesse musicis concentibus vim quamdam magicam, & supernaturalem: sed hanc opinionem erroneam esse Martinus Del Rio *n* vir doctissimus in suis magicis disquisitionibus luculenter ostendit.

6. Ad sacræ Scripturæ intelligentiam musicam necessariam esse Rupertus Abbas *o* affirmat, probatque Abrahamum in oratione pro civitatibus illis incendio cœlitus devastandis ob rationem musicam numeros illos proposuisse. Eandem utilem ad omnes scientias docent peritissimi musici Joseph Zerlinus *p*, & Fran-

c. Theophr. *l*. de entusiasmo. *d* Jamblic. de vita Pythag. lib. 1. cap. 25. *e* Mart. Capella *l*. 9. *f* Boeth. de musica lib. 1. cap. 1. *g* Brodæus *l*. 4. miscell. cap. 31. *h* Magius var. lectio. *l*. 4. c. 13. *i* Gellius lib. 4. c. 13. *k* Bion. Idyll. 5. *l* Tzetzes Chil. 1. v. 385. *m* Jordan. de rebus Getar. cap. 19. *n* Del Rio *de* mag. *l*. 1. c. 4. qu. 2. *o* Rupert. lib. 7. de operibus Spiritus sancti c. 16. *p* in Gen. lib. 16. cap. 5. *p* Zerlin. lib. 1. harmonic. institutionum.

chinus Gafforius *q*. In ipso sermone inesse musicam Priscianus Cæsariensis Grammaticus lib. de accentibus, Diomedes lib. 2. Aelius Donatus cap. de Tonis, Cleodnius senator in Donati expositione, & alii Grammatici ostendunt, itemque Augustinus in libris de Musica. Ad Architecturam quantum valeat longo sermone Vitruvius exequitur. Quantum etiam medico proficit scribit Ficinus *r* Antonio Canisiano. Diebus attributa nomina ex Planetis secundum musicam habitudinem ex Dione Cassio *s* didici; nam feria secunda dies Lunæ dicitur, feria autem tertia non à Mercurio juxta naturalem sphaerarum ordinem, sed à Marte denominatur, quia Luna ad Martem proportionem habet sesquialteram, ex qua oritur consonantia diapente, post diem Martis Mercurii diem numeramus, Martis enim ad Mercurium intervallum est sesquitercium, è quo provenit diatessaron cum superiori diapente plenum diatessaron efficiens. Idem consonantiarum respectus in cæteris diebus observatus est. Pythagoram refert Jamblicus omnem rectè vivendi institutionem per musicam constituisse. Egyptii quoque, teste Pierio *t*, musicæ symbolo mores compositissimos intelligebant: Priscis enim seculis modestum fuit cantorum genus, & Philosophica prorsus morum gravitate. Quamobrem Agamemnon *u* peregrè profecturus uxorem Clytemnestram Cantori reliquit custodiendam, ut ab improbis cogitationibus mentem ejus averteret illustrium feminarum exempla pudicis modis decantando. Nec prius Ægistus illi vitium potuit inferre, quam Cantorem interemisset. Ericus secundus cognomento Bonus Rex Daniae in rabiem tractus est à Citharædo, si verax est Saxo *x* in Historia. Contra verò Terpander coortam Lacedæmone seditionem musica sedasse dicitur apud Plutarchum *y*. Idem Lacedæmonii, ut scribit Tyrius *z* doctrina, & nomine Maximus, ex Tyrtæi carminibus animos sumpserunt. Argivi ex Telefillæ melodia, Lesbii ex odis Alcæi. Proclum in gravillimis cruciatibus doloris remissionem cantu consecutum fuisse testatur Marinus in ejus vita. Vis enim carminis, ait Georgias *a*, cum animi

q Cassor. lib. 1. Musicæ theoreticæ. *r* Ficini *l*. 1. epist. *s* Dio Cassius lib. 37. *t* Pier. lib. 23. hieroglyph. cap. 1. *u* Eustathius in 2. Odys. *x* Saxo hist. Danicæ lib. 12. *y* Plutarch. *l*. de musica. *z* Tyrius ser. 2. 1. *a* Georgias or. in Helenam.

animi opinione conjuncta fascino eam demulcet, & quò vult transfert. Hesiodus in Theogonia beatos esse muscos prædicat, qui psallentes omnium dolorum obliviscuntur. Idem de se canit Horatius. ^b

*Musis amicus tristitiam, & metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.*

7. Sextus Empyricus Pyrrhonius ^c cum omnium scientiarum hostis, & everfor fuerit, musicam tamen laudat, quod non per vim imperat, sed cum voluntaria quadam persuasione. Docet Plotinus ^d Platonica Sapientiæ antistes per musicam reduci hominem ad Deum. Quam infidelis hominis sententiam Rupertus Abbas ^e confirmare videtur. Mover enim intus musica, ait ipse, vi quadam & potentia naturali spiritum hominis, & cum decenter convenit cum verbo, vel sensu divinæ laudis concutit penetralia cordis, & illam quam accipit homo, resuscitat in eo gratiam Spiritus sancti. Hinc Propheta Elifæus ^f requisitus à Regibus, ut futuri belli exitum prænunderet, iussit sibi psalterium adduci, quo psallente facta est super eum manus Domini, statimque Spiritus Propheticus, qui propter præcedentem commotionem recesserat, restitutus est ei. Quid igitur aliud de Prophetico viro sentire oportet, ait Richardus Victorinus ^g, nisi quod dexterior harmonia interiorem illam, & spirituales ei harmonias ad memoriam reduxit, & audita melodia audientis animam ad affueta gaudia revocavit. Pergit Richardus, & ostendit magnam esse musicæ utilitatem ad gratiam contemplationis comparandam. Agit quippe cantus in spiritum, eumque potentissime afficiens ad Cœlestes influxus recipiendos idoneum efficere censetur: quia dum auribus, inquit Alcinoüs ^h, vocum haurimus harmoniam ab iis quæ audiuntur, ad ea quæ intellectu percipiuntur gradatim ascendimus. Quod si cantus occulta proprietate mentem revocat ad divina, quid mirum si mali spiritus musicæ suavitatem sustinere non possunt? Nam citharam pulsante David recedebat à Saul spiritus malus. Rebelles enim demones in malo

^b Horat. l. 1. ode. 26. ^c Sext. Emp. l. 6. adv. Mathematicos. ^d Plot. in lib. 3. enu. 1. ^e Rupert. in lib. Reg. lib. 5. c. 23. ^f 4. Reg. 3. 15. ^g Richard. lib. 5. de contempl. cap. 17. ^h Alcinoüs de doct. Platonis cap. 8.

obdurati, cum nullo modo reduci possint ad Deum, omnem concordiam, & harmoniam implacabili odio prosequuntur. Mira res, inquit egregius Scriptor B. Thomas de Villanova ⁱ Archiepiscopus Valentinus, musicam fugatur diabolus, & qui juxta sententiam Job sagittas reputat quasi paleas, & lapides fundæ velut stipulas spernit, deridet etiam vibrantem hastam, & durissimos malleos pro nihilo pendit, ad citharæ sonitum tremefactus recedit, & quem nulla vis superat, superat harmonia.

8. Julianus Imperator ^k laudabilis scriptor, si in fide Christi perstitisset, nihil aliud fuisse arbitratum celeberrimum illud Homeri ^l Nepeithes omnium malorum oblivionem inducens, quod Polydamna Ægyptia Thonis uxor temperavit, Helenæ verò Hospitalis cujusdam muneris loco dedit, quam consummatam musicæ consonantiam, omnibusque numeris absolutam symphoniam. Vinum, & musica, ait Sapiens ^m, lætificant cor. Quid enim illa præstantius, ut maghus scribit Cassiodorus ⁿ, quæ naturæ convenientiam ubique dispersam virtutis suæ gratia comprehendit? Hæc cum defecto naturæ tanquam sensuum Regina tropis suis ornata processerit, reliquæ cogitationes exiliunt, ut ipsam solummodo delectet audiri. Hæc tristitiam noxiam jucundat, tumidos furores attenuat, cruentam savitiam efficit blandam, excitat ignaviam, soporantemque languorem, vigilantibus reddit saluberrimam quietem, vitiatam turpi amore ad honestum studium revocat castitatem, sanat mentis tædium bonis cogitationibus semper adversum, perniciosam odia convertit ad auxiliatricem gratiam, & quod beatum genus curationis est, per dulcissimas voluptates expellit animi passiones. In corpoream animam corporaliter mulcet, & solo auditu ad quod vult deducit, & per insensibilem obsequium prævalet sensuum exercere dominatum. Hæc Cassiodorus, cui consonans Maximus Tyrius ^o, Humanam musicam, ait, quæ animos circuit, quidnam aliud esse dixerimus, quam pædagogicum quoddam officium, quod animæ affectiones moderatur? Id enim nimiam elationem, impetumque animi quasi quibusdam incantationibus demulcet, remissionem atque infractionem sublevat, exacuitque. Musica aptissima artifex

est

ⁱ Thom. Valentin. serm. de Visitat. B. V. ^k Julian. init. or. 8. ^l Homer. Odyss. d. & Diodor. Sicul. lib. 1. m. Eccl. 40. 20. ⁿ Cassiod. l. 2. var. Ep. 40. ^o Tyrius ser. 21.

est in luctu levando, in contundenda iracundia, in comprimenda audacia, in temperanda bonorum virorum cupiditate, in sanando dolore, in consolandis amoribus, in levanda miseria. Optima in sacrificiis comes, sodalis in convivio, imperatrix in bello, aptissima præterea ad celebritates inspergendas leporibus, Dionysiaque exhilaranda. Sed cur musicam oportet tam multo celebrare sermone, aut ejus exaggerare dignitatem? quando eam satis constat, optimam pacis atque otii nobiscum ministram esse, optimam commilitonem, egregiam nobiscum civem, aptissimam puerorum nutricem. Ocyssimè namque ex omnibus sensibus auditus quodcumque novit, transmittit ad animum, sibi que consentientissimum reddens in eosdem affectionum imperus trahit. Unde animi musicæ expertes nunquam erit ut rectè cultores legis evadant. Hactenus ille.

9. Possem & alia plura in musicæ commendationem ex variis Auctoribus tum vetustis tum recentioribus huc transferre; sed mihi animus est ea seligere, quæ propius rem nostram attingunt. Curioso autem lectori plurima suppeditabunt Clemens Alexandrinus 6. *stromatium*, Justinus Martyr, *quæst.* 107. Beda *lib. de musica*, Cicero 1. & 4. *Tusculan.* Quintilianus *lib. 1. cap. 10.* Lucianus *de saltatione*, Athenæus *lib. 14.* Sextus Empyricus *lib. 6. adversus Mathematicos, qui est adversus musicos*, Dio Chrysostomus *oratione 1. & 31.* Jamblicus *de vita Pythagoræ lib. 1. cap. 15.* Joannes Sarisburiensis *lib. 1. Policratici*, Franciscus Georgius Venetus *in Harmonia mundi*, Bartholomæus Chassanæus *in Catalogo gloriæ mundi parte 10. consid. 51.* Julius Cæsar Bulegerus *lib. 2. de Theatro*, Petrus Montius *lib. 4. de varietate unius legis cap. 25.* Fabius Paulinus *lib. 2. 3. & 4. de septenario*, Coelius Rhodiginus *lib. 1.* Roderic. Zamoren. *lib. 3. speculi cap. 39.* Marsilius Ficinus *de vita cælitus comparanda cap. 21.* Marinus Mercennius *in cap. 4. Genesis diffusissimè*, Petrus Faber *de re athletica*, Raphaël Volaterranus *lib. 35. Commentariorum Urbanorum*, Guillelmus Parisiensis *secundæ partii de Universo p. 3. cap. 20.* Hieronymus Osorius *in fine libri 4. de Regi institutione*, Angelus Minorita, *initio lib. 1. flor. Angelici*, Ottomarus Luscinus *lib. 1. Musurgie*, Athanasius Kircher *Fuldensis lib. 3. artis magneticæ par. 8. quæ est de magnetismo musicæ & in Arte magna consoni, & dissoni, sive Musurgia Universalis, Tira-*

quellus *libro de nobilitate cap. 34.* Ludovicus Gregorius *lib. 3. mystagog. cap. 27.* & alii innumeri, illi præsertim, qui multas institutiones conscripserunt.

METRUM XLIII.

Eia cantu personate
 Quotquot esis musici.
 Eja laudes, eja nomen
 Personate Numinis.
 Huc adeste voce, plausu,
 Orbis omnes incolæ,
 Huc adeste mente pura
 Qui Deum veremini.
 Barbato dulci sonate,
 Mollibusque Canticis.
 Organorum, buccinarum,
 Et lyrae concentibus.
 Nunciate quam potenti
 Cuncta firmet dextera.
 Prædicate quam benigna
 Nos regat clementia.
 Ferte laudes, ferte cantus
 Ejus ad sacrarium:
 Plaudat orbis: plaudat æther
 Nabilis, & tympanis.
 Angelorum candidari
 Personent exercitus.
 Cælitumque gloriosa
 Turba laudes concinat.
 Astra laudent, & serenum
 Quicquid ornat æthera.
 Terra saltes & choreis
 Leta blandis perstrepat.
 Alæ plaudant floridorum
 Montium cacumina.
 Pontus ad sit, & capaci
 Quicquid alvo continet,
 Amniunq; pura rauco
 Psallat unda murmure.
 O superne Rex polorum,
 Quo jubente vivimus,
 Te præsentem prona adoret
 Trina rerum machina.
 Te potentem leta honorat
 Omnis orbis natio.
 Eja cantu personate
 Quotquot esis musici.
 Eja laudes, eja nomen
 Personate Numinis.

§. II.

Dieta quadam de harmonia mundi. Inesse musicam singulis rebus. Origo musica. De cantu Ecclesiastico. Eum antiquissimum esse. An instrumenta musicalia admittenda in Ecclesia. Primus Organorum usus.

Platonici cum vidissent omne quod vivit cantibus permulceri, celestem animam, qua universum animaretur, originem sumpsisse autumant à musica. Nam & eloquium Dei è nihilo cuncta creatis musicum cantum fuisse scribunt *p*, & omnia musicis proportionibus constare asseverant. Ipsam animam rationalem ex harmonia componi falso quidam ex ipsis arbitrantur, quem errorem egregiè confutant Nemesius *q*, Isidorus Pelusiota *r*, & ex recentioribus Marsilius Ficinus *s*. De mystica Angelorum harmonia agit Dionysius Areopagita cap. 10. Cœlestis Hierarchiæ. De musica five consonantia Christi ad nos, & quomodo simplum Salvatoris nostri duplo nostro concinat ad salutem, doctè, & diffusè differit Augustinus initio libri quarti de Trinitate. Nolo hic autem cum Scipione somniantem cœlos conscendere, & cum Aurelio Macrobio *t* Pythagoricum cœlorum concentum speculari. Nolo ex Epicuri intermundiis imaginariam musicam huc deducere. Nolo siderum, mundique harmoniam inutili curiositate investigare. Quomodo videlicet terra cum Luna conveniat: aqua cum Mercurio, & Saturno interfonet: reboet cum Jove, & Venere aer: ferveat ignis cum Sole, & Marte: quo sonitu lapides, & metalla Marti respondeant: herbae cum Jove, animalia cum firmamento. Hæc lascivientis ingenii lucubramenta curiosam quidem, sed parum solidam doctrinam continent. Scripsit de harmonia mundi Franciscus Georgius Venetus vir Platonici, & Cabalistic plus justo additus insigne volumen, jucunda magis, quam necessaria subtilitate juxta Ecclesiasticam censuram expurgandum, quod in tria Cantica di-

visit. Cantico primo tractat de Deo, quatenus est principium & finis univerforum; & de suavissima consonantia, qua ad invicem, & cum supremo Archetypo resonant creaturæ. Cantico secundo demonstrat quam multiplici consonantia omnia membra cum capite Christo conveniant. Tertio agit de hominis cum suo opifice, de minoris cum majori mundo concordantia, de concentu quem faciunt homines boni cum Deo: Tum de corporis & animæ harmonia in melius mutanda per resurrectionem, deque æterna pausa in cœlesti beatitudine. Scripsit etiam de humana, & mundana musica diffusissimè Robertus à Flud, five de Fluctibus Oxoniensis in sua utriusque Cosmi historia. Sed ejus harmoniam Joannes Kepplerus Mathematicus libro de harmonia mundi in quinque tractatus diviso, itemque in Mystero Cosmographico fallacem, & dissonam multis rationibus esse contendit. At Robertus in Proscenio Veritatis, & in Monochordo Mundi acriter setuetur, & rationes Keppleri evertere conatur. Ambo autem Andabatarum more in tenebris digladiantur, nam extra Ecclesiæ castra militantes, cum careant fide per dilectionem operante, vera etiam & consonanti musica caruisse dignoscuntur. Ipsos consulat cui licet, & libet. Doctius de hæc musica, & adversus Fluddi mendacia disserunt viri doctissimi Marinus Merfennius in insigni suo Commentario super Genesim, & Athanasius Kircher in sua Musurgia universalis. Aliam item mundi visibilibus harmonicam dimensionem tradit vir peritillimus rei Mathematicæ Marius Bettinus Bononiensis *u*. Hanc eandem universi harmoniam antiquiores Sophi pertractant Trillemegistus, Plotinus, Proclus, Jamblicus, Maximus Tyrius, Chalcidius, & alii Platonici passim, Heraclides in Allegoriis Homeri, Clemens Alexandrinus initio orationis ad Græcos. Boëtius lib. 1. musicæ, Plutarchus in questionibus Platoniciis, & libro de animæ procreatione ex Timæo Platonis, Plinius lib. 2. Macrobius in somnium Scipionis, Censorinus, Martianus Capella, & omnes ferè recentiores, qui harmonicas institutiones conscripserunt. A primo enim tenebroso corpore, ait gravis scriptor Guilbertus Tornacensis *x*, infra quod nihil est, usque ad Deum,

S s s s 2 supra

p Ficin. in Timæum Platonis. *q* Nemes. de nat. hominis. *r* Isidor. l. 4. Ep. 125. *s* Ficin. lib. 7. Platonice Theologia c. 10. & 10. Sarisberien. lib. 1. Policratici. *t* Macrobi. in somn. Scip. l. 1.

u Bettinus. Apiario 10. progym. 1. propof. 3. *x* Guilberti. tract. de pace c. 14.

supra quem nihil est, quædam musica sive harmonia reperitur, per quam invicem universa coherent. Et ut Ruricius y Lemovicensis Episcopus ad Hesperium scribit. In harmonia mundi universa animantia bruta pariter, & elingua, incedentia, volantia, atque vocibus, etsi sono dissono, aut ore diverso, pari tamen affectu, quasi uno concentu in laudem proprii auctoris erumpunt, & potentiam quam promere nequeant, sentire se produnt. De harmonica animæ compositione ex placitis Platoniorum doctè & diffusè, sed obscurè differit Christophorus Marcellus libro 6. de Anima.

2. Cæterum cum de musica loquimur, piaculum grave esset ejus originem præterire. Eam plerique Græcorum ad Pythagoram, alii ad Mercurium, alii ad alios referunt, quorum mendacia recenset Bulengerus z Mendacia dixi, nam sacra Mosis historia docet * Jubal de progenie Cain fuisse patrem canentium citharæ, & organo. Quomodo autem Pythagoras ex sonitu malleorum musicam invenisse dicatur, tractat diffusè Jamblicus a in ejus vita, Plutarchus b in symposiacis explicans dictum illud antiquum, *Amor musicam docet*, Theophrastum laudat, qui libro de musica tria ejus principia facit dolorem, voluptatem, & instinctum divinum; nam unumquodque horum vocem à consueto modo averfam ad canendum inclinat. Sed si quis unquam amavit, sanè fatebitur Amorem primum musicæ inventorem, primum ejus principium esse. Amorem omnium artium, scientiarumque Magistrum vocant Platonici, prima tamen Amoris scientia musica est, teste ipso Platone in doctissimo illo convivio, quo ejusdem Amoris describuntur actiones. Hæc de musicæ origine dum scribo, occurrit mihi fabula quædam non indigna relatu, quod à viro summæ sapientiæ Philone Judæo c eam didicerim. Cum Deus, inquit, rerum omnium conditor è nihilo cuncta creasset, jamque hominem operum suorum principem constituisset, videns cuncta quæ fecerat, eorumque pulchritudinem suspiciens unum de Prophetis interrogavit, num aliquid ad universi perfectionem deesset. Deest unum, ait ille, quod tamen mihi prorsus necessarium videtur, de-

y Ruricius lib. 1. Epist. 5. z Bulenger. lib. 2. de Theatro, cap. 3. * Gen. 4. 21. a Jamblic. l. 1. cap. 26. b Plutarch. Sympos. lib. 1. q. 5. c Philo lib. de plantatione Noe.

est inquam concinnus sermo, qui omnia quæ tu creasti, tuamque bonitatem, & providentiam jugiter laudet. Placuit Deo hæc tam comoda admonitio, statimque musicorum genus creavit, qui Deum mirabilem in operibus suis dulciter decantarent. Significat adfabulatio aut solum esse, aut præcipuum musicæ usum divinas laudes resonare. Nescio autem an hujus fabulæ occasionem acceperit Philo ab Hermete illo ter maximo, qui scribit in Asclepio musicam suavitatem ad concinnandas Dei cœlestiumque laudes hominibus indultam, ne terrenus mundus videretur incultior, si modulorum dulcedine caruisset. Verum has Nilotici calami argutias, ut Apuleius d loquitur, prætermittentes, jam ipsam musicam in sacrosancta Christi Ecclesia resonantem audiamus.

3. Ab ipso Domino, & ab Apostolis, ait Augustinus e, Psalmos & Hymnos canendi habemus documenta, & exempla, & præcepta. In veteri quoque testamento quam multiplex cantorum, ac musicalium instrumentorum mentio habetur, ut divina præconia ordinatissimis vicibus celebrarentur? Davidem in Canticis eruditissimum celebrat Augustinus f. Salomonem ejus filium musicæ item peritissimum Pineda g commendat. Quid Moses? quid veteres Patriarchæ? an musicam ignorarunt, quos adeo frequentes in divinis modulationibus sacrae literæ asseverant? Superfluum igitur fuerit sive ad probandam Ecclesiastici cantus antiquitatem, sive ad multam ejus utilitatem adversus novatores astruendam sanctorum Patrum, & Scripturarum testimonia coacervare. Stultus ego sim si rem clarissimam, & jam à multis auctoris illustratam velim clarius illustrare. Legendi de hæc re Bellarminus tom. 4. controversiarum lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 16. Albertus Pighius lib. 1. Ecclesiasticæ Hierarchie. Thomas Valdensis tom. 3. Doctrinalis tit. 2. Alphonsus à Castro lib. 4. adversus hæreses, Antonius Demochares lib. 4. de Missa cap. 12. & 13. Joannes Filescus Theologus Parisiensis libro 2. Selectorum. Ludovicus Cresolius libro 3. mystagogi. Pamelius tomo 1. Liturgicorum Latinorum. Franciscus Suarez tomo secundo de Religione libro 4. cap. 7. & 8. Baronius

d Apul. lib. 1. metamorph. e Aug. Ep. 119. c. 18. f Idem de civit. Dei lib. 17. cap. 14. g Pineda de reb. Salom. lib. 3. cap. 13.

anno 60. numero 24. Durantus Tolofanus lib. 3. de ritibus Ecclesiæ cap. 21. Scholastici cum D. Thoma 2. 2. q. 91. & alii multi.

4. Una autem difficultas hic enodanda videtur: An deceat Ecclesiam instrumentis musicalibus uti in divinæ Synaxis celebratione. Rem ambiguum reddunt diversæ diversorum sententiæ. Auctor quæstionum ad Orthodoxos in operâ Justin Martyris ^b cantum vocalem laudat, sed ad cantum adhiberi instrumenta non permittit. Sancti quoque Patres Joannes Chrysostomus ⁱ, & Isidorus Pelusiota ^k solis Hebræis permittit olim instrumenta scribunt ob eorum imbecillitatem. Damnat eadem instrumenta elegantissima oratione S. Aelredus ^l Abbas Rievallis Bernardi synchronus, & discipulus: Unde, inquit, cessantibus jam typis, & figuris, unde in Ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid, rogo, terribilis ille follium status tonitru potius fragorem, quam vocis exprimens suavitatem? Pergit sanctus Pater, & cantum quoque figurarum sugillans ait: Ad quid illa vocis contractio, & infractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit, alter medias quasdam notas dividit, & incidit. Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc diffusiori sonitu dilatatur. Aliquando, quod pudet dicere, in equinos hinnitus cogitur, aliquando virili vigore deposito in femineæ vocis gracilitates acuitur, nonnunquam artificiosa quadam circumvolutione torquetur, & re-torquetur. Videas aliquando hominem aperto ore quasi intercluso halitu expirare, non cantare: ac ridiculosa quadam vocis interceptione quasi minitari silentium, nunc agones morientium, vel extasim patientium imitari. Interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitur, torquentur labia, rotantur oculi, ludunt humeri, & ad singulas quasque notas digitorum flexus responderet. Et hæc ridiculosa dissolutio vocatur religio: & ubi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius serviri clamatur. Hactenus ille. Sed alii è diverso instrumentorum usum admittunt, & laudant. Et primo quidem Christianus Pædagogus apud Clementem Alexandrinum ^m instrumentis uti permittit. Deinde Prudentius ⁿ audiendus est, qui vivebat sub

^h Justin. q. 107. ⁱ Chrysost. in Psal. 150. ^k Isidor. lib. 2. Ep. 176. ^l Aelred. lib. 2. speculi charitatis cap. 23. ^m C. Alex. pædog. lib. 2. cap. 4. ⁿ Prudent. adv. Judæos.

Theodosio seniore, & filiis ejus. Sic autem canit:

Quicquid in ære cavo reboans tuba curva remugit,

Quicquid in arcano vomit ingens spiritus haustu,
Quicquid casta chelys, quicquid testudo resultat,
Organa disparibus calamis quod consona miscent,

Æmula pastorum quod reddunt vocibus antra,
Christum concelebrat, Christum sonat, omnia
Christum,

Muta etiam fidibus sancti animata loquuntur.

Escripitoribus denique recentioribus Joannes Sarisberienfis Carnotensis Episcopus prodibit in medium, qui eodem quo Aelredus sæculo vixit, tempore scilicet Alexandri III. Is libro primo Polieratici musicam instrumentalem commendat his verbis. Ad mores itaque instruendos, & animos exultatione virtutis trahendos in cultum Domini, non modò concentum hominum, sed etiam instrumentorum modos censuerunt sancti Patres Domino applicandos, cum templi reverentiam dilatarent. Et si militantis Ecclesiæ tibi parva videatur auctoritas, vel triumphatrix illa præconia musicæ non tacebit, cujus seniores vidit, & tibi monstravit tonitru filius, & voces eorum sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. Quod si illos nondum audisti, Regem audias exultantem, qui te regni, & exultationis suæ vult esse participem. Ait enim, *Sumite Psalmum, & date tympanum, Psalterium jucundum cum cithara.* Ad quid inquis? Ut laudetis Dominum in tympano, & choro, in chordis & organo.

5. Constat igitur ex dictis, nec statim ab initio, nec ubique recepta fuisse musicalia instrumenta: nam etiam nunc Romæ in sacello summi Pontificis semper sine instrumentis officiorum solemnia celebrantur; & Ecclesia Lugdunensis, quæ novitates nescit, semper organa repudiavit, neque in hunc diem alievit. Non tamen damnari debet moderatus eorum usus, cum à sanctissimis, & sapientissimis viris, ac novissimè à sancto Tridentino Concilio approbatus & permittus sit. Lætificat organorum concentus tristes hominum mentes, & supernæ civitatis insinuat jucunditatem: sollicitat pigros, recreat diligentes; provocat justos ad amorem, peccatores ad compunctionem. Qui Deum diligunt, ait Clima-

S l l l l 3 cus

cus o ad hilaritatem & divinam dilectionem, atque ad lachrymas, & ex mundanis, & ex spiritualibus Canticis ac melodis excitari solent, qui vero voluptatibus addicti sunt, sibi colligunt materiam perditionis. Porro organa pneumatica ætate Juliani Apostatae adinventæ fuisse docet Bulengerus p. Extat autem ejusdem Juliani Epigramma in organum, à P. Martino Morentino relatum præfatione in ejus Misopogonem, quod hic transcribere non gravabor.

*Quam cerno alterius naturæ est fistula: nempe
Altera produxit fortasse hanc ænea tellus.
Horrendum fridet, nec nostris illa movetur
Flatibus, at missus taurino è carcere ventus
Subtus agit læves calamos, perque ima vagatur.
Mox aliquis velox digitis, insignis & arte
Adstat, concordet calamis pulsatque tabellas:
At illæ subito exiliunt, & carmina miscent.*

Hæc organa statim audiri cœperunt in Ecclesia permittente Damaso Pontifice, ut quidam ajunt apud Cresolium q in Mystagogo. Sed verior, & communior sententia Platinae est asserentis eorum usum tempore Vitaliani Papæ circa annum Domini 660. in Ecclesiis incepisse. Desino, si prius Ecclesiasticos cantores admonuerim, ne ad usum illicitæ voluptatis assumant, quod sancti Patres ad effectum pietatis instituerunt. Talis enim debet esse sonus, tam gravis, tam moderatus, ut non totum animum ad sui rapiat oblectationem; sed eorum quæ cantantur sensui, & pietatis affectui majorem relinquat portionem.

§. III.

Cantus Ecclesiastici qui fuerint primi inventores. De musicis, & cantoribus, eorumque discrimine. De tōnis, seu modis tropicis. Omnem musicæ mutationem malam esse. Cur ab hodierna musica non iidem effectus sint, qui ab antiqua. Actum obiter de triplici genere cantus Diatonico, Chromatico, Enharmonico.

1. **A**B Apostolis; & Apostolicis viris Ecclesiastici cantus initia fuisse doctissimus

o Climac. gr. 15. p Buleng. lib 2. de Theatr. q Cresol. lib. 3 Mystag. c. 27. r Baron. an. 601. m. 24. & seqq.

Cardinalis Baronius r tam evidenter ostendit, ut nihil ejus eruditioni adjungi possit. Quod autem Theodoretus s & Nicephorus, S. Ephrem Syro harmoniæ modulationis inventionem attribuunt, id ita intelligendum est, quod vel antiquum cantum in aliqua particulari Ecclesia instituerit: vel canendi methodum, & notulas intervallorum ac vocum indices aliquâ faciliori ratione innovarit. Sic Joannes Damascenus novam quandam musicæ rationem pro Ecclesiasticis cantibus adinvenisse perhibetur. Sic Magnus Gregorius non omnem cantum, sed planum & unisonum adinvenit, quo deinceps semper usa est Ecclesia Latina. Sic etiam Guido Aretinus Monachus S. Benedicti anno Domini vigesimo secundo supra millesimum maximâ omnium admiratione novam musicæ rationem, novasque claves edocuit, & manum quam vocant cum sex vulgaribus notis, adeo ut puer rudis & semigrammaticus paucis mensibus addisceret, quod homo grandævus, magnoque pollens ingenio vix pluribus annis addiscere potuisset. Erat enim ante ipsum difficillimus cantus, quem nunc balbutientes pueri nullo negotio ediscunt. Hoc item seculo Erycius Puteanus u vir eruditissimus, & omni doctrinâ refertus duobus editis libellis ad sex vulgares notas septimam adjungere conatus est, ut omnes vocum mutationes tollantur, quæ pueris majus negotium in cantu discendo facessunt; & hoc modo praxi musicæ multo facilior reddatur. Porro musica antiqua pro notis literas Græcas habuit, nunc rectas, nunc inversas, nunc alio situ super verba canenda collocatas. In media literarum usus, sed latinarum, de quibus earumque significatione in superscriptione cantilenæ extat Notkeri Monachi parvus tractatus in supplemento Bibliothecæ veterum Patrum editionis Colonienfis. In harmonia denique nostra diversa forma est, ut omnes norunt. Scripsit de notis musicis librum Alypius Græcus, cuius meminit Vincentius Galilæus in suo opere de nova, & antiqua musica, quod musicis, & cantoribus valde utile est. Cantorum verò, & musicorum magnum esse discrimen docet Boethius x. Cantor ille est, qui harmoniæ rationis expertus, & à musicæ scientiæ intellectu

f Theodoret. hist. Eccl. lib. 4. cap. 19. t Nicephor. lib. 9. c. 19. u Puteanus in Misarhena. & Pallade modis. x Boeth. de musica lib. 1. cap. ult.

lectu se junctus famulatur, nec quicquam affert rationis: is autem musicus est, qui ratione perpensa canendiscientiam non servitio operis, sed imperio speculationis assumit. Cantor nec discernens musicam, nec dijudicans, vocem suam flattere quidem, elevare, ac deprimere novit per phongos, & intervalla; sed musicum systema, variamque modorum ordinationem prorsus ignorat. Musicus ordinationem prorsus ignorat. Musicus ordinat, & componit cantum, scitque eorum quæ cantantur rationem reddere. Hoc prænotato, quia Davo, & Oedippo debitor sum, operæ pretium me facturum arbitror, si quædam de tonis, & modis musicis tractavero, quo prænoscentes musicæ artificium & ornamenta alicriores in Dei laudibus decantandis sacri cantores inveniantur. In qua sanè tractatione ne molestus sit mihi lector, si prolixus fuero; nam, ut fatear quod res est, & musicam amo, & pudet me plerosque Ecclesiasticos viros totius vitæ cursu in cantu versari, ipsum verò cantam, quod turpe est, ignorare.

2. Ex diapason igitur consonantiæ speciebus, ut cum Boethio loquar, existunt qui appellantur modi, quos eisdem tropos, vel tonos nominant. Sunt autem tropi constitutiones in totis vocum ordinibus, vel gravitate, vel acumine differentes, quorum omnium compositio plenum continet diapason, sive octavam, ut ajunt, quæ ex octo vocibus constat & septem intervallis. Omnis verò tonus certos modos & terminos vocis elevandæ vel deprimendæ diffinit, & certis quibusdam differentiis omnem cantum coerces, qui, quoniam à gravi vertitur in acutum, inde tropi nomenclaturam accepit. De numero, & nominibus eorum dubitatum sæpe est à viris doctis. Martianus Felix Capella quindecim enumerat, quorum quinque principales, alii collaterales sunt additis particulis *super* & *sub*; quia *super* vel *sub* principales proximè collocantur. Primus est Lydius, cui adherent hyperlydius, & hypolydius. Secundus Iastius, cui sociantur hyperiastius, & hypoiastius. Tertius Æolius cum hyperæolio, & hypoæolio. Quartus Phrygius cum duobus hyperphrygio, & hypophrygio. Quintus Dorius cum hyperdorio, & hypodorio. Alypius eisdem quindecim modos enumerat. Verum hi modi super additi ad pleni & integri systematis sensibilem

harmoniam inutiles sunt, quos Cassiodorus ita constituit, ut à se invicem sola semitonii intentione, vel remissione superentur: propterea in genere datonico locum habere non possunt. Plato numerum senarium, Aristoteles, Bacchius, & Pappus Alexandrinus septenarium non excedunt. Ptolomæus ut totum disdiapason systema modalis conveniret, octavam & acutissimum modum adjunxit, quem hypermixolydium nuncupavit. Censorinus 2, Genera, inquit, carminum tredecim sunt, ex quibus prima sunt Dorium, Phrygium, Lydium. His accesserunt gravissimum hyperdorium, mox duo hypophrygii gravior, & acutior, deinde Dorius medius, tum Phrygius gravis & alter excelsus: totidem lydii gravis & acutus: tum mixolydii pari diversitate, postremo hypermixolydii acutissimus. Præfici recentiores post Henricum Glareanum a sex tonos authentos ponunt ex harmonica, totidemque plagales ex arithmetica divisione diapason: nec plures esse posse contendunt, quod non sint plures species diapason. Lucius Apuleius b modos sic recenset. Seu tu velles Æolium, simplex, seu Asium varium, seu Lydium querulum, seu Phrygium religiosum, seu Dorium bellicosum. Hunc verò Apuleii textum corruptum esse monet Glareanus l. 2. c. 11. & non *Asium* legendum, sed *Iastium*, nam de modo Asio nulla apud reliquos Scriptores mentio est. Philostratus Lemnius c Æolia, & Pamphilia modulamina commemorat. Euclides, Aristoxenus, Plutarchus, Quintilianus Aristides, Lucianus, Athenæus, Emmanuel Bryennius, & omnes antiqui Scriptores, discrepant non in numero tantum & nomine, sed in eorum etiam initiis, proprietatibus & finibus assignandis. Referunt hac de re varias eorum sententias Bulengerus d, Galilæus e & Joannes Baptista Donius f. Sed hanc omnem controverfiam de vocibus esse hinc colligo, quod ex hominum arbitrio pendeat, quis primus tonus sit, quis secundus, quis tertius. Debet enim investigari omnium specierum diapason natura ex gravitate & acumine vocum; sive ex intentione & remissione chordarum, quæ certa & invariabilis est; seu tonum illius diapason primum, seu tertium nuncupemus. Porro modi musi-

2 Censorin. cap. 21. a Henric. Glarean. in dodeca chordo. b Apuleius lib. 3. floridor. c Philostrat vitæ Apollon. l. 1. c. 10. d Buleng. 2. de Theatro, c. 17. e Galilæus l. de mus. antiq. f Dominus de tonis antiq.

ci gentium vocabulo designati sunt, quæ pro varietate morum, & ingeniorum variis etiam modis delectabantur. Sic nos quoque diversum musicæ stylum apud diversas nationes esse dignoscimus. Sunt Gallicæ modulationes hilares, molles, concitatae, choreis, & saltationibus idoneæ: Hispanicæ severæ, & vehementes, terricæ: Italicæ graves, magnificæ, nobiles, insinuandæ pietati, moribusque efformandis aprissimæ.

3. Illud autem ab antiquis observatum est, nunquam ab aliqua gente mutatam fuisse musicam, quin & ipsa in deterius mutata, ipsique mutantium mores in pejora delapsi sint. Ideo quotquot scripserunt de musica semper recentiori rejecta, antiquam commendarunt. Plutarchus libro de musica; At enim, ait, apud antiquiores Græcos ne notam quidem dicunt musicam, quæ theatris interserviret: totam scientiam illam Deorum venerationi, & adolescentium institutioni impensam fuisse. Omnis tunc musica in templis versabatur. Cæterum nostris temporibus ejus musicæ, quæ ad disciplinam puerorum facit, nulla memoria, nulla cura: omnes theatris interservientem amplectuntur. Qui ergo vult musicâ rectè & cum judicio uti, is veterem modum æmuletur. Bassilius Magnus g. Tanta melodiæ rectæ differentia à turpi atque obscœna est, ut eam, quæ nunc in usû est, non minus fugere debeatis, quam rem aliquam turpissimam. Athenæus h in cœnis sapientum Musicam sanè veteres optimè noverunt, ejusque leges non sunt prætergressi: nunc autem senio jam cunctis labescens, depravati sunt musices numeri, & pro benignitate mollities, pro temperantia insolens audacia, ignavusque animi languor irrepit: quæ mala magis post hac vigeant, nisi quispiam patriam musicam in pristinum splendorem asserat. Sextus Empyricus i: Musica vetus virilis erat, recens effracta & effœminata. Severinus Boëthius k: Amisit musica gravitatis & virtutis modum, ac penè in turpitudinem prolapsa minimum antiquam speciem servat. Iterum Athenæus l. Modus Ionicus minimè floridus & lætus est, sed austerus, & durus; in quo tamen deprehendas elatum quidpiam generositatis non expers, quamobrem amat concentum illum Tragedia: nostrâ verò ætate Ionum mo-

g *Basil. hom. de legendis Gentil. libris.* h *Athenæus l. 14.* i *Sext. Empyr. l. 6. adv. Mathemat. c. 22.* k *Boeth. l. 1. c. 1.* l *Athen. lib. 14.*

res delitiis sunt perditissimi, eorumque idem cantus ab illo vetusto multum diversus. Maximus Tyrius m: Musica ut nunc est extenuato corpore incidens, pulchritudinem, & suavitatem illam veterem abiecit. Quapropter à lege propria deflectens calamitosa nobiscum efficitur, animumque tum publicè tam privatim in perniciem trahit: relicta autem priori simplicitate, in levitatem fatuam abiit, & ut verissimè dicimus, evasit in flagitium; nam in theatris ac scenis corrupendæ Reipublicæ initium fecit. Cicero secundo de legibus: Assentio Platoni nihil tam faciliè in animos teneros, atque molles influere, quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest, quantâ sit vis in utramque partem. Civitatum hoc multarum in Græcia interfuit antiquum vocum servare modum, quarum mores lapsi ad molliem pariter sunt immutati cum cantibus: aut hæc dulcedine corruptelæque depravati, ut quidam putant: aut quod cum severitas eorum ob alia venialia cecidisset, tum fuit in auribus, animisque mutatis etiam huic mutationi locus. Quamobrem ille quidem sapientissimus Græciæ vir, longeque doctissimus valde hanc labem veretur, negat enim mutari posse musicas leges sine mutatione legum publicarum. Rursum Plutarchus in Laconicis Terpandrum, Timotheum, ac Phrynidem multatos ab Ephoris enarrat, quod vel unam citharæ chordam addidissent, quam & incidi jusserunt: adeo non permittebant de veteri musica aliquid immutari. Has veterum sententias eò libentius transcripsi, quo magis hodiernæ musicæ deplorabilis status innotescat. Fastidit ætas nostrâ concentum gravem, & stabilem, amatque modulòs quosdam, quibus in frustra concilius cantus diffiliat, & enervetur. Ipse cantus Ecclesiasticus quam à vero Gregoriano dissimilis est! Adeo verum est quod scribit Xenophon n, ea quæ nova sunt, & ipso quasi in flore vehementer in musicis celebrari.

4. Sed revertor ad tōnos, quos à Gentibus denominatos dixi, & cum earum moribus immutatos. Sunt autem, quod attinet ad Ecclesiasticum cantum, octo. Primus, tertius, quintus, & septimus dicuntur principales, & authentici: Secundus, quartus, sextus, & octavus inferiores & plagales nuncupantur. Authentici supra finalem ascendunt usque ad diapason, & tantum voce descendunt: Plagales ascen-

m *MAX. Tyrius ser. 21.* n *Xenoph. lib. 1. Cyriped.*

dunt supra finalem usque ad diapentem, sive quintam; infra verò descendunt usque ad diatessaron, sive quartam. Quatuor sunt chordæ finales tonorum, nam primus, & secundus desinunt in lychano hypaton: tertius, & quartus in hypate meson: quintus, & sextus in parhypatemeson: septimus, & octavus in lychano meson. Cum autem omnis tonus plenam diapason contineat, atque ea ex diapente, & diatessaron componatur: hoc discrimen est inter duos tonos in eadem chorda desinentes, quod is qui authentus est, plenum diapason habet supra finalem: plagalis verò habet quidem diapentem supra finalem, sed diatessaron quæ diapason complet sub finali collocatur. Legendi hæc de re prædici recentiores, atque inter cæteros doctissimus Glareanus, qui de modis musicæ eruditè differuit in suo Dodecachordo: Itemque Franchinus Cafforius libro quarto musicæ instrumentalis, & in descriptione musicæ actionis: Petrus Pontius in dialogo de musica: Joseph Zerlinus, & Petrus Aron in harmonicis institutionibus: iterum Zerlinus lib. 6. supplementi musicalis, & in defensione quintidemonstrationum harmonicarum: Frater Angelus Minorita lib. 1. Floris Angelici: & Marchettus Patavinus in tractatu de cantu plano. Is autem tonus, quem nos primum dicimus, Dorius est antiquorum, ut musici communiter existimant, quod tamen non caret difficultate, quam tangit, sed meo iudicio non dissolvit præcatus Glareanus lib. 2. cap. 9. secundus Hypodorius, tertius Phrygius, quartus Hypophrygius, quintus Lydius, sextus Hypolydius, septimus Mixolydius sive lydius mixtus. Octavo carebant antiqui, nam revera Mixolydius plagalem, seu collateralalem non sustinet modum: gravius enim retrachordum illius cum gravissimo Dorii conjunctum est. Verum de singulis tonis, eorumque constitutione, & proprietatibus uberius infra differemus, si prius dubitatio quædam soluta fuerit, quæ non indigna videtur solerti discussione.

5. Nam si primus noster modus Dorius est antiquorum, si Phrygius idem ac tertius, & sic de cæteris: cur non eosdem pariunt effectus? Cur non iisdem sonantibus modis & tranquillari animum, & commoveri sentimus? Possẽ equidem respondere non omnes antiquos musicos & cantores hos admirabiles effectus edidisse; sed eos tantum, qui in hac disciplina pe-

nitissimi fuissent, qui cum rari semper fuerint, ita non desunt etiam hac tempestate, qui cum veteribus comparari possint. Satius est tamen fateri id quod verissimum est, præcos illos modos nos nescire, illudque in primis, in quo maximè excelluerunt. Errant itaque toto cælo, qui generum illorum differentias ignorantes acumen tantum, & gravitatem sonorum considerant. Non enim, ut hoc utar exemplo, Doricæ harmoniæ præstabit effectus omnis cantus à lychano meson usque ad Paraneten protensus, nisi etiam præter suæ octavæ compositionem alia quædam habeat ad excitandos affectus requisita. Sunt autem quatuor, ni fallor, hæc conditiones, quibus positis musica proculdubio inducet hominem in varios affectus, & commotiones. Prima conditio est, ut harmonia ex vocibus, & fonitu proveniens juxta toni exigentiam rectè ordinetur. Secunda ut numerus musicus, quo modulationis totius series à gravi in acutum, & ab acuto in grave procedit qualitati verborum, & toni accommodetur. Hic est numerus, quem vulgus vocat ærem cantionis, de quo Poëta. *Numeros memini, si verba tenerem.* Tertia ut ipsa verba talia sint, quæ mentem percellere, & commovere possint. His adjungebant antiqui totius corporis motus, ac gestus patheticos ad excitandos affectus aptissimos. Quarta tandem, ut, qui musicos concensus audit, non tam aurem quam rationem adhibeat, uti docet Boetius, sitque aptus & dispositus ad musicæ effectus recipiendos. Fit enim quandoque, teste Divo Bonaventura *p. 2.* ut propter pravam audientis dispositionem, quem musica invenit tristem, reddat tristiorum; & quem letum, lætiorem. Istæ conditiones si ad toni systema adjiciantur, efficiunt, ut puto, musicam nostram veteri non inferiorum; alioquin omnes affectus in omnibus tonis confusi, singulisque permixti sunt pro varietate modi procedendi, ut Keplerus *q* observat. Non possum hoc loco quorundam errorem dissimulare, qui suæ inscitæ frivolam præcedentes excusationem, ajunt musicam nostram insignes illos effectus, quos in veteri admiramur, operari non posse, quia omnis musica nostra in genere Diatonico est; antiqui autem Enharmonico, & Chromatico utebantur; quæ cantus genera jam pridem antiquata ad mentes hominum subito commovendas aptiora erant.

o Boet. lib. 1. c. 9. *p* Bonav. prolog. in Thren.
q Kepler. tract. 3. harmon. c. 15.

erant. De triplici hoc genere differunt antiqui Musici Aristoxenus, & Nicomachus Geratenuus in suis Harmonicis institutionibus, Euclides item, & Theo Smyrnaeus, & ex ipsis alii recentiores. Porro genus Enharmonicum illud dicitur, quod pluribus spatiis, & angustioribus separatur: cantatur autem per diesim, & diesim, & ditonum. Chromaticum autem per duo inæqualia semitonia, & trihemitonium constans ex tono, & semitonia minori conscendit. Diatonicum verò per duos tonos, & semitonium naturaliter procedit. Hoc postremum aliis generibus dignitate, & efficacia præeminet; & sine ejus mixtura reliqua duo subsistere nequeunt; atque ideo supradictam opinionem mirabiliores musicae effectus Chromatico, & Enharmonico generi tribuentium damnat, ac pluribus confutat Joseph Zerlinus, excellētissimus musicorum. Accedit ad rationem experientia: nam Enharmonicum ob nimiam difficultatem, Chromaticum ob nimiam molliem jam pridem ab usu recessit, ut docet Macrobius. Plato quoque antiquissimus Philosophorum solo Diatonico utebatur, quod & mundanae musicae adscripsit. Plutarchus repudiatum asserit Enharmonicum genus, quod sensui ingratum foret. Aristoxenus initio libri primi veteres solo genere Enharmonico usos esse perperam asserit, cætera neglexisse, vel ignorasse, de quo acriter reprehenditur à Proclo lib. 3. in Timæum Platonis. Damascius in vita Isidori Philosophi apud Photium, Natus, inquit, ad musicam Asclepiodorus, deperditum tamen Enharmonicum genus non potuit revocare, quamquam alia duo cantus genera rescinderet, & reprimeret, alterum Chromaticum appellatum, alterum diatonicum: harmoniam tamen non invenit, quamvis magades mutarit, & transposuerit non minus quam viginti duas: Sunt autem magades instrumenta musica tabula quadrata repanda, quæ in se recipit chordas, & efficit sonum. Dicitur etiam magadinum ea pars lyrae, in qua plectrum illiditur, ubi scilicet percussio chordarum fit manu dextera, ut Budæus notavit. Vide Suidam verbo *μαγάδες*. Aristoteles item solum genus diatonicum commendat: & tamen musicam illorum temporum mirabilem fuisse exem-

pla crebra testantur. Seryanda igitur est ejusque modi proprietas: nam ut verbis utar Plutarchi, si musicae peritiæ accedat facultas judicandi, his prædium constat perfectum musicum fore. Qui enim novit Doricum tonum, neque tamen judicare potest ubi is propriè, & convenienter usurpetur, non sciet quid faciendum sit, neque genium ejus servabit. Idem auctor eos redarguit, qui initio carminis hypodorium, in fine mixolydium, aut Dorium: hypophrygium & Phrygium in medio adhibent: quam culpam multi recentiores committunt omnium tonorum definitiam confundentes, solidam enervantes concinnitatem, ut auribus gratificentur. Sic fit, ut eorum musica talis sit, qualem Plato describit in Philebo, quæ videlicet obscuritatem multam habeat, soliditatem paucam. Sed jam tractatum ad singulos tonos conferamus.

§. IV.

De singulis tonis, eorumque proprietatibus, & effectibus. Quædam de cantu Gregoriano.

1. **P**rimam sedem ordine, & dignitate tenet Dorius. Hic à Platone, & Aristotele cæteris omnibus præfertur. Hoc modulo psallebant antiqui profodia multa, & pæana, erotica etiam, & quæ spondæa nominantur. Dux ad benè vivendum existimatur hic modus. Arcades, & Lacedæmones hoc impensius delectabantur, teste Polybio. Virilem, ait Athenæus, præ se fert gravitatem, & magnificentiam, unde veteres eo utebantur ad efformandos adolescentum mores. A Cassiodoro pudicitia largitor, & castitatis effector dicitur. Hoc Pythagorici summo manè ad intermissa studia se excitabant. A Ptolomæo, qui octo tonos sphaeris cælestibus convenire docet, luminoso soli comparatur, nam sicut Sol humida exsiccet, noctisque tenebras fugat; ita hic tonus, qui phlegmati dominatur, pigritiam, stuporem, somnum, mœstitiam, & confusionem ex motione phlegmatis proveniente statim expellit. Viris præclaris, magnoque ingenio præditis convenit. Modestus est, hilaris, curiosus, magnificus, sublimis, nihil solum habens, nihil molle, & ad omnes affectus idoneus. Ali-

1 Theod. lib. 2. Matth. cap. 9. & seqq.
 f Zerlin. par. 2. cap. 9. t Macrobi. in Somn. Scip. li. 2.
 cap. 4. u Plutarch. li. de musica. x Photius Cod.
 242.

y Polyb. lib. 4. z Athen. lib. 14. a Cassiod. lib. de music.
 sca. b Ptolom. lib. 3. Harmonic. c. 11.

Aliquando chorda ejus finalis in mese constituitur; & tunc idem est, ac Hypermixolydius Ptolomæi, & à recentioribus præficus novus tonus, ab aliis Æolius nuncupatur.

2. Secundo loco Hypodorius, sive subdorius est contrario modo se habens, somnum enim lenem inducit, eoque Pythagorici vespere utebantur ad mitigandas animi curas, & quietem conciliandam. Pigris, mœstis, ac miseris convenit, & ut docet Calliodorus, animi temperates tranquillat, somnumque jam placatis attribuit. Ab Aristotele magnificus, constans & gravis dicitur. Æolium à quibusdam, sed falso, nuncupari docet Scaliger *d*. Lunæ comparatur, quæ infimum tenet locum inter Planetas, rebusque humidis præest: ita hic tonus flebilis, & gravis, cæterisque inferior est usque ad postremam vocem Monochordis descendens. Verba quæ mœsticiam inducunt, lacrymas movent, liberationem ab angustiis, calumniis, & servitute deprecantur, huic tond attribuntur. Si desinat in mese decimus, & Hypoælius vocatur. De hoc, & cæteris plagalibus hæc scribit Athenæus *e*. Sicut nos subalbus dicimus, quod albo simile est: subdulce, quod accedit ad dulce, quamvis non sit hujusmodi: ita & Hypodorium appellatum fuisse arbitror, quod Dorium valde non fit.

3. Tertius sequitur, quem Phrygium dicunt. Mari attribuitur, nam furiosus est, & incitativus, iram provocat, pugnas excitat, & votum furoris inflammat. Vehementem, & acutum vocat Clemens Alexandrinus *f*, & ipsa acuminis velocitate vehementius percellit animum. Huic modo carmen congruit anapestum. Fortes habet saltus in sua progressionem, convenitque superbis, iracundis, crudelibus, cholericis, & furiosis. Verba requirit aspera, deque præliis spiritualibus, vel temporalibus pertractantia, & quæ celerius debeant affectus concitare. Hunc autem simul cum Dorico Plato, & Aristoteles præ cæteris commendant: ejus tamen usum adolescentibus interdixerunt, quod eorum affectus nimium circa decorum commoveat. Suisberienfis *g* hunc modum vituperat tanquam incitantem ad lasciviam, cum potius ad certamina provocet; sed Marti amicam Venerem fabulantur Poetæ. Entheus à Luciano nuncupatur. De Phrygia harmonia eruditè

c Aristot. sec. 19. Problem. *d* Scalig. l. 1. Poëtic. c. 19. *e* Athen. l. 14. *f* Clem. Alex. li. 6. Strom. *g* Suisberien. lib. 1. Poëtic.

Læli. Bisfiola Hor. subf. tom. 1. lib. 15. cap. 18.

4. Quartus est Hypophrygius mollis, compunctivus, choleram mulcens, blandus, adulatorius, & attractivus. Mercurio assimilatur, cujus natura cum bonis bona, cum malis pessima est: sic adultores, quibus hic tonus maxime congruit, bonis & malis, sapientibus & insipientibus æqualiter se accommodant. Illis item competit, qui faciles sunt, teneri, statimque sedari, ac mitigari solent, & in omnem partem converti. Hoc Cretenses, & Lacedæmones à pugna revocabantur. Verba quæ blanditias, admonitiones, deprecationes, deceptiones, & detractiones significant, huic tono sunt assignanda. Dicit Aristoteles quod Hypophrygius animos lymphatis similes reddit, cogitque debacchari. Hæc proprietas quamvis Phrygio propriè conveniat, huic tamen deneganda non est ob affinitatem, quam habet cum suo authento, quem & aliquando imitatur.

5. Quintum occupat locum Lydius. Hic sanguinis dominium obtinet, & Jovi comparatur, qui homines sanguinos, benevolos, mites, & jucundos sua influenza facit. Delectabilis est, choreis & saltationibus idoneus, & cum quadam voluptate resiliens. Nimias curas, ait Calliodorus, animæque tædia remissione reparat, & oblectatione corroborat: anxios lætificat, revocat desperatos. Verba lætitiæ denotantia, & quæ victoriam, ac triumphum celebrent hujus toni propria sunt. Quando desinat in trite diezeugmenon undecimus tonus, sive Jonicus, vel etiam Jastius à recentioribus; ejusque plagis duodecimus, hypojonicus, vel hypojastius nuncupatur. Harmonias Lydias lætuosas esse asserit Plato *h*, sed de hypolydiis, & mixolydiis intelligi debet: Lydia enim simplex, & principalis hilaris est, quare Propertius *i* in campis Elisiis Lydia pleetra resonare commemorat.

6. Sextam tenet sedem Hypolydius, qui pius, devotus, humanus, & lacrymabilis est. Veneri attribuitur, cujus influenza homines reddit ad pietatem, amorem, & planctum proclives. Differt ab Hypodorio, quia fletus ab illo causatus ab angustiis, & anxietatibus oritur: hic autem ex devotione, & læticia, vel ex affectu commiserationis erga proximum procedit. Verba igitur hos affectus inducentia, vel explicantia ei propriè competunt. In hujusmodi

h Plato 3. de Rep. *i* Propert. lib. 4. el. 7

compositione advertendum est, ut voces gradatim progrediantur, sintque inter se colligatae, & coadunatae.

7. Septimus Mixolydius est, qui suis modulis duplicem producit effectum, incitat enim ad gaudium, sed statim revocat ad mœsticiam. Dicitur Mixolydius, quia cum Lydio communionem habet. Eo in tragœdiis utebantur antiqui, nam & melancholiam movet, partem habet incitationis, ac jucunditatis. Quos Saturnus sua influentia tristes facit, hic tonus concinnitate sua ad quietem incitat, & adducit. Intellectum obtusis acuit, sanctique Spiritus dona designat. Altior est omnibus tonis, perque suas, & jucundos saltus progreditur: tum terreno desiderio gravatis cœlestium appetentiam indulget. Ex his patet, quæ verba huic tono conveniant. A Julio Polluce Locrensis appellatur. Hos septem tonos dumtaxat agnoscebant Pythagorici, teste Jacobo Fabro², quod totius universi harmonia septenario numero secundum ipsos comprehendatur.

8. Octavum tonum, quem Hypomixolydium & Hyperiaustum vocant, adjecerunt septem præscriptis recentiores, ne Mixolydius suo plagali careret. Firmamento attribuitur varia stellarum figuratione distincto, nam & omni negotio convenit, & immunis est ab omnibus qualitativibus. Super omnes tonos insita quadam dulcedine, & venustate nitescit. Suavis, canorus, atque moratus dicitur, & soliditatem futuræ gloriæ representat. Viris discretis convenit, & qui subtili ingenio profunda speculantur. Verba itaque de rebus altis, & cœlestibus pertractantia ad hunc tonum non incongruè pertinebunt. Dicitur quoque deprecativus esse, quo propterea utendum erit cum aliquam felicitatem, & gloriam etiam cum lacrymis cupimus obtinere. Habet hic tonus hoc cum primo commune, quod omnia verba, quæ commodè nequeunt reliquis applicari, ad hunc poterunt reduci; est enim aptus ad omnes affectus, & omnium capax.

9. Cæterum S. Gregorius Magnus cantum planum instituit, qui de plano procedens singulas notas brevis temporis æquali mensura dimittitur. Non enim variarum vocum concordem discordiam, & concinnam per intervallorum distantiam melodiam observavit; sed certos tantum limites, & terminos cujusque toni constituit, certosque vocum transitus, & pro-

² Faber in suo l. 4. element. musicalium.

gressiones secundum naturalem diatonici generis dispositionem. Observat autem Franchinus¹ Sanctum Gregorium in nocturnis Responsoris vehementer, & dissolutè somnolentos ad vigilandum hortari: in Antiphonis planè, atque suaviter sonare: in introitibus quasi voce præconis ad divinum officium evocare: in Alleluja & versibus divino jubilo dulciter gaudere: in tractibus & gradualibus protensè, atque humiliter procedere: in offertoriis, & communionibus quamdam servare mediocritatem. Ut ipse verò cantus supernæ Patriæ lætitiæ indicet, aliquando sine voce longum edit sonum jubilationis pluribus notis sub una syllaba descriptis, quod maximè fit hac voce *Alleluja*. Illi enim qui cantant, ait Augustinus^m, cum ceperint in verbis Canticorum exultare lætitiæ, veluti impleri tanta lætitiâ, ut eam verbis explicare non possint, avertunt se à syllabis verborum, & eunt in sonum jubilationis. Jubilus sonus quidam est significans cor parturire quod dicere non potest. Et quem decet ista jubilatio, nisi ineffabilem Deum? Ineffabilis enim, quem fari non potes; & si eum fari non potes, & tacere non debes, quid restat nisi ut jubiles? Ut gaudeat cor sine verbis, & immensa lætitudine gaudiorum metas non habeat syllabarum. Narra- rat Joannes Diaconusⁿ in vita Magni Gregorii, qualiter Beatissimus Pontifex Cantorum scholam instituerit, & cantum Ecclesiasticum reformavit. Queritur autem Gallos, & Germanos, Gregorianis cantibus quædam propria miscuisse: cujus rei hanc reddit rationem. Alpina siquidem corpora vocum suarum tonitruis altifone perstreptentia susceptæ modulationis dulcedinem propriè non resultant: quia bibuli gutturis barbara feritas dum inflexionibus, & repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, naturali quodam fragore quasi plaustra per gradus confusè sonantia rigidas voces jactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exasperando magis ac obstrependo conturbat. Refert deinde, qualiter Carolus Magnus cantum Ecclesiarum Galliæ ad Romanæ dulcedinis præscriptum revocavit, directis in Gallias ea de causa duobus cantoribus à Sanctissimo Papa Adriano. Scribit Henricus de Knyghronⁿ Canonicus Leycestren. libro 2. de eventibus Angliæ circa annum 1072. fuisse quemdam

¹ Franchin. l. 3. c. 8. in Aug. in Psal. 32. Conc. 14
ⁿ 19. Diacon. l. 2. cap. 6. seqq.

ignominiosum Abbatem nomine Thuristinum, qui inter ceteras stultitiæ suæ ineptias Gregorianum cantum in officio aspernatus, Monachos cœpit compellere, ut Wilielmi cujusdam Fificanensis Monachi cantum excercerent. Hujus ineptiam in fine præcedentis sæculi quidam imitati cantum quemdam ridiculum expulso Gregoriano introduxerant, non sine maximo Ecclesiasticæ gravitatis detrimento. Sed hæc de cantu dicta sunt satis, jam rectè canendi disciplinam breviter explicare ex sanctis Patribus aggredior.

S. V.

Qualis esse debeat Ecclesiasticus cantus.

Quæ vitia à Cantoribus vitanda. Quinam conseantur bene cantare. Quæ vera musica, quis verus anima concertus sit.

1. **V**Nde autem mihi potius exordium, quàm à sanctissimo Patre Bernardo^o in re præsertim ascetica, & religiosa^o is igitur Epistola ad Abbatem Arremarensem qualis debeat esse cantus sic describit. Cantus plenus sit gravitate, nec lasciviam resonet, nec rusticitatem. Sic suavis, ut non sit levis: sic mulceat aures, ut moveat corda. Tristitiam levet, iram mitiget, sensum literæ non evacuet, sed fecundet. Non est levis jactura gratiæ spiritualis levitate cantus abduci à sensuum utilitate, & plus sinuandis intendere vocibus, quàm rebus insinuandis. Item ꝑ alibi cantantium vitia sic redarguit. Sunt quidam voce dissoluti, qui vocis suæ modulatione gloriantur, nec tantum gaudent de dono gratiæ, sed etiam alios spernunt. Tumentes elatione aliud cantant, quàm libri habeant, tanta est levitas vocis, forsitan & mentis. Cantant, ut placeant populo, magis quàm Deo. Si sic cantas, ut ab aliis laudem quæras, vocem tuam vendis, & facis eam non tuam, sed suam. Habes in potestate vocem tuam, habeto & animum. Frangis vocem, frange & voluntatem. Servas consonantias vocum, serva & concordiam morum. Cave ne sicut delectaris altitudine vocis, delecteris elatione mentis. Ingenium musicum à proportionem in voce reducendum esse ad proportionem in men-

te ostendit Plotinus^o. Nimis enim indignum videtur, & nimis flendum, ut ait Augustinus^o, per suam scientiam versum bene currere, citharamque concinnare, & suam vitam, seque ipsam quæ anima est devium iter sequi, & dominante sibi libidine cum turpissimo se vitiorum strepitu dissonare. Extat etiam in antiquissimo nostri Ordinis statuto optima canendi institutio, quam idem sanctissimus Pater Bernardus suis discipulis reliquit. Psalmodiam, inquit, non nimium protrahamus, sed rotundè & viva voce cantemus. Metrum & finem versus simul intonemus, & simul dimittamus. Punctum nullus teneat, sed statim dimittat. Post metrum bonam pausam faciamus. Nullus ante alios incipere, & nimis currere præsumat, aut post alios pneuma trahere, vel punctum tenere. Simul cantemus, simul pausemus semper auscultando. Quicumque incipit Antiphonam, aut Psalmum, Hymnum, Responsorium, Alleluja, unam aut duas partes solus dicat aliis tacentibus: & ab eo loco, quo ille dimittit, alii incipiant non repetentes, quod ille jam dixit. Monemus vos dilectissimi, ut, sicut reverenter, ita & alacriter Domino assistatis non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, & remissis vocibus muliebri quiddam de nare sonantes, sed virili sonitu & affectu voces sancti Spiritus depromentes. Viros enim decet virili voce cantare, & non more femineo tinnulis vel falsis vocibus veluti histrionicam imitari lasciviam; & idè constituimus mediocritatem in cantu servari, ut gravitatem redoleat, & devotio conservetur. Hæc statutum Cisterciense. Liqueat autem ex dictis, quænam debeant vitia Ecclesiastici cantores evitare.

2. Et primò quidem receptum à majoribus cantum integrum oportet, & illibatum custodire, ne si semel aberrare cœperimus à semitis antiquis, quas posuerunt Patres nostri, paulatim inconsultis mutationibus religionis integritas destruat. Mutant mores qui mutant cantum, ut supra ex Platone monstratum est. Deinde in ipso cantu auream decet servari mediocritatem, ut, qui beneficii fructus, corporisque alimenta integra percipere volunt, integrum etiam persolvant officium, non tumultuaria quadam præcipatione

T t t t 3 lon.

^o Bern. Ep. 312. & sup. Cantic. serm. 47. ꝑ Idem, sitamen ipse est, de inter, domo. cap. 51.

^o Plotin. Em. 1, lib. 3. cap. 1. & Aug. lib. 2. de ordine cap. 2.

longiores notularum decursus transilientes, sed moderata aequalitate omnes notas ita proferentes, ut nimia acceleritate, ac morosa protractione sublata ex dulci vocum concordia omnes fideles edificentur. Alioquin extra legem caudenti dicit Deus *f*, *Aufer a me tumultum carminum tuorum, & cantica lyrae tuae non audiam.* Nec ad solam cantus suavitatem intendere oportet, ut monet Dorotheus *t*, sed mens etiam, ut par est, incalescat in virtute sermonum. Apud Xenophontem *u* Rex Cyrus quosdam convivae sic reprehendit: Omnes enim clamabatis simul, & intelligebatis invicem nihil, canebatis magno cum ridiculo, & cum canentem minimè audiretis, jurabatis optimè eum canere. Hac redargutione quidam Ecclesiastici perstringi possent, qui modum in cantu non servantes inane quoque stridore ita prestrepunt, ut nec ipsi, nec alii ea quae cantantur, intelligant. Gregorius Nazianzenus *x* senilem narrans apologum, Cigni, inquit, Olim ad hirundines aiebant, si non multum, nec apud multos canimus, at illud certè in nobis pulcherrimum est, quod modum in canendo tenemus. Servanda quoque modestia in cantu est, quia, ut sanctus docet Ambrosius *y* in ipso canendi genere prima disciplina verecunda est, ut sensim quis aut psallere, aut canere incipiat, ut verecunda principia commendent processum. Nam quid in plano cantu stridulis, inamoenis, & superacutis vocibus obstreperere necesse est, cum talis clamor immoderatus stomachum turbet, venas exhauriat, vires enervet, aures offendat, provocet risum, confusionem excitet, impediat devotionem? Non in clamosa voce, ait S. Benedictus *z*, sed in puritate cordis, & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Altè cantat apud Deum humilitas, sicut dicit Scriptura *a*. *Oratio humiliantis se penetrat nubes.* Nec minoris culpae reos illos existimo, qui praeter religionis gravitatem vocem, ut ajunt, frangentes, dum dulcioribus modulis populo magis, quam Deo placere desiderant, & vanitatis studio Deo displicent, & scandali occasione populum offendunt. Vanam istorum curiositatem Joannes XXII. Ecclesiae Romanae summus Antistes gravi animadversione condemnat in ea extravagan-
ti quae incipit.

f Amos 5. 23. *t* Dorothei. initio doct. 22. *u* Xenoph. 1. Cyripad. *x* Greg. Naz. Ep. 1. *y* Ambros. l. 1. de offic. cap. 18. *z* Bened. in Regula cap. 20. & 25. *a* Eccl. 35. 24.

Doctrina sanctorum Patrum. Divus etiam Hieronymus *b* eosdem redarguit dicens; Audiant haec adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum: nec in tragediorum modum guttur, & fauces dulci medicamine colliniendas, ut in Ecclesia theatrales modi audiantur, & Cantica; sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum. Quamvis sit aliquis, ut illi solent appellare, *καὶ οὐ φωνῆς*, si bona opera habueris, dulcis apud Deum cantor est. Haec autem verba S. Doctoris citat & amplificat Agobardus Episcopus Lugdunensis libro de correctione Antiphonarii. Denique damnati sunt illi, qui parcentes vocibus suis rapinam faciunt in holocaustis, qui vitulos scilicet labiorum suorum Domino reddere negligentes vel dolorem capitis, vel stomachi debilitatem, vel exilitatem vocis praetendunt ad excusandas excusationes in peccatis: cum revera totum in eis sibi vendicent mentis evagatio, distractio cordis, carnis inertia, & propriae salutis incuria. Non enim considerant, quod qui a communi labore se subtrahunt, communi etiam retributione carebunt, & qui Ecclesiam servitute, proximum aedificatione, Angelos laetitia, sanctos gloria, Deum cultu defraudant; ipsi quoque Dei gratia, sanctorum suffragiis, Angelorum custodia, proximi adiutorio, Ecclesiae beneficiis se reddunt indignos. *Qui reminiscimini Domini:* ait Propheta *c*, *ne taceatis, neque detis silentium ei.* Psalmographus etiam dicit *d*, *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo; & e in se cantatio mea semper: & f Confitemini illi in voce labiorum vestrorum: & g Bene psallite illi in vociferatione.* Eis enim qui legitime canunt, & sapienter psallunt, inquit Rupertus Abbas *h*, remuneratio vel praemium erit carmen aeternum. Ergo, ut praecipit S. Benedictus *i*, sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae.

3. Haec optima symphonia est, quae non in vocibus tantum, sed & moribus resonat, & in recto virtutum temperamento. Musica, ait Cassiodorus *k*, est scientia bene modulandi, quod si nos bona conversatione tractemus, tali disciplinae probamur semper esse sociati: quando vero iniquitates gerimus, musicam non

b Hieron in cap. 5. ad Ephes. *c* Isai. 62. 6. *d* Ps. 33. *e* Psalm. 70. *f* Eccl. 39. 20. *g* Psalm. 32. *h* Rupers. lib. 10. in Apoc. *i* Bened. reg. cap. 19. *k* Cassiod. lib. de musica.

non habemus. Rectè Augustinus 1. Vis rectè psallere? Non solum vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. Cùm ergò voce cantaveritis: silebis aliquando; vita sic canta, ut nunquam sileas. Vis ut Deo tua jucunda sit laus? Noli bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus malis. Plus ille attendit quid vivas, quàm quid fones. Quam multi sonant voce, & corde muti sunt! Et quam multi tacent labiis, & clamant affectu! quia ad cor hominis aures Dei. Sicut aures corporales ad os hominis, sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Denique cantat Deo qui vivit Deo, psallit nomini ejus, qui operatur in gloriam ejus. Hæc Augustinus, cui ad stipulatur Origenes in his verbis; Quis putas ita canoræ vocis est, & ita spiritus puræ mentis, qui sincerè canat, ut cantilena ejus divinum delectare possit auditum? Ille profectò est, qui nullum raucum habet in se peccati sonum, qui nihil offensionis in lingua, nihil crassitudinis in spiritu gerit. Quid prodest sonoris vocibus personare, si vita dissona sit? Doces me, inquit Seneca, quomodo inter se acutæ ac graves voces consonent, quomodo nervorum disparem reddentium sonum fiat concordia; fac potius quomodo animus secum meus consonet, nec consilia mea discrepent. Monstras mihi qui sint modi flebiles, monstra potius quomodo inter adversa non emittam flebilem vocem. Sic & Diogenes Cynicus muscos in jus vocabat, quod cum lyræ chordas congruè aptarent, animi mores inconcinnos haberent. At quorum vita cum cantu, opera cum voce concordant, horum suavissima est harmonia, gratissimus Deo concentus. Sonet, ait ille ad talem animam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora: amici auscultant, fac me audire vocem tuam. O amoris ordinatissimas vices, o animæ amantis consonantissimam melodiam! Ergone credibile est sic Deum humanis cantibus delectari, ut animam sibi dilectam ultrò provocet ad cantandum? O cœlestem virtutum musicam, quæ exuperat omnem sensum, quæ resonat in anima justæ; sed ab his qui foris sunt, qui non sunt amici, comprehendendi non potest. Facit Deus concentum istum cum sanctis suis, & unusquisque pro varietate

1 Aug. in Ps. 146. Et in Ps. 129. & 107. m Origen. hom. 6, in Iudic. n Senec. Ep. 88, o Lærtius lib. 6.

donorum sonum reddit vel gravem humilitatis, vel acutum vivæ fidei, vel superacutum charitatis. Harmonia devoti cordis concentum cœli dormire facit in modulis suis, si Deo & sibi ipsi concordat: & si cordis affectio cantat, Deus psallit, & exultat.

4. At ego Domine quali harmonia ad aures tuas personabo, qui totus dissonus per vitiorum cacophoniam esse reperio? A planta pedis usque ad verticem non est sanitas in me, & quomodo andebo tot cicatricibus deformis in conspectu tuo apparere? Numquid igitur à facie tua abscondar cum impio fratricida vagus, & profugus in terra: aut cum primis parentibus nuditatem meam inter folia, & virgulta ca labo? Sed quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam, cum scriptum sit, quia omnes qui elongant se à te peribunt? Ubi fugiam nisi ad te Deus meus? Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Ne avertas faciem tuam à me, qui eam non avertisti ab increpantibus & conspuentibus in te. Audi vocem meam secundum misericordiam tuam, & da sermonem rectum, & benè sonantem in os meum, ut placeant verba mea in conspectu tuo. Ecce tu summe concentor dabis voci meæ vocem virtutis, vocem dulcedinis & suavitatis, vocem bonorum operum invicem consonantium in organo charitatis. Sic erit beneplacita tibi musica mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Sic te largiente replebitur os meum laude tua, & cantabo tota die magnitudinem tuam. Sic per concordēs virtutum numeros ad antiquam baptismalis innocentie musicam revocabitur anima mea, donec cum Angelis, & Beatis felix diapason consummetur.

METRUM XLIV.

N Am me quis melior recreet sonus,
 Quam moribus vox consonans?
 Mystica transcendunt modulamina
 Quoscunque vocales tonos.
 Vera etenim menti, non sensibus
 Solet placere musica.
 O si perperum aures intimas
 Permutet mundi melos!
 O si dulcisonos pangat modos
 Latè patens vox ætheris!
 Quam subito citharas, atque organa,
 Chorique voces, & tropos
 Sperneret indocilis mortalitas

Afficta

*Affucta coeli cantibus !
 Harmonicis dissulant motibus :
 Latisque subsiliunt choris
 Astra polo lucentia, dum vago
 Caelum rotatur ambitu.
 Sic elementa animum dulcedine
 Aureisque complent cantibus,
 Cum modulis resonant gravioribus,
 Tonosque acutos temperant.
 Aethere sic terra consonat
 Canore miro musica.
 Respondetque recursio siderum
 Mundi sonoris motibus.
 Omnis ab harmonico systemate
 Et terra pendet, & polus.
 Ut nullus sit dissona litibus
 Natura musicae studet.
 Nempe tonis consistunt mysticis
 Quaecumque Phœbus aspicit.
 Complexuque suo omnia colligat
 Dulcis modorum suavitas.
 Nil concinna tamen concordia,
 Vocisque nil prodest melos :
 Dissona si morum sit musica,
 Deique iustis discrepet.
 Sese igitur veris concentibus,
 Suosque mores imbuat
 Psallere qui dignas laudes cupit,
 Numenque cantu flectere.
 Despicit orantium modulos Deus
 Cum moribus vox dissonat.*

5. Joannes Gerson triplici tractatu de Canticis ; itemque duodecim tractatibus super Magnificat totius musicae praxim moraliter, & anagogicè explicat diffusissimè, quem studiosus lector, non sine magno animæ profectu percurrat. Quid autem, & quotuplex sit musica morum, & virtutum, sine qua dissonat coram Deo musica vocum, & instrumentorum vir præclarissimus Absalon Abbas p his verbis exequitur. Planè musica ista vocalis ad laudem Dei satis congrua est, sed est alia quam docet supernus ille musicus, & illa nostræ saluti magis est necessaria. Sed quæ est illa musica, quam docet Deus ? Ipsa profectò triplici specie subdistinguitur, alia est enim animalis, alia spiritua-
 lis, alia cœlestis. Animalis est musica, quando sensus exteriores nihil superfluum appetunt, & à ductu rationis nequaquam discordant, ut visus non aspiciat vana, non auris audiat detractio-

p Absal. Abb. ser. 1. de Annunciat.

nes, vel iudicium sanguinis, non odoratus quaerat suavia, non gustus superflua, non manus extendatur ad illa cita. Istæ sunt quinque vocales animalis musicae facientes harmoniam, quæ dicitur diapente : constituitur enim de quinque corporis sensibus ordinatè constitutis. Spiritualis musica consistit in profectu virtutum, in gaudio spiritali, & morum suavitate, in timore Dei & amore fraternitatis, per quam harmonia efficitur, quæ diatessaron est appellata. Quatuor ergò virtutes principales illam efficiunt, ut sit in omnibus benè agentibus fortitudo ad auxilium, iustitia ad directionem, temperantia ad folatium, prudentia ad consilium. Cœlestis verò musica consistit in contemplatione Dei, in adeptione æternitatis, in mentis iucunditate, & immortalitate corporis : & facit hæc musica harmoniam, quæ dicitur diapason, siquidem octo beatitudines eam efficiunt. Hactenus ille. Hæc est musica, inquit Chrysostomus q, quæ Deum & Angelos lætificat, hæc torum in celo spectaculum excitat, hæc dæmonum furorem compefcit, & affectionum impetum demulcet. Nam dum charitas citharam pulsat, omnes affectiones silent, omnia quieta, omnia tranquilla sunt. Nos autem generibus musicae jugiter exerceamur, in concordia vocum & morum laudes divinas in hoc exilio decantantes, donec mereamur divinæ musicae confortes fieri, & ad consummatissimos cum sanctis Angelis Hymnos elevari.

q Chryf. hom. 40. in Act. Apostol.

CAPUT XVIII.

De variis ritibus, quibus utitur Ecclesia Catholica in recitandis divinis Officiis.

§. I.

Orthodoxam Ecclesiam varietatibus exornari. Varias Ecclesiarum consuetudines unitati fidei non obesse.

ECCLESIAM Christi sponfam varietatibus circum amictam Regius Psalter, eo Psalmo describit, quo verbum bonum eructans ejusdem cecinit Epithalamium. Eamdem horti

r Psalm 44.

horti nomine censerī, quem discolor florum diversitas ornat, Sponsus in Canticis asseverat dum ait *f*: Hortus conclusus es, soror mea Sponsa, hortus conclusus. Nil aptius ad decus Sponsæ, quam pretiosum indumentum multiformi gemmarum, colorumque nitore distinctum. Nil ad honestam recreationem magis idoneum, quam amoenissimus horti recessus omnium florum venustate resplendens. Sponsa igitur cum sit Ecclesia, decet eam variis gemmis, & monilibus ornata, variaque suppellectile divitem esse. Hortus voluptatis cum sit, eam debent omnium generum flores in varias areolas dimensi exornare. Quid autem vestes, quid flores multicolores sunt, nisi varietas sacrorum rituum, quibus Ecclesiastici viri Deo laudes persolvunt? Alias enim consuetudines Eccles. Romana, alias habet Mediolanensis: aliis ceremoniis utuntur Monachi, aliis Clerici, suntque diversæ diversarum Eccles. in recitandis officiis institutiones. Unam quidem Ecclesiam universalem, & orthodoxam confitemur; aut unius corporis plura membra diversa obire munia in unum finem tendentia quis nescit? aut quis adeo stupidæ mentis est, quem non rerum diversitas oblectet? Accedit ad delectationem omne ferens punctum utilitas. Nam ut gentium ac nationum mores diversi sunt, ita ad actus religionis, cultumque divinum diversis utuntur institutis, quæ salva Christianæ fidei integritate vix possent ab eis vel omitti, vel auferri. Quocirca optimum est, ait S. Isidorus, ut gravis prudensque Christianus eo modo agat, quo agere videtur Ecclesiam, ad quam forte devenit. Quod enim neque contra fidem, neque contra mores bonos habetur, indifferenter sequendum, & propter eorum inter quos vivitur societatem servandum est, ne per diversitatem observationum schismata generentur. Varias illas fide Ecclesiarum consuetudines esse docet Ratramnus Monachus Corbeiensis l. 4. contra Græcorum opposita doctè & luculenter. Laurentius à Willavincencio Xeresanus l. 4. de ratione studii Theologici cap. 4. Neminem, inquit, offendere debet, quod in diversis Ecclesiis diversæ ceremoniæ in usu habentur. Etenim maxima in hoc genere semper fuit Ecclesiarum libertas ex libertate illa spiritali profluens, quam Christus dilectæ Sponsæ Ecclesiæ suæ morte vindicavit. Præterea non conveniunt quævis quibusvis locis: quippè alia in populosa civitate, alia in

angusto oppidulo aut obscuro vico fieri & possunt & debent. Ad hæc quædam alicubi retinentur, quia videlicet nullum ibi vitium accessit: alibi verò eadem propter obortum vitium sunt abolitæ. Novas insuper introduci postulat subinde ipsa temporis ratio. Denique nullæ unquam ab hominibus eum ad finem sunt conditæ, ut perpetuæ & immutabiles maneant.

2. Extant in sacris canonibus * multæ de hac re sanctorum Patrum auctoritates. In iis rebus, inquit canon ex verbis D. Augustini, de quibus nihil certi statuit Divina Scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum pro lege tenenda sunt: & sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt. Item; Catholica Ecclesia per orbem terrarum diffusa tribus modis probatur existere: quicquid enim in ea tenetur, aut auctoritas est Scripturarum, aut traditio universalis, aut certè propria & particularis institutio. Et infra *, ex Epistola Leonis Noni: Scit S. Romana Ecclesia, quod nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco & tempore consuetudines. Nicolus quoque Primus Epistola secunda ad Photium sic scribit. De consuetudinibus, quas nobis opponere visi estis scribentes per diversas Ecclesias diversas esse consuetudines, si illis canonica non obstat auctoritas, pro qua obviare debeamus, nihil judicamus, vel eis resistimus. Item Gregorius Magnus ad Augustinum Anglorum Episcopum: Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam: sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Gallicana, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesiam, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere poteris, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Narrat Augustinus z sibi dubitanti de his multimodis Ecclesiarum observationibus dixisse Ambrosium, Ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Fulbertus * Carnotensis eleganter de hac re ad Finardum scribens disserit. Novit, & verè novit serenitatis vestræ prudentia, quod in Ecclesiasticis officiis plura sunt, in quibus orientales Ecclesiæ & nostræ communi obser-

V V V V V

vazione

* Cantic. 4. 12. t. *Isid. de Eccl. offic. l. 1. c. 43.*

u *Dist. 11. c. 7. & 8.* x *Dist. 12. c. 3.* y *Dist. 12. c. 10.* z *Aug. Ep. 118. ad Iannarium.* a *Fulbert. ep. 2.*

vatione sibi respondent: sunt vero alia in quibus alias ab aliis cultu dispari, & varia observatione audivimus dissonare. Nec tamen nos offendit observantia diversitas, ubi fidei non scinditur unitas. Porro in multis Græcia ab Hispania, ab illis Romana, & Gallicana discrepat Ecclesia. Sed neque in hoc scandalizamus, si audimus diversam observationem, sed non diversam fidem in Christi semper Ecclesiis extitisse. Stat enim Regina Ecclesia à dextris Regis sui in vestitu deaurato circumdata varietate. Hæc Fulbertus. Legendus de hac re vir doctissimus Joseph Vicecomes toto libro secundo de antiquis ritibus Missæ. Olim consueverant omnes Ecclesiæ suæ Metropolitanæ institutionem in divinis officiis observare, de qua re habemus decreta Conciliorum Toletani ^b, & Braccharensis. Sed ut solent humanæ res multis erroribus obnoxia depravari plerumque, & in deterius labi; tanta paulatim licentia irrepsit, ut singuli Episcopi infcio Romano Pontifice privatos sibi ritus assumerent, non sine magna divini cultus perturbatione. Hanc nimiam orandi varietatem gravissimè ferens sanctissimus Pontifex Pius V. Romanum Breviarium magno studio emendatum, & juxta decretum Tridentini Concilii pristino nitore restitutum divulgari iussit, eoque sic correcto omnes Ecclesias uti præcepit: quæcunque alia Breviaria abstulit, & abolevit, iis dumtaxat exceptis, quæ vel à sancta Sede Apostolica jam à primæva institutione approbata, vel ducentis annis antiquiora fuissent. Sic pluribus Breviariis antiquatis Ecclesiastici officii diversitates ad multo minorem numerum redactæ sunt. Porro hoc capite eos ritus describere, quia adhuc vigent, propositum mihi est. Sed præmoneo, ne quis mihi succenseat, si suæ forsitan Ecclesiæ peculiare in divinis laudibus institutiones non attigero: nam nec totum Christianum orbem peragrarè potui, nec omnes officiorum Codices nancisci, quo usus omnium Ecclesiarum perdiscerem. Ergo necessitati, non voluntati tribuendum est, si quid fortassis prætermisero, quod hanc tractationem illustrare potuisset.

^b *Dist. 12. ca. 13. & 14.*

S. II.

De ritu Romano.

1. **S**ancta Romana, & Apostolica Ecclesia mater & firmamentum veritatis, Ecclesiastica disciplina Magistrâ primum debet in hoc tractatu locum habere, quæ potestatis eminentia super omnes excellens ab ipso Christo primatum accepisse dignoscitur, cum Beato Petro ligandi atque solvendi tradidit Pontificium. Psalterium per Hebdomadam diu noctuque sic Romani distribuunt. Die Dominica ad Nocturnos duodeviginti concinunt Psalmos à primo usque ad 20. inclusivè, omillis quarto, & quinto. Reliquis diebus duodecim Psalmos hoc ordine allignant. Feriæ secundæ Psalmum 26. *Dominus illuminatio*, usque ad 37. *Domine ne in furore*. Feriæ tertiæ Psalmum 38. *Dixi custodiam*, usque ad 51. *Quid gloriaris*, omillis in medio 42. *Judicame Deus*, & 50. *Miserere*. Feriæ quartæ Psalm. 52. *Dixit insipiens*, usque ad 67. *Exurgat Deus*, omillis 53. *Deus in nomine tuo*, 62. *Deus Deus meus* 64. *Te decet*, & 66. *Deus misereatur*. Feriæ quintæ Psalm 68. *Salvum me fac Deus*, usque ad 79. *Qui regis Israel*. Feriæ sextæ Psalm. 80. *Exultate Deo*, usque ad 95. *Dominus regnavit*, omillis 89. *Domine refugium*, 90. *Qui habitat*, 91. *Bonum est confiteri*, 92. *Dominus regnavit decorem indutus est*, & 94. *Venite exultemus*. Sabbatho Psalm. 97. *Cantate Domino*, usque ad 108. *Deus laudem meam ne taceris*.

Ad Laudes semper dicunt quatuor Psalmos, & unum Canticum ex veteri Testamento. Diebus Dominicis, & festis primo loco ponitur Psalmus 92. *Dominus regnavit*, diebus profestis Psalm. 50. *Miserere mei Deus*. Secundo loco diebus festis Psalm. 99. *Jubilare Deo*. Feriæ 2. Psalm. 5. *Verba mea*. Feriæ 3. Psalm. 42. *Judicame Deus*. Feriæ 4. Psalm. 64. *Te decet*. Feriæ 5. Psalm. 89. *Domine refugium*. Feriæ 6. Psalm. 142. *Domine exaudi*. Sabbatho Psalm. 91. *Bonum est confiteri Domino*. Tertio loco semper dicitur Psalm. 62. *Deus Deus meus*, cum Psalm. 66. *Deus misereatur*, sub una conclusione. Quarto loco inseritur Canticum; diebus scilicet festivis Canticum trium puerorum *Benedicite*. Feriæ secunda Canticum Isaia *Confitebor*. Feriæ 3. Canticum Ezechia *Ego dixi*. Feriæ 4. Canticum Annæ *Exultavit*. Feriæ 5. Canticum Moyfis *Cantemus Domino*.

mino. Feria 6. Canticum Abacuc. *Domine audiivi*. Sabbato alterum Canticum Moysis *Audite cœli*. Quinto loco sub unica clausula dicuntur tres ultimi Psalmi *Laudate Dominum de cœlis*, *Cantate Domino*, & *Laudate Dominum in sanctis eius*.

Ad Primam diebus festis, & Sabbato dicuntur tantum tres psalmi, scilicet Psalm. 53. *Deus in nomine tuo*, & duæ sectiones Psalm. 118. *Beati immaculati*, & *Retribuere*. Cæteris diebus quartum Psalmum adjungunt, nimirum die Dominica Psalm. 117. *Confitemini*. Feria 2. Psalm. 23. *Dominus est terra*. Feria 3. Ps. 24. *Ad te Domine*. Feria 4. Psalm. 25. *Judica me Deus*. Feria 5. Psalm. 22. *Dominus regit me*. Feria 6. Psalm. 21. *Deus Deus meus respice in me*.

Ad Tertiam, Sextam, & Nonam semper iidem psalmi repeti solent: ad Tertiam *Legem pone*, ad Sextam *defecit*, ad Nonam *Mirabilia*, quæ sunt divisiones Psalmi 118.

Ad Vesperas quinque quotidie Psalmos percurrunt incipientes die Dominica à Psalm. 109. *Dixit Dominus* usque ad Psalm. 148. exclusivè: omittis tamen in medio Psalm. 117. *Confitemini*. 118. *Beati immaculati* 123. *Ecce nunc*. & 142. *Domine exaudi*.

Ad Completorium dicunt quotidie Psalm. 4. *Cum invocarem*: deinde sex primos versus Psalm. 30. *In te Domine speravi*: tum Psalm. 90. *Qui habitat*: demum Psalm. 133. *Ecce nunc*. Sic totus liber psalmodiarum unica Hebdomada psallendo percurritur, quem ritum, licet psalmis alia ratione distributis, etiam Monachi observant. Ambrosiani verò, ut videbimus, duplicis Hebdomadæ circulo psalterium explent. Omnes autem nationes occidentalis Ecclesiæ in hoc conveniunt, quod Psalm. nocturnos cum Psalm. 109. *Dixit Dominus* exclusivè terminant, & exinde diurnos incipiunt. Romani autem officii ferias hæc est.

2. In Nocturnis dicunt secretò *Pater, Ave, & Credo*: deinde clara voce *Domine labia mea aperies*; *Deus in adiutorium*, *Gloria Patri*. Sequitur Invitatorium cum psalmo *Venite exultemus*: & repetito Invitatorio dicitur Hymnus. Postea recitantur psalmi nocturni. Sed Nocturnorum triplex distinctio est. Aliter enim diebus Dominicis, aliter diebus festis, aliter diebus ferialibus procedunt. Diebus Dominicis in primo Nocturno duodecim psalmos cum tribus Antiphonis psallunt per ternas divisiones qua-

tuor psalmodiarum. Post Antiphonam ultimi psalmi dicitur Versus, postea Oratio Dominicalis, tum absolutio, & tres Lectiones cum tribus Responsoris, præmissa singulis Lectionibus benedictione. In secundo, & tertio Nocturno dicuntur tres psalmi cum suis Antiphonis, totidemque lectiones, ac Responsoris modo prædicto. Tertio cuique responso additur gloria sanctissimæ Trinitatis. Post nonam Lectiorem agitur solemnitas gratiarum actio per Canticum *Te Deum laudamus*, atque hoc modo Nocturnæ Vigiliæ diebus Dominicis terminantur. Hunc Nocturnorum ritum; ut scilicet prius psalmi, deinde Lectiones, & reliqua dicantur, existimant Baronius & per ea verba Apostoli * adumbrari, *Cum convenitis unusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, & quæ sequuntur*. Per tria verò Nocturna tria tempora denotari legis Naturalis, legis Scripturæ, & Evangelicæ gratiæ docet Bonaventura *. Ideo in tertio Nocturno lectiones legi solent ex novo Testamento. Eadem ratio in Nocturnis festivitatum observatur, nisi quod in primo tres tantum psalmi cum suis Antiphonis recitantur, totidemque in secundo, & tertio. Nocturnum verò feriale alio modo procedit: dictis enim omnibus ut supra usque ad Hymnum inclusivè, mox duodecim psalmos cum sex Antiphonis persolvunt, post quos tres Lectiones sequuntur ritu superscripto: & si dicendum sit Canticum *Te Deum laudamus*, post ultimam lectionem omisso Responso subsequi debet. In his autem Vigiliis numerum duodenarium psalmodiarum Angelo revelante stabilitum fuisse constans sanctorum patrum consensus apud Joannem Cassianum lib. 2. de institutis cenobiorum asseverat. Nec caret mysterio hæc institutio. Nam duodenarius numerus, cum sit plenæ & consummate virtutis, temporis & rerum exprimit universitatem: & quia Dominum omni tempore benedicere debemus, eo psalmodiarum numero in ejus laudibus utimur, quo temporis plenitudo designatur. Verùm, quia omne tempus sex ætatibus mundi continetur, duodecim psalmos sex tantum Antiphonis jungimus. Accedit quod horæ noctis duodecim sunt, in quibus Dei Custodia muniri totidem psalmodiarum modulatione postulamus.

Finito Cantico *Te Deum laudamus*, vel si hoc non dicatur, post ultimum Responso

V V V V V 2 statim

c Pater. an. 57. mm. 161. * 1. Cor. 14. 26. d Bonavent. in Ps. 76.

statim incipiunt Laudes, præmissis versu *Deus in adiutorium*, post quem sequuntur Psalmi cum suis Antiphonis, tum Capitulum, Hymnus, Versus, Canticum Zachariæ cum Antiphona: deinde preces, si dicendæ sint, Salutatio, Collecta, Commemorationes, si occurrant, ac demum Antiphona de B. Virgine, & sic finiuntur Laudes.

Prima diei hora sic peragitur. Dicuntur primo *Pater, Ave, Credo, Deus in adiutorium*. Tum Hymnus semper idem *Jam lucis orto sidere*: Psalmi cum unica Antiphona, quibus die Dominica additur Symbolum Athanasii, Capitulum, Responsorium breve, Versus, Preces, Confessio, Oratio, ac denique lectio Martyrologii.

Tertia, Sexta, & Nona eodem modo perfolvuntur. Dictis secretò *Pater & Ave*, sequitur divini adiutorii imploratio, tum Hymnus, Psalmi, Antiphona, Capitulum, Responsorium, Versus, Collecta, & finis. Per has horas repetitur quotidie Psalmus 118. in 22. octonaria juxta numerum Hebraicarum literarum divisus. Eo enim artificio compositus est, ut omnes Versus primi octonarii incipiant à prima litera *Alph*, octo Versus sequentes à litera *Beth*, & sic deinceps; quod factum est literaliter memoriæ juvandæ gratia: mysticè verò ut, quemadmodum parvulorum ingenia primis literarum elementis legendi usum addiscunt: ita nos hujusmodi elementis usum discamus vivendi. Hic autem Psalmus totus moralis est tantò profundior mysteriorum sublimitate, quò aperiens est superficie verborum. Fervens in eo studium ostendit Propheta erga Dei mandata, quare nullus est Versus, si unum excipias *Suscipe servum tuum in bonum*, in quo mandatorum Dei mentio non habeatur, una ex hisce vocibus adhibita quæ ferè idem significant, lex, via, justificatio, semita, mandatum, præceptum, iudicium, testimonium, justitia, verbum, eloquium, veritas.

Vesperæ cum Laudibus conveniunt, nam post Orationem Dominicam, & Angelicam salutationem divinum auxilium imploratur. Deinde quinque Psalmi dicuntur cum Antiphonis: tum Capitulum. Hymnus, Versus, Canticum B. Virginis, Preces, & cætera sicut in Laudibus.

Completorium à brevi Lectione incipit, postquam Oratio Dominica, Confessio, *Converte nos Deus, Deus in adiutorium*, Psalmi cum

Antiphona, Hymnus, Capitulum, Responsorium, Versus, Canticum Simconis, Preces, Oratio, Benedictio, Antiphona B. Virginis cum oratione ac tandem *Pater, Ave, & Credo* subsequuntur. Hoc est Officium Romanum, cuius allegoricas rationes curioso lectori suppeditabunt Amalarius Fortunatus, Honorius in Gemma animæ, Durandus in rationali, & alii sacrorum rituum explanatores. Hic eas ego prætermittendas existimavi, tum quia omnes officii partes supra seorsim explicavi, tum quia hujusmodi allegoriæ curiosam potius subtilitatem continere videntur, quàm solidam legendium utilitatem.

§. III.

De ritu Monastico pro his qui militant sub Regula S. Benedicti. Præmittuntur quædam de excellentia hujus sanctissimi Monachorum Patriarchæ.

SANCTISSIMUS Monachorum Patriarcha, & legislator Benedictus, cum Magni Gregorii testimonio omnium justorum spiritu plenus esset, Monachos à Clericis ut conversatione, ita & officio discerni debere existimavit. Itaque pro illis specialem ritum instituit à præfato Gregorio Romano Pontifice approbatum, cunctarumque Monasticarum Congregationum longa & laudabili consuetudine confirmatum. Nulla laus est, quæ hujus officii excellentiam assequi possit. Ab eo enim compositum, ordinatumque est, qui non omnium justorum tantum, sed & ipsius Dei spiritu plenus tantam in hac fragili carne gratiam obtinuit, ut raptus cum Paulo usque ad tertium, & archetypum cælum Angelorum psallentium choros audierit, & ipsum Dominum majestatis viderit facie ad faciem in momento supernæ claritatis lumine gloriæ illustratus. Est quidem inter Scholasticos diu agitata disputatio, an aliquis in hac vita videre possit divinam essentiam: sed ego ut eorum sanctitatem & doctrinam veneror, qui negantem controversiæ partem tuentur, nunquam tamen argumentis illorum adduci potui, ut Patri meo Benedicto hanc prærogativam denegarem, ut Moysen interim, & D. Paulum omnittam: Debuit enim singularis illius sanctitas singulari aliquo munere insigniri. Non desunt huic assertioni multæ

multæ rationes ad Scholasticam libellam summo rigore examinata: verum pro meo instituto aliquot testes dumtaxat profero, quorum auctoritas dictis conciliet fidem. Primus est Gregorius Magnus ^e, qui Benedicti raptum narrans in dialogis; Totum, inquit, mundum sub uno Solis radio collectum vidit: mox edisserens quæ id ratione potuerit fieri, subdit; Videnti enim Creatorem angusta est omnis creatura. Secundus testis est Bernardus, qui explicans versiculum illum psalmi, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, & scribens de ea cognitione, quam animæ beatorum habent in patria; Ad quam nimirum, ait, excellentiam licet ad modicum rapta fuisse videtur anima illa beata, quæ collectum sub uno solis radio mundum uniuersum conspexit. Accedit tertio loco Rupertus Abbas Tuitiensis, qui huic veritati adstipulatur lib. 12. de gloria, & honore filii hominis: quem sequuntur Bonaventura serm. 20. de luminariibus Ecclesiæ, Dionysius Carthusianus serm. de S. Benedicto, Ludovicus de Prullia in Trilogio animæ parte 2. cap. 18. & Joannes Thaulerus cap. 12. institutionum: atque hanc sententiam probabilem pronunciauit in sua varia Theologia vir doctissimus Maximilianus Sandæus ^f. Hanc sancti Patris prærogativam libuit commemorare, quo ejus eximia virtus clarius elucesceret. Non est autem hoc loco & illud prætermittendum, quod quidam ^g scribunt; sanctum videlicet Benedictum adhuc maternis clausum visceribus clarè, & distinctè cum sorore Scholastica cecinisse, quo portento præsignata pueri sanctitas fuerit, Ordinisque Monastici ab eo instituenti alacritas in psallendis divinis laudibus præostensa. Sed quod nullum hujus rei antiquum proferant testem, merito suspecta videtur. Faciunt tamen prodigio fidem alia non dissimilia à probatis Auctoribus scripta. Augustinus ^h lib. 3. de civitate Dei in Ethnicorum libris scriptum asserit infantes nondum natos de uteris matrum quædam verba clamasse: ac ibidem commentator Valentinus refert ex Tito Livio ⁱ infantem Marucia Jo triumphæ in utero matris clara voce

^e Greg. lib. 2. dialog. cap. 35. ^f Sand. lib. 3. comment. 42. exercit. 2. ^g Bonif. Simoxeta lib. 4. Christian. persecut. epist. 20. Gerardus Belgæ in Meditationibus die 11. Decembris. Iepex. centur. 1. chron. Benedictini, & alii recentiores. ^h August. de civit. lib. 3. c. 31. ⁱ Tit. Liv. lib. 24.

protulisse. Scribit Eulogius in præfatione primi libri Memorialis sanctorum, sanctum Isaacum Monachum, & Martyrem tribus vicibus una die loquutum fuisse antequam nasceretur. Sanctus quoque Gerardus ter in ventre matris vagitus emisit teste Odone Cluniacensi ^k in ejus vita.

^k Odolib. 1. cap. 3.

METRUM XLV.

Lux oculos divina serit, descendit ab alto
Culmine caelorum globus igneus.
In medio veneranda senis præfulget imago,
Mirantesque animos ad se trahit.
Quis novus hic Heros? quod sidus? quæ nova
caeli
Progenies variat rerum vices?
An novus occiduis surgit rubicundus ab oris
Phœbus, & Eoi obscurat faces?
An Benedictus hic est Italia lux maxima genis,
Militiæque sacræ dux i. clyt. s?
O properate omnes, ille est. Quam multus clivem
Prosequitur Monachorum exercitus?
Quam pia festivo glomeratur pompa triumpho,
Atque Patrem lætis celebrat choris?
Huc ades o mundi columen, spes altera terræ,
O & præsidium perenni ium.
Dexter ades, placidusque melos, quod pangimus:
audi
Carminibusque tuis Pater annue:
Te carinus Regum soboles, divina propago,
Non sine summi plausibus ætheris.
Te celebrat tellus, mare tibi concinit, omnis
Te dignis gens laudibus evexit.
Aurea submitunt proceres tibi stemmata, curva
Te Reges venerantur poplite.
Te penes est morum probitas, studiosaque recti
Norma, fidesque, & cultus Numinis.
Te pietas gremio fovit, te candida virtus
Nascentem tenero excepit sinu.
Diceris harmonicis materna clausus in alvo
Motibus exulasse, & cantibus.
Jam tunc divinis præludens laudibus, orbem
Queis jugiter docuisti incumbere.
Diceris & faciem clarè vidisse Tonantis
Aetherco persusus lumine.
Nempè serenata caelos in mente strebas,
Atque Deum claudibus pectore.
Sic miseris poteris terris Deus alter haberi,
Ni rapuisset te mors invida.
O Pater, o tandem Monachorum respice cœtus,
V V V V V 3 Aiq. e

Atque tuis da vivere moribus.
Aspice, nec vasto luctantes desere ponto,
Et nostrum repara antiquum decus.

2. Psalterium à Diyo Benedicto per dies, & horas sic distributum est, ut totum unius hebdomadæ circulo compleatur. Psalmos autem longiores in duas partes divisit. Nocturnis semper 12. Psalmi assignantur: sed Dominicis ac festiuis adjunguntur tria Cantica è veteri Testamento, ut mox videbimus. Vigiliæ diei Dominicæ incipiunt à Psalm. 20. *Domine in virtute tua*, usque ad 31. *Beati quorum*, inclusivè. Vigiliæ secundæ feriæ à Psal. 32. *Exultate justii in Domino*, ad 44. *Eruclavit*, omillis in medio 35. *dixit injustus*, & 42. *Judica me Deus*: atque divisio in duas sectiones Psalm. 36. *Noli emulari*, quæ divisio fit in versu, *declina à malo*. Feria tertia initium est à Psalm. 45. *Deus noster refugium*, ad 58. *Eripe me*: omillis 50. & 56. *Misere mei Deus*. Feria quarta à Psal. 59. *Deus repulisti*, ad 72. *Quam bonus Israel Deus*, omillis quatuor. 62. *Deus Deus meus*, 63. *Exaudi Deus*, 64. *Te decet*, 66. *Deus misereatur*, & divisio duobus 67. *Exurgat Deus*, in versu *Benedictus Dominus die quotidie*, & 68. *Salvum me fac Deus*, in versu, *Exaudi me domine*, Fer. 5. à Psalm. 73. *Ut quid Deus*, ad 84. *Benedixisti*, omisso 75. *Notus in Judæa Deus*, & divisio 77. *Attendite* in versu. *Et dilexerunt eum*. Feria sexta à Psalm. 85. *Inclina ad* 100. *Misericordiam & judicium*: omillis quinque. 87. *Domine Deus salutis meæ*, 89. *Domine refugium*, 90. *Qui habitat*, 91. *Bonum est*, 94. *Venite exultemus*: & divisio 88. *Misericordias Domini*, in versu *Tunc locutus es*. Sabbato à Psalm. 101. *domine exaudi*, ad 108. *Deus laudem meam*: divisio 102. *Benedic*, in versu *Hoc mare magnum*, 104. *Confitemini*, in versu *Et intravit Israel*, 105. *Confitemini*, in versu *Et irritaverunt*, 106. *Confitemini*, in versu *Dixit & stetit*.

Ad laudes semper dicitur primo loco Psalm. 66. *Deus misereatur sine Antiphona*, deinde cum Antiphona Psalm. 50. *Misere mei* tam in Dominicis, quam in feriis; quem sequuntur alii duo Psalmi singulis diebus diversi, videlicet die Dominica 117. *Confitemini*, & 62. *Deus Deus meus*. Feria secunda 5. *Verba mea*, & 35. *Dixit injustus*. Feria tertia 42. *Judica me*, & 56. *Misere mei*. Feria quarta 63. *Exaudi*, & 64. *Te decet*. Feria quinta 87. *Domine Deus salutis meæ*, & 89. *Domine refugium*. Feria sexta 75. *Notus in Judæa*,

& 91. *Bonum est*, Sabbato 142. *solus domine exaudi*: supplet enim alterius Psalmi vices Canticum *Audite cæli* divisum in duas partes in versu *Ignis succensus est*. Sequitur Canticum, tum Psalm. 148. *Laudate Dominum de cælis*, cum duobus sequentibus sicut psallunt Romani. In Laudibus festivitatum iidem Psalmi dicuntur, quos Romani cantant in festis, nisi quod Psalmus *Deus misereatur*, semper seorsim primo loco recitatur.

Ad Primam tres Psalmi dicuntur. Feria secunda primus, secundus, & sextus: *Beatus vir, Quaresfremuerunt, domine ne in furore*. Feria tertia 7. *domine Deus meus*, 8. *domine dominus noster*, 9. *Confitebor* usque ad versum *exurge domine*. Feria quarta idem 9. à versu *Exurge* usque ad finem, 10. *In domino confido*, 11. *Salvum me fac*. Feria quinta 12. *Usquequo*, 13. *Dixit insipiens*, 14. *domine quis habitabit*. Feria sexta 15. *Conserve me*, 16. *Exaudi*, 17. *Diligam te domine* usque ad versum *Cum sancto sanctus eris*, Sabbato sequitur idem Psalmus à dicto versu, tum 18. & 19. *Cæli enarrant*, & *Exaudiat*, Die Dominica quatuor Psalmi cantantur, quatuor scilicet prima octonaria Psalm. 118. *Beati immaculati, in quo corrigit, Retribue, Adhæsit*.

Ad tertiam die Dominica sequuntur tria octonaria ejusdem Psalmi: *Legem pone, Et veniat, Memor esto*. Sic ad Sextam *Portio mea, Bonitatem, Manus tue*. Ad Nonam *Defecit, In æternum, Quomodo dilexi*. Feria secunda ad Tertiam *Lucerna, Feci judicium*: Ad Sextam *Mirabilia, Justus es Domine, Clamavi*. Ad Nonam *Vide humilitatem, Principes, Appropinquet*. Feria tertia, cæterisque feriis per hebdomadam ad Tertiam cantica graduum *Ad Dominum, Levavit, Letatus sum*. Ad sextam. *Ad te levavi, Nisi quia Dominus, Qui confidunt*. Ad Nonam. *In convertendo, Nisi Dominus, Beati omnes*.

Ad Vesperas quatuor Psalmi cantantur. Die Dominica Psalm. 109. *Dixit Dominus*, cum tribus sequentibus. Feria secunda 113. *In exitu*, 114. *Dilexi*, 115. *Credidi*, cui adjungitur sub unica terminatione 116. *Laudate Dominum omnes gentes*, 128. *Sæpe expugnaverunt*. Feria tertia, 129. *De profundis* cum tribus sequentibus. Feria quarta 134. *Laudate nomen domini*, & tres immediate sequentes. Feria quinta 138. *Domine probasti me* bipartitus in versu *Et dixi*, & duo sequentes. Feria sexta 141. *Voce mea*, 143. *Benedictus Dominus* divisus in versu *Deus*

canticum novum, 144. *Exultabote*, usque ad versum *Confiteantur*. Sabbato idem Psalmus à versu *Confiteantur*, usque ad finem cum tribus subsequentibus.

Completorium tribus Psalmis invariabiliter expletur 4. *Cum invocarem*, 90. *Qui habitat*, & 133. *Ecce nunc benedicite Dominum*. Sic distributis per hebdomadam Psalmis jam totius Officii feriem dispiciamus.

3. Singulis Officiis tam diurnis quam nocturnis præmittitur Oratio Dominica, Salutatio Angelica, & Symbolum Apostolorum, itemque divini adjutorii imploratio eodem ferè ritu, quo Romani: & similiter in fine additur una ex Antiphonis B. Virginis, quibus iidem Romani preces horarias terminare consueverunt. Speciatim verò nocturnæ Vigiliæ diebus Dominicis, & festis 12. lectionum hoc ordine procedunt. Dicto versu *Deus in adjutorium*, ter repetitur *domine labia mea aperies*: tum Psalmus tertius *domine quid multiplicati sunt sine Antiphona* recitatur: deinde Invitorium, & Hymnus: postea sex Psalmi cum Antiphonis, mox Versus *Pater noster*, & absolutio. Tum accepta benedictione leguntur quatuor lectiones cum suis Responsoris. Secundum nocturnum iterum sex Psalmis, & quatuor lectionibus constat. In tertio autem tria Cantica ex Veteri Testamento diei vel temporis congruentia sub unica Antiphona cantantur, post quam dicto Versu, & cæteris ut supra, ac benedicente Abbate rursum leguntur quatuor lectiones ex Homilia super Evangelium. Post quartum Responsorium semper dicitur *Gloria Patri*. Post duodecimum incipit Abbas *Te Deum Laudamus*, quod Canticum nunquam omittitur. Hoc dicto legit Abbas Evangelium, in cuius fine respondent omnes *Amen*: & immediatè cantatur *Te decet laus, te decet Hymnus, tibi gloria Deo Pater, & Filio cum sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen*. Sequitur collecta diei, & si finiuntur Vigiliæ. In Officio feriali dictis omnibus ut supra usque ad Hymnum, sex Psalmi recitantur cum tribus Antiphonis: tum Versus, *Pater noster*, Absolutio, Benedictiones, & tres Lectiones sequuntur cum suis Responsoris. Sed à Paschate usque ad Calendas Novembris una dumtaxat brevis lectio dicitur cum brevi Responsorio. In secundo Nocturno reliqui sex Psalmi cum *Alleluja*, & diebus Septuagesimæ cum tribus Antiphonis cantantur. Deinde dicitur Capitulum, Versus, *Kyrie eleison, Pater*

noster, Oratio conveniens, *Benedicam is Domino Fidelium animæ*: & sic terminantur Vigiliæ in festis trium lectionum, & in Officio feriali.

Laudum ritus ferè convenit cum Romano, nisi quod in Officio simplici & feriali præmitti solent *Pater*, & *Ave*. Tum primo loco semper dicitur Psalmus *Deus misereatur*. Post Capitulum, Responsorium breve cantatur. Post *Benedictus* sequuntur *Kyrie eleison*, & Oratio Dominica clarâ voce, tum Collecta, & Commemorationes.

Prima, Tertia, Sexta, & Nona discrepant à ritu Romano in Psalmis, & in eo quod nullum dicitur Responsorium post Capitulum; sed statim dicto versu sequitur *Kyrie eleison, Pater noster*, & Collecta. In cæteris nullum est discrimen.

Vesperarum item Monasticarum hæc à Romanis differentia est, quod breviores uno Psalmo sunt, tum post Capitulum semper dicitur Responsorium, & post *Magnificat* ante collectam præmitti solent *Kyrie eleison*, Oratio Dominicalis clarâ voce.

Completorium quoque Monasticum Romano brevius est uno psalmo, & Cantico Simeonis, de quo S. Benedictus nullam facit mentionem. caret etiam Responsorio post Capitulum, sed dicto versu sequuntur more solito, *Kyrie, Pater*, oratio, benedictio, & finis. Hujus autem Officii symbolicas rationes afferunt Honorius in Gemma animæ libro secundo, Durandus lib. 4. rationalis, Joannes Belet in explicatione divinorum officiorum, & Rupertus Abbas lib. 2. in Regulam S. Benedicti, & Petrus Damianus opusculo 10.

§ IV.

De ritu Cisterciensium.

1. **O**rdinem Cisterciensem antonomasticè Ordinem dici asserit Justus Abbas sermone in Conventu Abbatum habito, qui est tomo 2. Bibliothecæ Patrum. Ut enim scribit Hieronymus & Platus vir de statu Religioso optimè meritis: Nulla ex omnibus Religiosorum familiis nobilior quàm Cisterciensis. Angelus quoque Domini apparens B. Henrico Hemmerodensi novitio; Bene ait, ut refert Casarius tibi

k Plat. de bono stat. Relig. lib. 2. cap. 22. 1 Casarius lib. 8. histor. cap. 96.

tibi placere debet Ordo Cisterciensis, quia nulla vita tantæ perfectionis est in Ecclesia Dei. Nec defunt illustria magnorum virorum de hoc ordine testimonia. Philippus Abbas ^m bonæ spei Ordinis. Præmonstratensis libro de dignitate Clericorum; Apud Cistercium, inquit, Monachicus ordo pridem mortuus suscitatur, & pulso vetusto cinere novitatis gratia reformatur, dum cæteris acceptam Monachis delicatam teneritudinem execratur, & laborem, pauperiem, lucum, silentium insatiabiliter amplexatur. Jacobus ⁿ Aconensis Episcopus, & Cardinalis in Historia Occidentali hæc habet de Cisterciensibus. Alii sermone Prædicationis, & gratia ædificationis præpotentes: alii virtute miraculorum, & gratia curationum insignes: alii spiritum prophetiæ divinis illuminati revelationibus habentes, alii virtute abstinentiæ & jejuniorum humanæ possibilitatis mensuras excedentes: alii in orationibus, & psalmodiis, & laudibus divinis tantam à Domino consecuti sunt gratiam, & devotionis suavitatem, quod in fine Nocturni, & Matutini Officii sicut adipe & pinguedine usque ad summum repleti, vellent, si esset possibile, tempore nocturno revertente rursus iteratum officium inchoare. Richardus Archiepiscopus Cantuariensis Epistola ad Abbatem, & Conventum Cisterciensem inter Epistolas Petri Blefensis ^o: Inter universas Ordinum varietates, quibus decorata est Sponsa Christi, nullus Ordo virtute flagrantior, nullus sancti nominis odore suavior est in Christo quàm vester. Una omnium vox est, quia Cisterciensis Ordinis Professores tantò differentius præ cæteris triumphales sanctitatis titulos referunt, quanto expressius Religionis Apostolicæ vestigiis inhaerunt. Stephanus Tornacensis Episcopus Epistolâ primâ prolixum hujus Ordinis textit elogium, specialiter verò de Cisterciensium Psalmodiâ ait: Divina officia cum tanta solemnitate, & devotione celebrant, ut in eorum concentu voces Angelorum sonare putes: Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus ad laudes Dei invitant homines, & Angelos imitantur. Tandem Petrus Cellensis ^p, ut alios innumeros prætermittam, sic Cistercienses commendat. Cistercienses præ aliis mortalibus feriis, & sine fine mansuris intendere video. Hi sunt qui regulam B. Benedicti, penè combu-

stam, sicut Esdras veterem legem, restauraverunt. Claustra illorum castra Dei sunt, ubi nocte in Psalmis & Orationibus parati sunt suscitare Leviathan, qui sub umbra dormit in locis humentibus. Sic vivebant Patres nostri, hæc nobis virtutum exempla reliquerunt, quorum si vestigia sequuti fuerimus, verè Cistercienses erimus non solo habitu & nomine, sed virtute & perfectione. Quod autem spectat ad ritum Cisterciensem, majores nostri à Regula S. Benedicti nullatenus deviantes, ritum proprium instituerunt regulæ prorsus conformem, qui propterea à communi Monastico discrepat in nonnullis.

2. Ante lectiones nec orationem Dominicam, nec absolutiones præmittimus: ad Primam, & Completorium nec confessionem, nec preces habemus: ad Responsoria post Capitulum non adjungimus *Gloria Patri*, horum enim nullam Regula mentionem facit. Æstivo tempore unicam perpetuò lectionem in nocturnis ferialibus legimus, sic eadem regulâ decernente: quapropter nullum festum habemus trium lectionum. Tum quod D. Benedictus Hymnos Ambrosianos vocet, Hymnos omnes ab Ambrosianis accepimus, iisdemque prorsus omni tempore utimur, quibus & illi: quorum Catalogum inveniet curiosus lector apud Radulphum Tungrensem. Ad Tertiam, & Completorium Hymnos variamus pro varietate temporum, & festorum. In Vesperis nunquam Psalmos feriales mutamus ad mentem regulæ, quæ in festivitatis Psalmorum mutationem pro vigiliis tantum nocturnis permittit. Singulis horis Collectas proprias habemus. Festa quæ non sunt 12. lectionum solâ commemoratione in primis Vesperis & Laudibus celebramus. Festa ipsa 12. lectionum in tres classes dividimus: solemniora dicuntur sermonis, quod Abbas eâ die sermonem ad Monachos habeat. Alia sunt duarum Missarum, quod duæ Missæ Conventuales de illis Cantentur, una post Primam, altera post Tertiam. Alia unius Missæ, quod unica de illis Missa canatur. Antiphonas nunquam duplicamus, sed tantum post Psalmos integras cantamus. Ad Laudes unam dumtaxat dicimus Antiphonam, ad cujus tenorem omnes Psalmos modulamur. Omnes horas commemoratione Beatæ Virginis & Dominicæ Incarnationis concludimus. Quotidie tandem post Completorium Antiphonam, *Salve Regina* solemniter decantamus.

^m Philip. Abb. c. 125. ⁿ Jacob. Acon. cap. 14.
^o P. Elef. ep. 82. ^p P. Cell. lib. 6. ep. 23.

§. V.

De ritu Carthusianorum.

1. SACROSANCTA Religio Carthusiana, licet in scæteris Benedicti Regulam non agnoscat, ritum tamen Benedictinum in divinis Officiis observat. Paucis exceptis vix discrepant à Cisterciensibus, quibus ferè coævi sunt. Cœpit enim Cistercium anno Domini 1098. Carthusia verò initium habuit anno 1086. ut putavit Baronius, vel 1084. ut ex monumentis Ordinis collegit in suo Brunone Theophylus Raynaudus. Ante Vigiliis dicunt *ter Pater & Ave*. Post ultimam Antiphonam Nocturni recitant semel *Pater, & Ave*, & Absolutionem. Post *Benedictus* dicunt novem vicibus *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison* cum multis precibus. Privatis diebus ad preces adjungunt Psalmum *Miserere*: quas preces repetunt singulis horis. In fine lectionum ex Prophetis addunt, *Hec dicit Dominus, Convertimini ad me, & salvi eritis*. Ad Vesperas psalmos mutant pro diversitate festivitatum. Ad primam dicunt quotidie Symbolum Athanasii. Ad salutationem Angelicam pulsant quater in die, post Matutinum, post Primam, post Nonam, post Completorium. Post Collectam dicto *Benedicamus Domino*, nihil aliud adjungere consueverunt. In reliquis, ut dixi, ferè conveniunt cum Cisterciensibus. Commendat eorum cantum Christus Salvator noster apud S. Brigitam c. 4. revelationum extravagantium: & Angelicam eorumdem psalmodiam elegantissimè collaudat Francisc. Petrarca in præfatione lib. de otio Religiosorum. Sunt autem reverà Carthusiani magna orbis miracula, in carne extra carnem viventes, Angelos nobis in terra, & Joannem Baptistam in Eremo representantes. Sunt præcipuum Ecclesiæ ornamentum, similes aquilæ in cœlum volanti, quorum status universarum religionum institutis jure præfertur. Pius quidam, & religiosus Poëta apud Maximilianum Sandæum 9 in sua mystica Theologia Cartusianorum vitam, & mores hoc eleganti Epigrammate mirabiliter expressit.

*Pallent em nuper rigidi Brunonis alumnus
Sic adit mundum linquere certus Odo.*

9 Sand. lib. 2. comment. 3. exercit. 2. disquisit. 6. r Bernard. Parthusius Epigr. 4. 5.

Ede Pater, quæ Carthusiæ sit regula vitæ.

Quæ nox, quæve dies: quid fugiant, quid agant:

Ede quibus studiis hic vivitur. Ille tacendo

Fugit, & ingemuit. Non potuit melius.

Historiam illam notissimam Theologi Parisiensis, qui post mortem tribus distinctis vicibus justè se accusatum, judicatum, & damnatum pronuntiavit; atque hujus Ordinis institutioni occasionem dedit, copiosissimè defendit Raynaudus supra citatus in suo Brunone, ubi plura de laudibus Cartusianorum Lector inveniet.

§. VI.

De ritu Præmonstratensium.

1. NULLA post Monachos Religiosarum Congregationum, quæ proprios ritus habeat, antiquior est Præmonstratensi, sumpsit enim originem hic sacer, & Canonicus ordo à sanctissimo patre Norberto anno salutis 1115. habuitque aliquando plusquam mille Abbatias. Eorum ritus cum Romanis conveniunt, si pauca quædam excipias. Et primò quidem ante Vigiliis nocturnas tres psalmos recitant cum quibusdam precibus, & orationibus. Deinde in ipsis Vigiliis ante Lectiones dicunt *Versum*, & *Orationem Dominicam*, sed non *absolutiones*. Post nonum *Responsorium* concinunt *Te Deum laudamus*: & ante Laudes unum *Versum* semper præmittunt, quem vocant *Sacerdotalem*. In primis Vesperis solemnissimum magnum *Responsorium* concinunt post *Capitulum*. Ad omnes horas diei *Hymnos* variant pro ratione, temporum & festivitatum. Antiphonam *B. Virginis*, quæ terminantur *Horæ*, non nisi post *Completorium* cantant. *Psalterium* more Romano in dies & horas distribuunt, nisi quod Psalmum 117. *Confitemini* à Septuagesima usque ad Pascha diebus Dominicis non ad primam, sed ad Laudes dicunt loco psalmi *Dominus regnavit*, quem eo tempore canunt ad primam. De reliquo tam diurnum, quàm nocturnum *Officium* eo methodo ordinant, quæ Romana consuevit Ecclesia: imò suum *Breviarium* esse existimant antiquum Romanum, quod purum ab ipsis conservatum sit, non acceptatis mutationibus, & novis ejusdem reformationibus.

XXXXX

§. VII. De

§. VII.

De Ritu Prædicatorum.

1. **I**lluſtriſſimus Prædicatorum Ordo à Caſtonicis Præmonſtratenſibus ut D. Auguſtini Regulam, ita & pſallendi ritum accepit. Sed viri doctrinâ, & ſanctitate eximii eos uſus in quibuſdam mutârunt. Ad primam tres pſalmos recitant: *Deus in nomine tuo, Beati immaculati, Reſtribue*: diebus verò Dominicis à Septuageſima uſque ad Paſcha novem videlicet, *Deus Deus meus respice in me, Dominus regit me, Domini eſt terra, Ad te Domine, Judica me, Deus in nomine tuo, Dominus regnavit decorem induit eſt, Beati immaculati, & Reſtribue*: quo etiam tempore dicunt ad Laudes Pſalmum 117. *Conſitemini* loco Pſalmi *Jubilate*. Reliquo anni tempore dictos pſalmos, quos Romani diſtributos per ferias dicunt ad primam, iſti omitunt. Martyrologium legunt poſt Laudes, ſed cum Matutinum veſpere diei præcedentis dicitur, tunc legitur poſt primam. In primis Veſperis ſolemnitatem hos pſalmos concinunt, *Laudate pueri Dominum, Laudate Dominum omnes gentes, Lauda anima mea Dominum, laudate Dominum quoniam bonus eſt Pſalmus, & Lauda Hieruſalem Dominum*. Hymnos Completorii variant pro ratione temporum, & in fine horarum ſemper dicunt Antiphonam, *Salve Regina*, & alteram de ſancto Dominico cum quibuſdam precibus. Extra Adventum, & Quadrageſimam Officium feriale ter, vel quater in Hebdomada omittunt, recitant enim de S. Dominico, de ſanctiſſimo Sacramento, de B. Virgine & de ſancto titulari Provinciæ. A die Paſchatis uſque ad Trinitatem tribus Pſalmis, totidemque Lectionibus nocturnas quotidie Vigiliis perficiunt, quod poſt octavas Reſurrectionis non niſi diebus Dominicis uſque ad Aſcenſionem faciunt Præmonſtratenſes.

§. VIII.

De ritu Carmelitarum.

1. **C**armelitæ Breviarium habent ſecundum antiquam conſuetudinem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Hic enim Ordo pietate, & religione præſtantiſſimus diu floruiſſe in O-

riente dicitur, antequam per diverſas Europæ Provincias diſfunderetur. Eorum ritus non diſcrepant à Dominicanis, hoc dumtaxat excepto, quod diebus Dominicis per annum dicunt ad Primam Pſalmum 117. *Conſitemini*. In Dominicis item Adventus quinque pſalmos ad primam aliis conſuetis præmittunt, nempe 21. *Deus Deus meus*, cum quatuor ſequentibus. Dominicis verò Septuageſimæ uſque ad paſcha ad Laudes, & primam eodem pſalmos recitant, quos Prædicatores. Tempore paſchali conſuetos pſalmos concinunt in nocturnis Vigiliis: tres autem pſalmos dicunt ſolummodo per octavas paſchatis, & Pentecoſtes, Sicut Romani, Preces longiores habent poſt quædam officia. In fine cuiuſque horæ ſemper dicunt Antiphonam, *Salve Regina*, cui tempore Paſchali ſubſtituitur *Regina cæli*. Officia multa ſanctorum habent cum elegantibus Hymnis, Antiphonis, & Reſponſoriis. Diebus Reſurrectionis initio Veſperarum, omiſſo Verſu *Deus in adiutorium*, cantant ſolemniter *Kyrie eleiſon* novem vicibus, ſicut in Miſſa: quo ritu utebatur olim Romana Eccleſia, ut conſtat ex ordine Romano, & ex Ruperto Abbate ſ: cumque legi in Breviario Præmonſtratenſi, & in antiquiori Breviario Ordinis Prædicatorum.

ſ Rupert. lib. 8. de div. off. c. 2.

§. IX.

De ritu Lugdunenſis Eccleſiæ.

1. **S**ancta Lugdunenſis Eccleſia Galliarum Primatu inſignis propriis ritibus utitur, quos S. Irenæum Episcopum, & Martyrem inſtituiſſe earum partium traditio eſt. Pſalterium in ferias, & horas diſtribuitur more Romano, ſed ad primam per Hebdomadam non niſi tres Pſalmos recitant: *Deus in nomine tuo, Beati immaculati, & Reſtribue*: Diebus verò Dominicis novem, videlicet, *Deus Deus meus respice in me, Dominus regit me, Domini eſt terra, Ad te Domine, Judica me Domine, Conſitemini, Beati, Reſtribue, & Symbolum Athanaſii*, quod quidem Symbolum Primæ Dominicali omnes Eccleſiæ adiungere conſueverunt. Dominica autem Sexageſimæ, & ſequentibus Dominicis uſque ad paſcha duos priores pſalmos ad Laudes mutant, & pro Pſalmo *Dominus regnavit*, legunt Pſalmum 50. *Miferere*, pro Pſalmo *Jubilate*, Pſalmum 117. *Conſitemini*; atque ideo eodem tempore ipſum

Cor.

Constituunt omittunt ad primam, & pro eo substituant Psalmum *Dominus regnavit*. Hoc excepto in Psalmorum distributione conveniunt omnino cum Romanis: Porro singula Officia à Lugdunensibus sic ordinantur.

2. Nocturnis præmittunt Orationem Dominicam solam, deinde dicunt Versum *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*, tum *Domine labia mea aperies*, *Deus in adiutorium*, *Gloria Patri*, & Invitatorium. Immediatè post Invitatorium dicuntur Psalmi, nam Hymnis carent omnia Officia excepto Completorio. In numero, & ritu lectionum non discrepant à Romanis. Post ultimum responsorium concinunt *Te Deum laudamus* cum Antiphona, & *Gloria Patri* ad instar Psalmi: sequitur Versus, quo dicto incipiunt Laudes, post sal. Laudum dicto Capitulo, & Versu sequitur Canticum, omisso Hymno, tum collecta diei, *Benedic Domino*, & finis. Prima, Tertia, Sexta, & Nona conveniunt cum Romanis, si Hymnos demas, & parva Responsoria post Capitulum. Id quoque notandum, quòd ante Horas Orationem Dominicam solam recitant, & post singulas legunt Psalmum *De profundis* cum collecta pro defunctis. Antiphonam de B. Virgine, quæ Romani terminant horas, hi non nisi post Nonam & Completorium concinunt. Vesperas incipiunt quemadmodum & alias horas, tum dictis Psalmis & Versu, Canticum Deiparæ modulantur. In quibusdam solemnitatibus Antiphonam Cantici septies repetunt, & Versibus ipsius Cantici intersciant. Dicunt postea Collectam more solito, & sic finiuntur Vesperæ. Completorio nullam præmittunt lectionem, sed dicta Oratione Dominicâ, dictisque Versibus: *Converte nos Deus*, & *Deus in adiutorium* eosdem Psalmos concinunt, quos Romani. Sequitur Hymnus, quem singulis feriis, & festis mutant: statim verò post Hymnum dicitur Versus, omisso Capitulo, tum Canticum Simeonis, postea preces, Oratio, & Benedictio: deinde Psalmus *De profundis*, ac tandem Antiphona conveniens de B. Virgine. Certis diebus ad Laudes & Vesperas, itemque ad reliquas horas preces habent, Litanias, & Processiones, ac peculiare quosdam ritus, quos brevitate gratia prætermitto. Ecclesia ista novitates nescit, & tam in cantu, quàm in ceremoniis, & aliis functionibus Ecclesiasticis antiquitatis tenacissima est, de qua re sic laudatur à D. Ber-

nardo: Inter Ecclesias Galliæ constat profectò Lugdunensem hæcenus præminuisse sicut dignitate sedis, sic honestis studiis, & laudabilibus institutis. Ubi enim æquè viguit disciplina censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, antiquitatis insigne? Præsertim in Officiis Ecclesiasticis haud facile unquam repentinis visâ est novitibus acquiescere, nec se aliquando juvenili passâ est decolorari levitate Ecclesiâ plena judicii.

t Bernardus Epistola 174.

§. X.

De ritu Ambrosiano.

1. Mediolanensis Ecclesiæ ritus à D. Ambrosio ejus civitatis Archiepiscopo Ambrosiani dicuntur, non quod ipse institutor eorum fuerit, ut multorum opinio est, sed quia illos auctoritate suâ, & eximia sanctitate plurimum nobilitavit. Dicitur autem Ambrosiani coeperunt paulò post ejus decessum, ut observat doctissimus vir Joannes Vicecomes l. 2. de ritibus Missæ cap. 12. qui asserit eam Ecclesiam Missæ ordinem à S. Barnaba Apostolo, psallendi verò Regulam à S. Mioclete Archiepiscopo accepisse. Psalterium dividunt Ambrosiani in duas partes, primam à Psalmo primo ad 109. *Dixit Dominus* nocturnis Vigiliis, secundam usque ad finem diurnis horis assignant. In hujus secundæ partis distributione sequuntur omnino Romanam Ecclesiam. At prima pars in duas Hebdomadas divisa decem continet decurias, ut vocant, singulisque noctibus una decuria persolvitur, hoc modo. Prima decuria psalmos sexdecim continet à primo usque ad 16. & psallitur feria secunda prioris Hebdomadæ. Secunda decuria incipit à Psalmo 17. *Diligam te Domine*: habetque Psalmos quatuordecim, & expletur feria tertia. Aliæ decuriæ Psalmis decem constant, exceptâ ultimâ, quæ octo Psalmorum est. Decuria itaque tertia pro feria quarta incipit à Psalmo 31. *Beati quorum*. Quarta pro feria quinta à Psalmo 41. *Quemadmodum desiderat*. Quinta pro feria sexta à Psalmo 51. *Quid gloriaris*. Sexta pro feria secunda alterius Hebdomadæ à Ps. 61. *Nonne Deo*. Septima pro feria tertia à Psal. 71. *Deus in judicium tuum*, & sic deinceps. Sabbatis, & Dominicis diebus, & in solemnitatibus Domini certis

Xxxxx 2

Can-

Canticis nocturnas preces persolvunt. In feriis autem, & quibuslibet aliis sanctorum festi-
tibus superscriptas decurias non mutant. Ab
hac tamen Regula excipiuntur sex feriæ ante
Nativitatem Domini, quas vocant de excep-
tato, & sex item feriæ majoris Hebdomadæ
in quibus psalmis utuntur peculiaribus. Porro
Psalterii versionem propriam habent similem
ei, quæ Romæ utuntur Canonici S. Petri in Va-
ticano.

2. Ad Nocturnos post *Pater & Ave* dicitur
Versus *Deus in adiutorium*: sequitur Hymnus
semper idem, *Eterne rerum conditor*, mox ad-
ditur Responsorium, deinde Canticum trium
puerorum cum Antiphona, & ter *Kyrie eleison*.
Postea cum Antiphonis dicuntur Cantica vel
Psalmi pro exigentia diei vel temporis: quibus
dictis leguntur tres lectiones cum suis benedi-
ctionibus ferè semper propriis. Diebus Domini-
cis lectiones sunt de Homilia in Evangelium,
in feriis de scriptura, in festis tertia est de
vita Sancti, vel de sermone festivitatis. Excipi-
untur ab hoc ordinario Nativitas Domini,
Epiphania, quibus diebus dicuntur tres No-
cturni, & novem Lectiones. Feria item sexta Pa-
rasceve leguntur sex Lectiones sed tres ultimæ
sunt integræ Passionis secundum Marcum,
secundum Lucam, secundum Joannem: Pas-
sio verò secundum Matthæum Missæ reservat-
ur. Post duas priores lectiones duo sequuntur
Responsoria: post ultimam dicitur *Te Deum
laudamus*, si tempus requirat, vel nihil addi-
tur.

Laudes absolute inchoantur à Versu *Deus in
adiutorium*: sequitur Canticum Zachariæ, pro
quo in Dominicis Adventus, in Nativitate
Domini, Circumcisione, & Epiphania dicitur
Canticum Moysis *Audite cali* cum Anti-
phona, & ter *Kyrie eleison*. Tum in Domini-
cis, & sanctorum solemnitatibus dicitur quin-
quies, vel etiam septies repetita Antiphona ad
sanctam Crucem, additâ quadam Oratione se-
cretâ. Mox alterum Moysis *Cantemus Domino*
cum sua Antiphona, & ter *Kyrie eleison*, aliâ-
que Oratione secretâ. Deinceps Canticum
trium puerorum *Benedicite omnia opera* (illud
enim quod dicitur ad Nocturnos incipit *Bene-
dictus es Domine Deus Patrum nostrorum*) cujus
loco Sabbato dicitur Psal. 117. *Confitemini*, &
in aliis feriis Psal. 50. *Miserere* cum Antiphona,
& ter *Kyrie eleison*. Additur Oratio clarâ
voce, quâ finita sub uno *Gloria Patri* quatuor

Psalmi recitantur *Laudate Dominum de caelis*,
cum duobus sequentibus, & *Laudate Dominum
omnes gentes*. Finitis Psalmis dicitur Capitu-
lum, tum Antiphona cum tribus *Kyrie eleison*.
Dominus vobiscum, & Psalmus directus, qui si-
mul ab utroque choro cantatur. Postea Hym-
nus pro qualitate Officii diversus: & duode-
cies *Kyrie eleison* cum *Dominus vobiscum*: & di-
citur psallenda una in festis Sanctorum, in Do-
minicis duplex. Est autem psallenda Antipho-
na quædam repetita cum *Gloria Patri* additis
quibusdam Versibus, & ter *Kyrie eleison* cum
Oratione. In feriis loco psallendæ dicitur
quoddam Responsorium, quod vocatur in bap-
tisterio. Quibus absolutis finiuntur Laudes,
nisi faciendâ sit aliqua commemoratio, quæ
fieri solet per psallendam illius diei vel officii,
de quo fit commemoratio. Quotidie autem,
quando Officium non est solemne, fit com-
memoratio de B. Virgine, de S. Ambrosio, &
de Patrono Ecclesiæ.

Ad Primam post *Pater*, & *Ave*, & *Deus
in adiutorium* dicitur Hymnus *Jam lucis orto si-
dere*: Tum Psalmi *Deus in nomine tuo*, *Beati*,
& *Retribue* sine Antiphona: quibus finitis di-
citur *Alleluja*, & in Quadragesima *Laus tibi
Domine, Rex æternæ gloriæ*. Sequitur epistolella,
ut vocant, cum Responsorio brevi, cui
statim quotidie subditur Symbolum Athanasii:
postea Capitulum cum precibus, quæ tamen
omittuntur in quibusdam solemnitatibus. Ad-
duntur tres Orationes eadem semper. Tum le-
gitur Martyrologium, post quod dicitur Versus
Exultabunt sancti in gloria cum oratiuncula, &
sic finitur Prima.

Tertia, Sexta, & Nona iisdem Hymnis
& Psalmis explentur, quibus utitur Ro-
mana Ecclesia. Psalmi tamen dicuntur sine
Antiphona, in quorum sine dicto *Alleluja*,
vel *Laus tibi Domine* sequitur epistolella cum
Responsorio brevi, tum preces, si dicendæ
sint, postea Oratio, & sic terminantur Ho-
ræ. In solemnitatibus, & Dominicis diebus
cantatur Hymn. ad Tertiam, qui incipit: *Jam
surgit hora tertia*.

Vesperæ post *Pater & Ave* incipiunt absolute
à Salutatione *Dominus vobiscum*, deinde cantatur
Lucernarium, id est Responsorium quoddam
ter repetitum diversum secundum Officii di-
versitatem. Dicitur iterum *Dominus vobis-
cum*, postea Antiphona, mox tertio *Domini-
nus vobiscum*, tum Hymnus conveniens. Post
Hym-

Hymnum quartò *Dominus vobiscum*, & Respon-
sorium, quo finito adhuc repetitur *Dominus vo-
biscum*. Sequuntur quinque Psalmi cum suis
Antiphonis idem videbunt, quibus utitur Ro-
mana Ecclesia. Verùm in solemnitatibus Do-
mini sub una Antiphona, & uno *Gloria Patri*
unus Psalmus dicitur diversus pro diversitate
Officii, cui semper adjungi solent Psalmi *Ecce
nunc benedicite Dominum*, & *Laudate dominum
omnes gentes*. In festis sanctorum post primam
Orationem dicitur alter Psalmus diversus pro
varietate Officii, seu festivitatis. Absolutis
Psalmis cum Antiphonis dicitur ter *Kyrie elei-
son*, *Dominus vobiscum*, & Oratio conveniens
Officio. Postea *Dominus vobiscum*, & *Magnifi-
cat* præmissâ Antiphonâ. Finito Cantico ite-
ratur primus ejusdem Versus, & repetitâ An-
tiphonâ dicitur *Kyrie eleison*, & alia Oratio.
Deinde psallenda, & alia, sicut in Laudibus
recitantur. In feriis Quadragesimæ non dicitur
Magnificat, sed duodecies *Kyrie eleison*. Ha-
bent Ambrosiani quasdam Vesperas de sanctis
Patronis, & Titularibus Ecclesiarum, quæ
dicuntur cum Vigiliis, in quibus post primam
Orationem dicitur primus Psalmus, tum le-
gitur una lectio de vita illius Sancti cum suo
Responsorio, & post aliam Orationem dicto
secundo Psalmo legitur alia lectio cum suo item
Responsorio. Denique dicto Cantico *Magnifi-
cat* cum psallendis cantantur Litanix cum qui-
busdam Orationibus.

Ad Completorium præmissis *Pater*, *Ave*,
Converte nos, & *Deus in adiutorium*, dicitur quo-
tidie Hymnus *Te lucis ante terminum*, exceptâ
Quadragesimâ, in qua dicitur Hymnus *Christe
qui lux es & dies*. Tum sine Antiphona dicuntur
Psalmi *Cum invocarem*, *In te Domine, Qui
habitat*: & sub uno *Gloria Patri*, *Ecce quàm bo-
num*, *Ecce nunc benedicite Dominum*, & *Laudate
Dominum omnes gentes*: quibus finitis dicitur
Alleluja, vel *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*.
Tum in Quadragesima Hymnus *Te lucis ante ter-
minum*, alio tempore statim subditur Episto-
lella cum suo Responsorio brevi, deinde Can-
ticum *Nunc dimittis* cum precibus, si dicendæ
sint; Additur Antiphona B. Virginis cum sua
Oratione. Tandem fit confessio communis, &
sic finitur Completorium.

S. XI.

De ritu Mozarabico.

1. CUM Hispania benè omnis Arabum in-
undatione tabesceret, Christiani inter
barbarorum pressuras degentes dicti sunt
Mozarabes, sive Mixtarabes, id est mixti
cum Arabibus, quare & officium eorum Mo-
zarabicum & Mixtum appellatum est. Hujus
ritus institutores fuerunt sancti viri Leander, &
Isidorus Hispalenses Episcopi, solius tamen Isi-
dori nomen retinuit, quem solum ejus aucto-
rem agnoscit Baronius. Sic inscribi solet,
Officium Gothicum, sive Mixtum secundam
Regulam B. Isidori. Ex decreto quarti Toleta-
ni Concilii omnes Hispaniarum Ecclesie hoc
olim utebantur, sed regnante Alphonso VI.
mutatum fuisse dicitur jussu Gregorii VII. Ro-
mani Pontificis, cujus ob hanc causam cum
Regibus Hispaniarum contentiones narrat Ba-
ronius. Extant de hac re ejusdem Gregorii,
Epistolæ Alphonso, & Sanctio Regibus, & E-
piscopis Hispaniarum à paribus scriptæ Indi-
cione duodecima anno scilicet 1074. Tametsi
officium istud à viris sanctis, & orthodoxis
compositum fuisset, Hispaniâ tamen ab infide-
libus devastatâ multi errores in illud irrepse-
rant, ut ex Albino Flacco constat lib. 1. ad-
versus Elipantum Episcopum Toletanum, qui
ex iisdem Officiis depravatis multa assumit te-
stimonia ad suam hæresim astruendam. Nunc
tam Missale quam Breviarium hujus ritus cor-
recta sunt, & juxta sensum Catholicum emen-
data jussu Francisci Ximenez Archiepiscopi
Toletani, qui explosis Gothicis characteri-
bus, Latinis ea conscribi, ac typis mandari
curavit: tum Sacerdotes instituit, qui juxta
hunc ritum Deo laudes, & sacrificium offer-
rent. Adhuc viget hoc Officium, & servatur
Toleti in quinque Parœciis, & in sacello ejus-
dem Francisci Ximenez, itemque Salamanti-
cæ in sacello Doctoris Talabricensis, quod
est in claustrò majoris Ecclesie. Plura de hoc
ritu Etherius, & Beatus Scriptores antiqui,
& graves lib. 1. adversus præfatum Elipantum.
Discrepat ferè in omnibus ab usibus aliarum
Ecclesiarum.

XXXXX 3

2. Om-

u Baron. an. 633. num. 70. x Idem. an. 1074.
o 1080. y Greg. VII. libro 1. Epist. 64. o 83.

2. Omnes horæ sic inchoantur. *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, & Ave Maria secreto: additur in nocturnis Ave Regina Cælorum cum Versu, & Oratione. Tum protinus alta voce, In nomine Domini nostri IESU Christi lumen cum pace: respondent omnes Deo gratias. Solum Completorium aliter incipit, ut videbimus. Horis autem absolutis dicitur Pater noster alta voce, singulisque petitionibus respondetur Amen, nisi cum ista profertur Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, cui respondetur, Quia Deus es. Mox eodem vocis tenore in Laudibus, & Vesperis hæc Oratio subsequitur: Liberati à malo, confirmati semper in bono tibi servire mereamur Deo, ac Domino nostro. Pone Domine finem peccatis nostris, da gaudium tribulatis, præbe redemptionem captivis, sanitatem infirmis, requiemque defunctis: concede pacem, & securitatem in omnibus diebus nostris, frange audaciam inimicorum nostrorum: exaudi Deus orationes servorum tuorum omnium fidelium Christianorum in hoc die, & in omni tempore. Per Dominum nostrum. In cæteris precibus loco hujus Orationis dicitur, A malo nos libera, & in tuo timore, & opere bono confirma. His peractis dicit Diaconus, Humiliate vos benedictioni: & statim Sacerdos benedictionem pronunciat tres petitiones continentem, quarum cui libet respondetur, Amen. Tandem omnes horæ hac clausula terminantur, In nomine Domini nostri IESU Christi perficiamus cum pace: & respondent omnes Deo gratias. Habebant olim Mozarabes horas duodecim, ex quibus quatuor rejectæ sunt, videlicet, in principio noctis, ante lectum media nocte, & in surrectione lecti.*

Nocturnæ preces hujus Officii brevissimæ sunt Post communè principium supra scriptum dicitur Antiphona cum Psalmo 50. *Miserere*. Hinc tres cantantur Antiphonæ cum Responsorio uno, quamlibet autem Antiphonam sua comitatur Oratio. Diebus Dominicis loco primæ Antiphonæ dicitur Hymnus *Æterne rerum conditor*, statimque oratio, post quam dicuntur tres Psalmi cum suis Antiphonis. His rursus succedunt tres Antiphonæ cum Responsorio, & orationibus. Cum ultimo autem Responsorio absolvuntur Vigiliæ nocturnæ. Psalmus *Miserere* mutatur in Psalmum *Domine quid multiplicati sunt diebus Dominicis à Paschate ad Pentecosten*, & in festis solemnioribus.

Ad Laudes dicta prius salutatione *Dominus sit semper vobiscum* cantatur Antiphona, quam se-

quitur Canticum unum ex veteri, vel novo Testamento, In festis B. Virginis, & in nocte Nativitatis Domini dicitur hoc loco Canticum *Magnificat*: & in festo S. Joannis Baptiste Canticum *Benedictus*. Aliis diebus alia Cantica diversa assignantur. Absoluto Cantico repetitur Antiphona, & dicto *Dominus sit semper vobiscum*, dicitur alia Antiphona ante Canticum trium puerorum. Sequitur sonus similis nostris Responsorii, & alia Antiphona ante Psalmum *Laudate Dominum de cælis*, quo decantato legitur Prophetia, quam sequitur Hymnus, tum supplicatio Sacerdotis ad populum, qua eum hortatur, ut petat à Deo quæ necessaria sunt ad salutem: cui respondetur *Præsta omnipotens æterne Deus*. Postea Capitulum per modum Orationis præmissa *Kyrie eleison*: Tum *Pater noster*, & Laus constans ex versibus quibusdam sæpius repetitis, dataque benedictione finis Laudibus imponitur. Antiphonis & Laudibus sæpius adjungunt sanctissima Trinitatis doxologiam, quam hoc modo pronunciant, *Gloria & honor Patri, & Filio & Spiritui sancto in secula seculorum. Amen*.

Post Laudes unum Officium speciale habent Mozarabes ante Primam persolvendum, quod vocatur Aurora. Solis diebus ferialibus dicitur & constat quatuor Psalmis cum Antiphona, habetque laudem unam, Hymnum unum, Versum unum, *Pater noster*, & quasdam preces. Psalmi sunt isti, Deus in adiutorium, Beati immaculati, In quo corrigit, Retribue.

Initio Primæ dicitur Antiphona, & *Dominus sit semper vobiscum*, statimque dicuntur septem Psalmi, nimirum Deus misereatur, Exaltabo te Deus meus Rex, divisus in Versu Regnum tuum, Laudate pueri, Adhæsit, Legem pone, & Veniat: tum iteratur Antiphona, quam sequitur Responsum unum, Prophetia, Epistola, laus, Hymnus, & Versus. Mox dicitur *Te Deum Laudamus*, & *Gloria* extra Adventum, & Quadragesimam, deinde Symbolum Apostolorum, supplicatio, *Pater noster*, benedictio & finis.

Tertia, Sexta, & Nona incipiunt ut Prima, habentque quatuor Psalmos, & varia Responsa, quibus succedunt Prophetia, Epistola, laus, Hymnus, & clamores, quibus petunt à Deo, ut non juxta scelera poenas infligat. Sequuntur supplicatio, Capitulum, *Pater noster*, benedictio, & sic singulæ terminantur. Ad Tertiam hi Psal. dicuntur, Venite exultemus, Memento verbi tui, Portio mea, Bonitatem. Ad

Ad Sextam, Deus in nomine tuo, Feci iudicium, Mirabilia, Justus es Domine. Ad Nonam, Lauda anima mea Dominum, Letatus sum, Ad te levavi oculos meos, Nisi quia Dominus.

Ad Vesperas nullos concinunt Psalmos, sed dicto *Dominus sit semper vobiscum* cantant laudem unam, sonum unum, Antiphonam unam, semperque singulis præmittunt salutationem. Sequitur alia laus, tum Hymnus, supplicatio, Capitulum, *Pater noster*, benedictio: item alia laus, quæ dum cantatur incensatur Ecclesia: demum recitata Oratione, sive Collecta diei finiuntur Vesperæ.

Completorium initium sumit à Psalmo *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Mox dicuntur tria *Alleluja*, & in Quadragesima *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*. Sequitur alius Psalmus, iterumque ter *Alleluja*: deinde alius Psalmus *Qui habitat*. Huic succedit alius Psalmus, & alter Hymnus: tum Versus, supplicatio, *Pater noster*, & benedictio. Dicta tandem Antiphona *Salve Regina* cum Versu, & Oratione absolvitur Completorium.

§. XII.

De aliis quibusdam ritibus Ecclesie Latine.

Præter hætenus descriptos ritus de aliis quoque Latinis Ecclesiis agendum foret, quæ & proprio utuntur Breviario, & singulari inter ceteras religione, ac dignitate præminent. Multi enim Episcopatus in Gallia, & in Belgio sunt, multi in Germania, & quidam etiam in Hispania, qui proprio ac peculiari ritu Domino Deo laudes persolvunt. Sed quoniam ab his quos jam descripsimus, maximè autem à Romanis vix discrepant, tum in psalmodum distributione, tum in numero lectionum, tum in ipsa Officii methodo, ac ordinatione, superfluum existimavi singularem de illis tractationem instituire. Nam præter quædam nihil novi in ipsis occurrit. Psalterii divisionem eam Gallicæ Ecclesiæ ac Germanicæ, itemque Belgicæ, ac Hispanicæ sequuntur, quam Romana tenet Ecclesia, exceptis Psalmis qui horæ primæ deferuntur, in quorum distributione cum eo ritu ferè omnes conveniunt, quæ Officio Prædicatorum, vel Lugdunensis Ecclesiæ supra assignavimus. Ecclesia Bisuntina, quæ est Sequanorum Metropolis, habet hoc proprium, quod in secundis Vesperis solemnitatibus, nec Capitulum, nec Hymnum dicit, sed pro Capitulo *Alleluja* cum

Versu, pro Hymno quendam profam modulatur: in magnis item solemnitatibus bis Canticum *Magnificat* repetit, variis intermixtis Antiphonis. Toletani ante Matutinum recitant flexis genibus Antiphonam *Ave Regina celorum* cum Collecta: tum Psalmos Graduales, & horas B. Virginis præmittunt exceptis festis. Sed hæc minutiora sunt, & prætermittenda, cum notabile discrimen in sacris precibus non constituunt.

§. XIII.

De ritu Græcorum.

1. **A**B Ecclesia Occidentali ad Orientalem transeo: à Latino ad Græcum idioma. Vox quidem dissona, ut loquitur Hieronymus, sed una Religio. Sunt autem Græcorum ritus in omnibus Ecclesiis, & Monasteriis Orientalibus similes, exceptis paucissimis observationibus, quæ licet modici momenti sint, diversis tamen Typicis nomen dederunt: est enim Typicon S. Sabæ, Studitarum, Montis sancti, quæ quidem Typica varietatem potius Monasticarum constitutionum, quam sacrorum rituum continent. Psalterium dividunt Græci in viginti *καθίσματα*, quasi sedes, & pausas, sive stationes, quia dum bini, & bini ad recitandum accedunt, illis stantibus cæteri sedent. Quodlibet Cathisma sive pluribus, sive paucioribus constat Psalmis, in tres partes distinguitur per Versum *Gloria Patri*: imò Cathisma 17. quod unicum habet Psalmum 118. eadem distinctione in tres sectiones dividitur. A Dominica in Albis usque ad Dominicam post octavam Exaltationis S. Crucis, quæ die 14 Sept. à Græcis solemniter celebratur, totum psalterium semel in hebdomada percurrunt hoc modo. Die Sabbati in Vesperis dicunt primum Cathisma. Die Dominico in Matutino secundum, & tertium. Feria secunda in Matut. 4. & 5. In Vesp. 6. Feria tertia in Matut. 7. & 8. In Vesp. 9. Feria quarta in Matut. 10. & 11. In Vesp. 12. Feria quinta in Matut. 13. & 14. In Vesp. 15. Feria sexta in Matut. 19. & 20. In Vesp. 18. Sabbato in Matut. 16. & 17. A Dominica post octavam Exaltationis usque ad Dominicam in Quinquagesima eundem ordinem servant in Psalterio legendo, nisi quod feria secunda, tertia, quarta, & quinta semper in Vesperis legunt Cathisma 18. & ea Cathismata, quæ Vesperis horum dierum assignata erant, adjiciuntur Matutino: & Matutino diei Do-

z. Hier. ep. 17.

Dominicæ superadditur Cathisma 17. A Quinquagesima usque ad Feriam quartam Dominicæ Palmarum bis in hebdomada Psalterium recitant. Die Sabbati ad Vesperas legunt primum Cathisma. Die Dominica ad Matut. 2. 3. & 17. FERIA SECUNDA ad Matut. 4. 5. & 6. Ad Tertiam 7. Ad Sextam 8. Ad Vesp. 18. FERIA TERTIA ad Matut. 9. 10. & 11. Ad primam 12. Ad Tertiam 13. Ad Sextam 14. Ad Nonam 15. Ad Vesp. 18. FERIA QUARTA ad Matut. 16. 19. & 20. Ad Primam primum. Ad Tertiam secundum. Ad Sextam 3. Ad Nonam 4. Ad Vesp. 18. FERIA QUINTA ad Matut. 5. 6. & 7. Ad Primam 8. Ad Tertiam 10. Ad Sextam 11. Ad Nonam 12. Ad Vesp. 18. FERIA SECUNDA ad Matut. 13. 14. & 15. Ad Tertiam 19. Ad Sextam 20. ad Vesp. iterum 18. A feria quarta Dominicæ Palmarum usque ad Dominicam in Albis exclusivè non legunt Psalterium, nam ista cathismata omittunt, quæ solent adungi Officio jam ex quibusdam Psalmis, & Orationibus constituto. Omnia verò Cathismata aliquando ex octo, vel novem Psalmis, aliquando ex paucioribus constant, excepto 17. quod, ut dixi, unicum habet Psalmum *Beati immaculati in via.*

2. Totum Officium dividunt Græci in Nocturnum quod *usque ad lucem* vocant, id est Officium mediæ noctis, Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, Completorium: quibus additur Typicon, quod loco Missæ recitari solet.

Nocturnum sic incipit. *Benedictus Deus noster nunc & semper, & in secula seculorum, Amen. Rex celestis, consolator spiritus veritatis, qui ubique es, & replet omnia, thesaurus bonorum, & vite largitor: Veni, & inhabita nos, & munda nos ab omni macula, & salva bone animas nostras.* Sequitur Trisagion, videlicet, *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis: & dicitur ter Gloria Patri. Sanctissima Trinitas miserere nostri, domine dele peccata nostra, domine parce iniquitatibus nostris, sancte visita, & medere infirmitatibus nostris propter nomen tuum. Kyrie eleison, ter Gloria Patri. Quoniam tuum est regnum, & virtus, & gloria Patris, & Filii, & Spiritus sancti, nunc & semper, & in secula seculorum Amen. Kyrie eleison duodecies. Gloria Patri. Venite adoremus Regem nostrum Deum. Venite adoremus Christum Regem nostrum Deum. Venite adoremus, & prociadamus coram ipso Domino Jesu Christo, & Deo nostro. Hoc initium est omnibus*

horis commune, si dicantur separatim: *sin autem simul recitentur, illa Officia quæ adjunguntur ab illis versiculis incipiunt, Venite adoremus. Deinde Noct. ita prosequuntur. Dicunt Psal. 50. Miserere, & integrum Ps. 118. Beati immaculati in via. Credo in unum Deum, Trisagion, Troparia consueta, & præscripta. Kyrie eleison quadragesies, cum solitis Orationibus. Tum sequitur secunda pars Nocturni. Venite adoremus ter, ut supra, Ps. 120. Levavi oculos meos, & 133. Ecce inveni. Trisagion, Troparia pro defunctis, & dimisso Nocturni cum præcationibus pro vivis, & eorum necessitatibus specialiter expressis, & pro defunctis. Hic accedit petitio veniæ, & absolutio Sacerdotis, seu Archimandritæ, aut alterius Præpositi Monachorum. Die Sabbati loco psalmi *Beati immaculati* dicuntur psalmi sequentes, *Te decet Hyminus usque ad Deum in adiutorium invocativè, videlicet à 64. usque ad 69. Dominica die Nocturnum peritus diversum est. Post commune principium dicitur Ps. Miserere. Tum Odarium de sanctissima Trinitate, quod novem odis constat, sicut cætera omnia Odaria: secunda ratiomen ode non canitur. Trisagion Troparia consueta, Litania pro variis indigentibus, Petitio veniæ, absolutio, & præcationes pro vivis, eorumque necessitatibus.**

Ad Matutinum præmissis initio præscripto dicuntur Psalmi 9. & 120. Exaudiat & Domine in virtute sua. Mox Trisagion cum Tropariis, & Litania Sacerdotis. Tum psalmi sex, nempe 3. Domine quid multiplicati sunt, 37. Domine ne in furore, 62. Deus Deus meus ad te de luce vigilo, 87. Domine Deus salutis meæ, 102. Benedic, & 142. Domine exaudi. Sequitur Litania magna Sacerdotis. Canitur deinde Deus Dominus & illuxit nobis, seu Alleluja pro diversitate temporum, Troparia, & debita Cathismata Psalterii, Psalmus 50. Miserere, & post ipsum aliqua Odaria. Tum Magnificat addendo post quemlibet versiculum glorificationem B. Virginis Mariæ. In festis autem solemnioribus non Magnificat, sed quedam alia cantantur, & in aliquibus festivitatibus sufficit ode nona, quæ semper sine ulla exceptione B. Virginis laudes continet.

Laudes immediatè junguntur Matutino, ideoque incipiunt sine prævis orationibus, sed post Exapostilarion, sive dimissorium canitur omnis spiritus laudet Dominum. Sequuntur Psalmi 148.

Laudate Dominum de cœlis, 69. *Deus in adiutorium*, & 108. *Deus laudem meam ne tacueris*, interferendo ultimi Pf. Versiculis Stichiria diversa pro dierum diversitate. Additur *Gloria in excelsis* totum cum orationibus: Tum Litanias, & Stichiria cum quibusdam Versiculis: & post *Gloria Patri* cum Stichirio cantatur Versiculus *Bonum est confiteri Domino*. Demum Trisagion, Troparion, Litanias, & finis.

Ad Primam post initium dicuntur Psalmi 5. *Verba mea auribus percipe*, 89. *Domine refugium*, & 100. *Misericordiam*, & *judicium*. Deinde Troparia pro temporis exigentia, & nonnulla quæ nunquam mutantur, Trisagion, Contacion quod est brevissimus modulus, *Kyrie eleison* quadraginta vicibus, Orationes, & finis.

Ad Tertiam, Sextam, & Nonam idem ordo servatur, sed Psalmi diversi sunt, & diversæ Orationes. Psalmi Tertiæ sunt 16. 24. & 50. *Exaudi Domine justitiam meam*, *Ad te Domine levavi animam meam*, & *Miserere*. Sextæ 53. 54. & 90. *Deus in nomine tuo*, *Exaudi Deus orationem*, & *Qui habitat*. Nonæ 83. 84. & 85. *Quam dilecta*, *Benedixisti*, & *Inclina*. Caterum præter horas sunt quoque officio, quæ Mezoriam nuncupantur. Mezorium primæ horæ post initium à Trisagio sumptum habet Psalmos 45. 91. & 92. *Deus noster refugium*, *Bonum est confiteri*, & *Dominus regnavit decorem indutus est*. Sequitur Trisagion, & post ipsum Troparia, tum *Kyrie eleison* triginta vicibus, Orationes, & finis. Similiter procedunt reliqua Mezoriam, sed Psalmos & Orationes peculiare habent. Mezorium horæ tertie his constat Psalmis 29. 31. & 60. *Exaltabo te Domine*, *Beati quorum*, *Exaudi Deus deprecationem meam*. Sextæ 55. 56. 59. *Miserere mei Deus quoniam conculcavisti me homo*, *Miserere mei Deus miserere mei*, *Deus in adiutorium meum intende*. Nonæ 83. 84. 85. ut supra ad Nonam.

Typicon ita incipit. *Benedic anima mea Dominum*: *Benedictus es Domine*: sequuntur Psalmi 101. & 145. *Benedic anima mea Dominum*, & *Lauda anima mea Dominum*. Tum Canticum de Verbo incarnato. Octo beatitudines cum Tropariis, aut Stichiriis, Epistola, & Evangelium. Preces cum glorificatione sanctissimæ Trinitatis, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, *Credo in unum Deum*. Oratiuncula deprecatoria *Pater noster*. Contacia. *Kyrie eleison* duodecies. Oratio ad sanctissimam Trinitatem. Psalmus 33. *Benedicam Dominum in omni tempore*, & finis.

Ad Vesperas post consuetum initium dicitur

Psalmus 103. *Benedic anima mea Dominum*: Tum Litaniam magna. Postea Psalterium, mox Psalmi 140. *Domine clamavi ad te*, 141. *Voce mea ad Dominum clamavi*, 129. *De profundis*, 119. *Laudate Dominum omnes Genes*: Versibus autem duorum Psalmorum posteriorum intermiscetur stichiria, Sequuntur Versiculi, Prophetiæ, Litanias, Orationes, Psalmus 122. *Ad te levavi oculos meos* cum stichiriis. Diebus Sabbati, & in primis Vesperis solemnitatum loco præfati Psalmi alii Versiculi adhibentur. Demum *Nunc dimittis*, Trisagion, Troparion, Litanias, & finis.

Completerium, quod à Græcis *ἁπλοῦς* dicitur, quia post cœnam persolvi solet, triplex est pro temporum diversitate. Aliud est parvum, aliud medium, aliud magnum. Completerium parvum præmissio principio habet Psalmos 50. *Miserere*, 69. *Deus in adiutorium*, & 142. *Domine exaudi*. Sequitur *Gloria in excelsis* cum Orationibus. Tum Odarium, Trisagion, Troparia, *Kyrie eleison* quadragesies, Oratio ad Deum, Oratio ad B. Virginem, alia Oratio ad Deum, & finis cum petitione veniæ, absolutione, & precationibus pro vivis, & defunctis. Completerium medium post initium habet Psalmum *Qui habitat*, tum Canticum *Isaiæ Nobiscum Deus*, postea Troparia, *Credo in unum Deum*, Invocationes B. Virginis, Angelorum, & Sanctorum, Trisagion, Troparia, *Kyrie eleison* quadragesies, & Orationem. Mox ter *Venite adoremus*, Psal. 50. 69. & 142. *Gloria in excelsis*, & reliqua, ut in parvo Completerio. Completerium magnum in tres partes distinguitur. Prima pars post initium constat Psalmis 4. *Cum invocarem*, *Domine ne in furore*, 12. *Usquequo*, 24. *Ad te Domine*, 30. *In te Domine speravi*, & 90. *Qui habitat*. Sequitur Canticum *Isaiæ Nobiscum Deus*, Troparia, *Credo in unum Deum*, Invocationes B. Virginis, Angelorum, & Sanctorum, Trisagion, Troparia, *Kyrie eleison* quadragesies, & Oratio. Secunda pars incipit à Versu *Venite adoremus* ter: deinde dicuntur Psalmi 50. & 101. *Miserere*, & *Domine exaudi*. Tum Oratio Manasse Regis Judæorum, Trisagion, Troparia, *Kyrie*, & Oratio. Tertia pars post *Venite adoremus* ter, habet Psalmos 109, & 142. *Dixit Dominus Domino meo* & *Domine exaudi*: deinde *Gloria in excelsis*, & reliqua, ut in parvo Completerio. Atque hi sunt ritus, quibus communiter utuntur Græci: sunt tamen aliqua quæ pro ratione temporum immutantur. Officium enim hebdomadæ Paschatis diversum est & brevissimum, Officium Quadragesimæ solito longius,

Y y y longius,

longius, & alia multa sunt, quæ sigillatim describi non possunt: & si quis ea exactius scire desiderat, Typicæ consulere debet. Porro Græci ritus nullibi exactius observantur, quam in Monte sancto, quem Geographi Athon vocant. Degunt in eo multa millia Monachorum in diversis Monasteriis, estque in tanta apud Græcos sanctimoniam æstimatione, qua Roma apud nos. Mons adeo elatus est, inquit Pomponius Mela, ut credatur altius surgere, quam unde imbres cadunt. Longitudo ejus trium dierum, latitudo dimidii diei iter habere dicitur, estque in Macedonia. Sunt autem ritus Græcorum antiquissimi à sanctis Patribus Sabba, Charitone, Euthymio, & aliis sapientissimè ordinati. Successu verò temporis multa addita, & mutata sunt, ut docet vir doctissimus, & horum rituum peritissimus Leo Alatius l. 3. de consensu Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ c. 13. & in Dissertatione de libris Ecclesiasticis Græcorum. Atque hinc factum est, ut Græcanica officia in ingentem molem excreverint.

§. XIV.

De ritu Græco Monachorum Cryptæ ferratæ Ordinis S. Basilii.

Monasterium Cryptæ ferratæ in agro Tusculano ritus habet à communi usu Græcorum in nonnullis differentes, quod quidem discrimen licet essentialiter non sit, vel magni momenti, libet tamen eisdem hic seorsim describere, prout ab illo Monasterio mihi transmissi sunt, ad uberiores Officii Græci cognitionem. Psalterium dividunt in 20. Cathismata, ut supra: & singulorum ficiorum hæc series est.

Nocturnum sive *μεσσηνίου* certis tantum diebus, recitant, ut in Adventu Domini, & in Quadragesima, aliisque paucis inter annum diebus.

Ad Matutinum sic procedunt. Hebdomadarius accepta benedictione à Superiore sic incipit: *Benedictum Regnum Patris, & Filii, & Spiritus sancti nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Respondet Chorus, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Quo Versu bis repetito statim dicunt, Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Deinde dicunt hos Psalmos, *Domine quid multiplicati sunt, Domine ne in furore tuo, 2. Deus Deus meus ad te de luce vigilo, & in fine Psalmi addunt, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Alleluja ter, Gloria tibi Domine, & iterum ter*

Alleluja. Tunc psallunt alios tres Psalmos *Domine Deus salutis meæ. Benedic anima mea Dominum, 1. & Domine exaudi, 142. Gloria Patri, cum reliquis ut supra.* Isti sex Psalmi semper iidem recitantur ad Matutinum. Adduntur Cathismata, quæ priusquam persolvant, nonnullas prætermittunt preces, quas Irenicæ, id est pacificatorias vocant, quia ad pacem implorandam illas effundunt. Mox dicunt Orationem *Gratias agimus tibi Domine Deus noster,* post quam canit Hebdomadarius idem repetente choro, *Deus Dominus, & illuxit nobis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Iterum Hebdomadarius, *Confitebor tibi Domine quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.* Respondet Chorus, *Deus Dominus, & illuxit nobis.* Hebdomadarius, *Circumdederunt me.* Succinit Chorus, *Deus Dominus: & sic per plures Versiculos.* His expletis dicunt Orationem currentis diei sub nomine Troparii, & iterum aliam Orationem, tum versiculos quosdam graduales, atque Evangelium diei. Post Evangelium recitant Psalmum 50. *Miserere: & si fuerit dies Dominicus sequitur Hymnus de resurrectione, alioquin dicitur alia Oratio.* Sequuntur deinde lectiones currentis diei, quas vocant Canones, & constant novem lectionibus: quælibet autem lectio vocatur ode constans quibusdam Tropariis. Ante nonam lectionem concinunt Canticum B. Virginis *Magnificat* cum *Gloria Patri.* Postea additur deprecatiuncula quam vocant Exapostilarion id est dimissorium. Tum psallunt. *Laudate Dominum omnes Gentes, & quædam Troparia.* Deinde *Gloria in excelsis Deo, Trisagion, Gloria Patri, & hanc Orationem: Sanctissima Trinitas miserere nobis, Domine indulge iniquitatibus nostris, Domine, parce peccatis nostris, sancte Domine protege nos, & sana infirmitates nostras propter gloriam nominis tui. Domine miserere, Domine benedic.* Sequitur *Pater noster,* quo alta voce decantato statim Hebdomadarius ait, *Quoniam tuum est regnum, & virtus, & Gloria Patris, & Filii, & Spiritus sancti nunc & semper, & in sæcula sæculorum Amen.* Et statim recitant Orationem currentis feriæ, vel sancti, & post nonnullas alias deprecationes absolvitur Matutinum.

Primam dicunt immediatè post Matutinum, & idè eo absoluto cantant omnes alta voce *Pater noster: & statim Hebdomadarius dicit, Quoniam tuum est regnum. Mox alternatim ter concinunt Venite adoremus, & prociadamus Christo Regi, & Deo nostro.* Sequuntur Psalmi tres, post quos dicunt ter *Alleluja, Gloria tibi Domine.* Denum post

post aliquot deprecationes, post Trifagion, *Pater noster*, *Quoniam tuum est regnum*, & post duo Tro-
paria recitant Orationem hujus horæ, & sic fini-
tur Prima.

Tertia, Sexta, & Nona eodem modo proce-
dunt, mutatis Psalmis, Tropariis, & Orationi-
bus. Ad has autem horas, sicut & ad Primam
eosdem concinunt Psalmos, qui jam supra de-
scripti sunt in communi ritu Græcorum. Adjun-
guntur his, qui nunquam mutantur, Cathismata,
sive Psalterii portiones, ut supra quoque nota-
tum est.

Vesperæ incipiunt sicut Matutinum, *Benedi-
ctum regnum*. Sequitur alia voce *Pater noster*,
quo finito dicit Hebdomadarius, *Quoniam tuum
est regnum*, & statim psallunt omnes alternatim
Venite adoremus, quo ter repetito, cantant Psal-
mum 103. *Benedic anima mea Dominum*. Postea
si fuerit dies Dominicus, vel aliqua solemnitas,
subdunt preces pacificatorias: quas aliis diebus
omittunt. Sequitur Oratio, quæ incipit, *Do-
mine misericors, & miserator*. Post quam dicitur
εὐχὴ πᾶσι, *Pax omnibus*, cui salutationi respon-
detur, *& cum spiritu tuo*. Item *Inclinate capita
vestra Deo*, respondetur *Tibi Domine*. Et statim
cantatur Antiphona, juxta cujus tonum concin-
nuntur quatuor Psalmi jam supra notati in com-
muni ritu Græcorum. Finitis Psalmis accedunt
singulatim Sacerdotes plures, vel pauciores juxta
exigentiam diei, ad canendum Troparia, post
quæ Superior, vel cui ipse jusserit, intonat *Gloria
Patri*. Tum aliud Troparium ab aliquo Dia-
cono, vel Subdiacono canitur, incipiens *φῶς ἡλασθῆναι
Lumen lætitiæ*. Sequuntur quidam versiculi di-
versi pro varietate dierum, post quos ab eodem
Diacono, vel Subdiacono recitatur quædam O-
ratio incipiens, *Dignare Domine hoc vespere*. Tum
Sacerdos alias recitat preces, & post alia quatuor
Troparia concinunt Canticum *Nunc dimitte*, &
post ipsum Trifagion, *Sanctissima Trinitas, Pa-
ter noster, Quoniam tuum est regnum*. Denique di-
citur Oratio currentis diei, vel sancti, & post alias
quædam deprecationes Vesperæ finiuntur.

Ad Completorium Hebdomadarius accepta
Benedictione dicit *Benedictus Deus noster nunc
& semper, & in sæcula sæculorum, Amen*. Sequi-
tur Trifagion, *Sanctissima Trinitas, Pater noster,
Quoniam tuum est regnum*. Deinde dicuntur Psal-
mi sequentes, *Dominus illuminatio mea, Domine
in nomine tuo, & Miserere*. Mox recitatur Canon,
& post oden octavam Canticum B. Virginis con-
cinunt, & post ipsum immediatè legunt unam

lectionem, sive compendium vitæ sancti curren-
tis. Tum nona ode subsequitur, & post ipsam
Psalmus *Deus misereatur nostri*: deinde Trifa-
gion, *Sanctissima Trinitas, Pater noster, Quoniam
tuum est regnum*, Oratio ad B. Virginem, depre-
cationes pro variis necessitatibus, & finis.

§. XV.

De ritu Armenorum.

1. **C**Larissima inter omnes Asiæ regiones est
Armenia, multitudine populorum, terræ
fertilitate, salubritate aeris, & locorum amœni-
tate. Dividitur in majorem, & minorem. Major
Turcomannia nunc dicitur, Popul, & Curdi.
Minor Pegian; & Bozoc; & dividitur à majori
Euphrate flumine. Illa sub Persarum, hæc sub
Turcarum tyrannico dominio miseram servit, &
duram servitutem. Ad fidem Christi conversa
fuit B. Apostoli Bartholomæi prædicatione,
quam illibatam per aliquot secula conservavit;
sed ut res humanæ in deterius semper labuntur,
vicinæ Græciæ erroribus tandem adhæsit, & à
Romana Ecclesia separata est. Porro statum Re-
ligionis Armenæ verè, copiosè, & eleganter de-
scribit vir multis pro Catholica fide exantlatis
laboribus illustris D. Clemens Galanus Surren-
tinus Clericus Regularis in sua Conciliatione
Ecclesiæ Armenæ cum Romana, quæ nuper Ro-
mæ Latino, & Armeno idiomate edita est typis
sacrae Congregationis de propaganda fide. Ab
hoc qui multis annis in illis regionibus moratus
est; & ab ejus discipulo Der Garabiet Mon-
cho Armeno Cyriaci Armeniorum Patriarchæ
Catholici nuper defuncti fratre germano viro
Catholico ea didici, quæ de illius Ecclesiæ ri-
tibus hic fideliter describo.

2. Psalterium, sicut Græci in viginti Cathisma-
ta, ita Armeni in octo sectiones dividunt, quas
canones appellant. Prima sectio continet Psal-
mos decem & septem, à primo usque ad 18. *Cæli
enarrant*, exclusivè. Secunda habet Psalmos de-
cem & octo, à decimo octavo usque ad 36. *Noli
amulari malignantibus*. Tertia constat Psalmis
undeviginti, à trigésimo sexto usque ad 55. *Mi-
serere mei Deus quoniam conculcavit me homo*.
Quarta est Psalmorum decem & septem, à quin-
quagesimo quinto usque ad 72. *Quam bonus Israel
Deus*. Quinta est Psalmorum viginti septem, à
septuagesimo secundo usque ad 99. *Jubilate Deo
omnis terra*. Sexta habet Psalmos septem, à no-
nagesimo nono usque ad 106. *Confitemini Domi-*

Yyyy 2

no

no quoniam bonus. Septima Psalmis constat tredecim, à centesimo sexto usque ad 119. *Ad Dominum cum tribularer clamavi.* Octava denique ab hoc usque ad finem Psalmos continet triginta duos. Hæ Psalterii divisiones adjuvantur Officio divino jam ex Psalmis, aliisque precibus constituto, sicut Græcorum Cathismata: & sic Psalterium non semel, aut bis in Hebdomada, ut supra de Græcis dictum est, sed semel in die totum ex integro in Monasteriis percurrunt. In aliis autem Ecclesiis ipsas sectiones ita per ferias dividunt, ut non nisi semel in Hebdomada Psalterium expleant.

3. Totum Officium in octo dividunt partes. Prima dicitur *Mesebchiferis*, sive media nox, & est Officium nocturnum, quod ab illis media nocte recitatur. Secunda, *Arzuodian*, Diluculum, sive Laudes. Tertia, *Arieuachal*, ortus solis, id est Prima. Quarta, *Ferruort*, hora tertia. Quinta, *Viezieruort*, hora sexta. Sexta, *Innieruort*, hora nona. Septima, *Feriegbuorian*, Vespere. Octava, *Kbakhbaghghan*, pacificatio, sive requies, & est Completorium. His accedit nonnum quoddam Officium, quod à singulis privatim dicitur in fine crepusculi vespertini: antequam cubitum eant. Sed de singulis sigillatim agendum est.

Nocturnum Officium incipit ab Oratione Dominica. Tum dicitur ter *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Benedicta sit consubstantialis unica & individua Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus sanctus nunc & semper, & in secula seculorum Amen.* Sequuntur Psalmi Domine quid multiplicati sunt, Domine Deus salutis mee: *Benedic anima mea Domino, & omnia que intra me sunt: Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem.* In fine Psalmorum dicitur *Gloria Patri*: Tum Oratione quæ incipit, *Excitati à quiete somni, quem nobis concessit amator hominum Deus in subsidium fragilitatis nostræ gratias agamus illi.* Post Orationem legitur Concio sive Parænesis, qua lecta psallunt quinquagesies *Domine miserere*, & in diebus jejuniorum centies magna & elata voce; diebus autem festis ter tantum. Mox unus dicit Orationem *Gratias agimus tibi Domine Deus noster*, &c. cantant deinde Hymnos, sive Cantica quædam ab ipsis composita vario metrorum genere. Post hæc diebus Dominicis legunt Evangelium. Sequuntur preces. *Intercessione sanctæ Dei Genitricis, S. Joannis Baptistæ, & S. N. illius scilicet cujus festivitas agitur, concede nobis omnipotens Deus, &c.* Hic interferunt duas

priores Psalterii sectiones: Tum leguntur quatuor Conciones sive sermones exhortatorii, diversi pro temporum diversitate, & post singulos singulas cantant Orationes diverso tono. Sequitur Hymnus incipiens *Rex seculorum*. Tum alius Hymnus singulis feriis diversus. Mox alia deprecatio, lectio Menologii, *Pater noster*, & finis. Et hic percurrunt tertiam, quartam & quintam sectionem Psalterii.

Laudes post Orat. Dominicam inchoantur à Versu *Repleti sumus mane misericordia tua usque ad finem Psalmi.* Sequitur immediatè Cant. 3. puerorum. Tum Oratione *Benedicite Creatorem creaturarum, Dominum dominorum, Regem regum, &c.* Ode in laudem SS. Invitati ad orandum. Oratione ad Beat. Virginem, Canticum *Magnificat* Hymnus in laudem B. Virginis. Canticum *Benedictus*; Hic vero diebus Dominicis sequentia intermiscunt: preces pro omni statu hominum hoc modo Sacerdos ait, *Oremus Dominum pro tali re, vel persona: Respondent omnes Dominum oremus: Orationem Tuus Rex seculorum, &c.* Tres Versus Psalmorum diversos pro temporum diversitate: *Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & usque in seculum: Evangelium de Resurrectione: sermonem seu copiosissimum, Latini magno gaudio propter nuntium Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, &c.* & brevem Orationem. Hæc omnia diebus Dominicis. Aliis diebus post Canticum Zachariæ sequitur Oratione. Deinde Psalmi 50. *Miserere.* Exhortatio ad orandum per intercessionem sanctorum illius diei. Ode iterum Encomiastica sanctorum. Oratione qua prosternunt se Deo. Psalmus *Laudate Dominum de celis* cum duobus sequentibus. Tres Versus replicati in honorem Dei, & Sanctorum illius diei. *Gloria in excelsis Deo.* Duo Versus ex Psalmis, varii pro dierum varietate. Orationes quas tres Monachi, seu Clerici decantant. Oratione, Trisagion, Psal. *Laudate pueri Dominum.* Hic vero die Dominica legitur Evangelium dicitur Ode seu Hymnus, Psalmi, *Verba mea auribus percipe Domine, Dilexi quoniam exaudiet Dominus, cum duobus sequentibus. De profundis. Deus in nomine tuo salvum me fac.* Duo postremi Versus Psalmi 85. Iterum preces pro omni statu hominum Hymnus, Concio, Oratione, *Pater noster*, & finis.

Prima sic peragitur. *Pater noster. Sit nomen Domini benedictum in secula, ante solem permansit nomen ejus, cum cæteris Versibus usque ad finem Psalmi 75. Gloria Patri. Oratione, Psalm.*
Bonum

Bonum est confiteri Domino, Oratio; Psalmi, *Deus Deus meus ad te de luce vigilo: Te decet Hymnus.* Oratio. Hymnus diebus dumtaxat jejuniorum. Psalmus, *Deus Deus meus respice in me. Audiam fac mihi mane misericordiam tuam,* usque ad finem Psalmi 142. *Eructavit cor meum: Deus in adiutorium meum intende.* Duo postremi Versus Psalmi 85. *Gloria Patri, Concio, Oratio, & Pater noster.*

Ad Tertiam. *Pater noster.* Oratio ad Spiritum sanctum Psalm. 50. *Miserere.* Canticum, & Concio, *Sectio sexta Psalterii.* Oratio iterum ad Spiritum sanctum. Psalm. 21. & 142. à Versu octavo usque ad finem. *Gloria Patri, Concio, Oratio, & Pater noster.*

Ad Sextam. *Pater noster.* Oratio ad Patrem. *Miserere.* Concio, & Oratio, *Sectio septima Psalterii.* Quatuor primi Versus Psalmi 40. Psalm. *Qui habitat.* Concio, Oratio, & *Pater noster.*

Ad Nonam. *Pater noster.* Oratio ad Filium, *Miserere,* Concio, & Oratio. *Sectio octava Psalterii.* Psalmi *Dilexi, Credidi, & Laudate Dominum omnes gentes.* Canticum. Concio, & *Pater noster.* Hic autem in conventu dicitur Missa, sive Liturgia. Hæc peracta, & extra Ecclesiam ea omnia sequitur Psalmus unus diversus pro varietate diei. Tum encomium, sive Oratio panegyrica ad Sanctum, ubi ea die recolitur memoria. Trisagion. Oratio, & Concio. Versus aliquot Psalmorum. Lectio prolixa ex Prophetis, vel ex Apostolo, ita ut integra Epistola perlegatur. *Alleluja* bis. Tres Versus ex Psalmis. Semel *Alleluja,* Lectio Evangelii. *Credo.* Concio, & Oratio. *Pater noster, & finis.*

Vesperæ sic celebrantur. *Pater noster.* Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus salvabit me. *Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Sequuntur alii Versus ab ipsis compositi. Tum *Gloria Patri.* Psalmus *Inclina Domine.* *Gloria Patri.* *Gloria tibi Domine.* Psalm. 139. *Eripe me Domine ab homine malo,* cum duobus sequentibus. Preces ut supra in Laudibus, repetendo viginti tribus vicibus ad totidem Orationes *Dominum oremus:* sed hæ preces dicuntur tantum die Dominico. Deinde Oratio. Trisagion. Psalm. *Levavi oculos meos in montes.* Canticum. Concio, & Oratio. Psalmi *Qui habitat.* *Ad te levavi oculos meos.* *Deus in nomine tuo salvum me fac.* Concio. Oratio. *Pater noster.*

Completorium duplex est. Alterum dicitur in Ecclesia immediatè post Vesperas in ipso occasu

solis. Alterum à singulis privatim recitatur initio noctis post refectionem in fine crepusculorum, post quod nefas est quicquam cibi, vel potus capere, aut cum aliquo colloqui. Primum sic procedit. *Pater noster.* *Domine Deus salutis meæ in die clamavi, & nocte coram te: Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.* *Gloria Patri.* Psalmi *Cum invocarem.* *Domine ne in furore.* Usquequo *Domine.* *Conserve me Domine.* *Exaudi Domine iustitiam meam.* *Quemadmodum desiderat cervus.* *Deus in adiutorium.* Duo postremi Versus Psalmi 85. *Gloria Patri.* Canticum prolixum, quo faustam à Deo noctem precantur. Concio, & Oratio, Psalm. *Dominus illuminatio mea.* Hymnus diebus dumtaxat jejuniorum. Concio, Oratio, & *Pater noster.*

Secundum sic recitatur. *Pater noster.* *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, & quæ sequuntur usque ad finem Psalmi 42.* *Gloria Patri* cum quibusdam versiculis. Ex Psalmo *Beati immaculati in via* aliquot octonarii, videlicet, *Et veniat super me misericordia tua Domine: Memor esto verbi tui servo tuo: Iniquos odio habui: Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine.* Psalmi 35. quatuor postremi versus, *Quoniam apud te est fons vitæ, &c.* Ex Cantico *Abacuc,* *Ego autem in Domino speravi usque ad finem.* Psalmi *Qui habitat.* *Ad te levavi oculos meos.* *Deus in nomine tuo salvum me fac.* Initium Cantici puerorum, *Benedictus es,* usque ad *Benedicite aquæ.* Psalmus postremus *Laudate.* *Nunc dimittis.* Ex Psalmo 137. Versus *si ambulavero usque ad finem.* Ex Psalm. 141. *Clamavi ad te Domine usque ad finem.* *Magnificat.* Duo ultimi Versus. Psalm. 85. Oratio, Psalmus *Cum invocarem.* Hymnus, Lectio Evangelii. Oratio prolixa. *Pater noster, & finis.*

4. In Armenia majori est parva quædam Provincia quæ dicitur Nascivianensis decem circiter oppida habens, in quorum majori Abraner resider Episcopus Catholicus. Hæc ad veram, & Catholicam fidem conversa fuit tempore Joannis XXII. Romani Pontificis à B. Bartholomæo Bononiensi Ordinis Prædicatorum illarum partium Episcopo: suntque in ea aliquot ejusdem Ordinis monasteria, in quibus divinum recitatur Officium lingua quidem Armena, sed juxta consuetudinem Fratrum Prædicatorum, quem ritum sequuntur etiam Presbyteri seculares in provincia degentes.

De ritu Maronitarum.

1. **C**æsar Baronius in Notationibus ad Romanum Martyrologium ad diem vigesimam primam Octobris; Maronitæ, inquit, sunt illi Christiani, qui proprios habentes Episcopos, degentes in monte Libano magna fidei sinceritate, & animi ardore communicant Romanæ Ecclesiæ. An verò Maronitarum nomen à Maronia civitate Syriæ, vel à sancto Marone Abbate sortiti sint, non audeo definire. Ipsi autem Maronitæ in Romano Collegio degentes hac de re à me interrogati responderunt, se primos esse Christi fideles, qui ab ipso Christo sive ab Apostolis ad fidem conversi fuerunt, quam semper integram, & inviolatam conservarunt; atque ideo ipsi soli inter omnes Phœnicie incolas Romanam Pontificem Christi Vicarium esse, & Petri successorem confitentur. Nomen autem Maronitarum vel à S. Marone primo illarum gentium Patriarcha se accepisse existimant: vel quia Maronita voce Syriaca idem est ac Dominicus, unde ipsi Maronitæ sive Dominici vocantur, quia fidem nunquam violarunt, quam à Domino acceperunt. Plura de Maronitis, eorumque nomine, statu, & Religione curioso Lectori supeditabit Franciscus Sacchini Historiæ Societatis Jesu p. 4. l. 6. num. 37. & sequentibus. Habent isti proprios ritus, & divina Officia lingua Syriaca perfolvunt: cum vulgaris ipsarum Arabica sit.

Septem apud Maronitas sunt Horæ Canonice. Media nox, sive Nocturnum, Matutinum, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium. Nocturnum eorum lingua dicitur *Lilio* hoc est nox, quia media nocte recitatur. Matutinum *Saphio* hoc est Aurora; Tertia *Tlosciobin*, Sexta *Scet sciobin*, Nona *Tesasciobin*, Vesperæ *Ranso*, Completorium *Suro* hoc est protectio, seu destructio, quia dicitur post occasum, vel ut ita dicam post destructionem solis. Horam Primam non habent.

Psalterium nec per Hebdomadam, nec per totum annum recitant, sed certos quosdam Psalmos invariabiliter singulis horis dicunt, nimirum media nocte, *Ecce nunc benedicite Dominum, & Laudate Dominum omnes gentes*: ad Matutinum *Deus Deus meus ad te de luce vigila, Qui habitat, Misereere, & Laudate Dominum omnes gentes*: ad Tertiam, & Nonam *Misereere*: ad Vesperas *Misereere, Domine clamavi ad te, voce mea ad Dominum clamavi, & ex Psalmo 118. octo Versus inci-*

piendo à Versu *Lucerna pedibus meis verbum tuum*: ad Completorium *Misereere, Qui habitat, & Laudate Dominum omnes gentes*.

In principio & fine cujusque Officii semper dicunt Trisagion, *Pater noster, Ave Maria, Credo in unum Deum*, & aliam Orationem. Deinde semper cum Hymno recitant aliquem Psalmum, vel aliquod Canticum, vel aliquas invocationes. Prius autem recitatur una pars Psalmi, vel Cantici, sive aliqua invocatio: postea dicitur una pars Hymni: sequitur alia pars Psalmi, tum sequens pars Hymni, & sic deinceps donec Hymnus ex integro perfolvatur.

Hora mediæ noctis continet sexdecim Orationes, undecim Cantica, sex Hymnos, duos Psalmos, Responsorium unum, & alias invocationes. Primò autem recitatur una Oratio, & unum Canticum cum secunda Oratione: deinde primus Hymnus cum primo Psalmo, & duæ aliæ Orationes, & secundus Hymnus cum aliquibus invocationibus: Tum quinta Oratio, & duo alia Cantica cum duabus Orationibus, & tertius Hymnus cum invocationibus: octava Oratio, & duo Cantica, & tres Orationes: Hymnus quartus cum invocationibus, & una Oratio, & duo Cantica: decima tertia Oratio & quintus Hymnus cum uno Cantico: deinde unum Responsorium cum duabus Orationibus, & sextus Hymnus cum secundo Psalmo: demum Oratio decima sexta, & reliqua Cantica.

Matutinum undecim habet Orationes, septem Hymnos, sex Cantica, quatuor Psalmos, & unum Responsorium, hoc pacto. Dicitur prima Oratio, & primum Canticum: secunda Oratio, & secundum Canticum, atque tertia Oratio: primus Hymnus cum tertio Cantico, & quarta Oratio: secundus Hymnus cum primo Psalmo, & quinta Oratio: tertius Hymnus cum secundo Psalmo, sexta Oratio: quartus Hymnus cum tertio Psalmo, & septima Oratio: quintus Hymnus cum quarto Cantico, & octava Oratio: sextus Hymnus cum invocationibus, & nona Oratio: septimus Hymnus cum quarto Psalmo: deinde Responsorium, duæ Orationes, quintum Canticum; Oratio, sextum Canticum, & finis.

Tertia, Sexta, & Nona habent quinque Orationes, & tria Cantica, sive duo Cantica, & unum Psalmum. Sexta habet tria Cantica: Tertia, & Nona unum Psalmum, & duo Cantica. Sic verò in his proceditur. Dicitur primò Oratio: deinde Psalmus, vel Canticum, alia Oratio, & aliud Canticum, & finis.

Vesperæ

Vesperæ Orationes septem, duos Hymnos, quatuor Cantica; quatuor Psalmos, & unum Responsorium continent hoc ordine. Psallitur una Oratio, & unum Canticum: secunda Oratio, secundum Canticum, & tertia Oratio; Hymnus cum primo Psalmo, & quarta Oratio: secundus Hymnus cum reliquis tribus Psalmis: deinde Responsorium, quinta, & sexta Oratio, tertium Canticum, septima Oratio, & quintum Canticum.

Completorium quinque Orationibus constat, & tribus Psalmis, duobus Hymnis, & duobus Canticis. Una dicitur Oratio, & unus Psalmus: deinde secunda Oratio, & Hymnus cum secundo Psalmo: mox tertia, & quarta Oratio, & unum Canticum: tum Hymnus secundus cum tertio Psalmo: demum quinta Oratio, & secundum Canticum.

S. XVII.

De ritu Illyricorum.

Illyricum, seu Sclavonia propriè dicitur ea regio, quæ Dravum, Savumque amnem interjacet, ab occasu Stiria, ab ortu Danubio clausa, à Septentrione perpetuis montium jugis, quibus à Pannonia discernitur. Sclavonia dicitur à gente Sclavonica, quæ olim circa Mæotidem paludem habitabat, & in has regiones descendit. Porrò lingua Sclavonica longè lateque patet, atque idèd plurimæ gentes sacra peragunt hoc idiomate. Ritus verò sequuntur vel Græcum, vel Latinum. Nam in Dalmatia littorali, in Liburnia, & in Istria omnes Ecclesiastici tam seculares quam Regulares Romano ritu psallunt, habentque Breviarium Romanum Illyrica lingua impressum. In cæteris autem regionibus, videlicet in Servia, Mysia, Bosnia, Bulgaria, Russia Minori Regi Poloniæ subdita, in Volhonia, Podolia, & parte quadam Lituaniæ, aliisque finitimis provinciis ritu Græco divinum peragitur Officium translatis Græcorum Typicis in Sclavonicam linguam. Eisdem Græcos ritus eadem lingua servant Moscovitæ, quorum Regio Russia major, seu Roxolania nuncupatur, & quinque parent. Moscovitici Ducis amplissimo imperio: Christiani quoque Tartari circa Tauricam Chersonesum, Circassi, & multæ Ponticæ nationes. Ajunt quidam Historici, Gregorium VII. usum hujus linguæ in sacris Vladislao Bohemorum Duci noluisse concedere: sed concessum jampridem fuisse, anno scilicet 880. narrat Baro-nius.

S. XVIII.

De ritibus Æthiopum, sive Abassinorum, & Coptiorum.

I DE rebus Abassinorum tres libros scripsit Nicolaus Godignus, ex quibus statum illius regionis curiosus lector intelliget. Est autem Abassia ea pars Africa, quam veteres Æthiopiæ sub Ægypto vocarunt, atque ejus Principis imperio subjecta est, quem vulgò Europæi Pretejanem appellant. Ab ipso exordio Apostolicæ prædicationis Christi fidem susceperunt Æthiopes, prædicante ipso Eunucho Candacis Reginae, quem paulò post S. Matthæus Apost. sequutus est. Unicum habent Episcopum, quem Abunam id est Patrem vocant, missum illuc à Patriarcha Alexandrino. Schismaticos eos esse, & erroribus Dioscori, atque Eutychetis infectos notissimum est. His addiderunt quasdam Judaicas superstitiones, quibus pertinaciter adherent. In sacris lingua Æthiopica utuntur, quæ tamen à populari diversa est. Nocturnum Officium vocant *Man-fachalelit*, Primam *Neg*, Tertiam *Selestu*, Sextam *Sedastu*, Nonam *Tasaatu*. Vesperas *Saro*, Completorium *Noam*. Copti, seu Copti sunt quidam Christiani Ægyptii sic dicti à Copto celeberrima olim civitate, & Metropoli Thebaidis, de qua Strabo l. 17. & Plutarchus l. de *Osrinde*. Habent quindecim Monasteria, & proprium Patriarcham, qui residet in urbe Cairo, vel in Monasterio S. Mercurii ad mare rubrum. Vernacula eorum lingua Arabica est. At verò in sacris lingua Coptica utuntur, quæ antiqua Ægyptiaca est, quam Monachi primi Thebaidis cultores ab interitu vindicarunt. Multi sunt Codices hac lingua scripti in Bibliotheca Vaticana, multi item in Ægypto. Plura de hac gente curiosus lector inveniet in Prodomo Copto Athanasii Kircher. Horum ritus Æthiopum ritibus similes esse asserit citatus Auctor c. 5. *Prodomi*. Æthiopes autem habent Romæ Ecclesiam S. Stephani propè Basilicam S. Petri, in qua tres viros reperi, duos Presbyteros, & unum Monachum, quos de ritibus suæ Ecclesiæ adhibito Interprete non semel interrogavi, sed quod sacros Codices non habeant, nihil ab eis ediscere potui, præter ea quæ sequuntur. Omnia Officia incipiunt ab Oratione Dominica, & Angelica salutatione. Initio nocturnæ precis recitant Psalmum *Venite exultemus*. Legunt prolixè sacras Scripturas, scripta verò sanctorum Patrum nunquam legunt, nisi in hebdomada sancta. Singulæ horæ duodecim Psalmis constant,

constant, quorum unus semper est Psalm. 50. *Miserere*. In Monasteriis, in quibus magna multitudo Monachorum est, semper ante prandium integrum Psalterium percurrunt brevissimo spatio temporis divisim per singulos Monachos Psalmis, sive Psalmorum sectionibus, cum longiores sunt. Hæc illi. Porro de Coptis, eorumque erroribus, obstinatione, & vafricitate, deque solemni legatione ad eos missa longam, & scitu dignam Historiam narrat Franciscus Sacchinus parte 2. Historiæ Societatis Jesu lib. 6. num. 121. usque ad 157.

S. XI X.

De aliis quibusdam ritibus Ecclesiæ Orientalis.

Inter mare Caspium, & Pontum Euxinum sitæ sunt Iberia, Colchis, & Albania. Albanenses ritum sequuntur Armenum in propriam linguam translatum. Sed advertendum aliam esse Albaniam in Europa, sic dictam ab Albanis Asiaticis qui à Tartaris expulsi istuc confederunt. Est hæc illa pars Macedonia, quæ ad mare Jonicum vergit, & Illyrico sive Dalmatiæ jungitur, atque etiam Epirum complectitur, haberque proprium idioma ab Illyrico, & Græco diversum, quo sacra gentes illæ peragunt ritu Græco. Iisdem Græcis ritibus utuntur Colchi, & Iberi suo quisque idiomate. Colchi nunc Mengrellenses vocantur, habitantque sylvosos colles, & saltus horribiles sparsim more ferarum, absque ulla non solum urbis, sed nec vici quidem frequentia. Huc Jasonem cum Argonautis navigasse, aureumque vellus in Græciam transfuisse Poætæ fabulati sunt. Vix præter nomen quidpiam habent Christianæ Religionis. Iberi nunc Georgiani dicuntur. Circa divinum Officium in eo sunt errore, ut non omnes Ecclesiastici illud recitent, sed unus tantum, vel duo, cæteris adstantibus, & minimè attendentibus. Horum mores, & hæreses fusè describit, qui eas regiones peragravit, Clemens Galanus in conciliatione Ecclesiæ Armenæ, & Romanæ, *parte 1. cap. 12.* Chaldaei & Syri ritum Maronitarum sequuntur, sed hæretici Nestoriani, & Jacobitæ plerique sunt. Nestoriani in Babylonia, Persia, & aliis Asiæ regionibus degunt, & in Mesopotamia. Invocant in divinis Officiis Nestorium, & Theodorum Mopsuestenum, & S. Cyrillum anathematizant. Residet ut plurimum eorum Patriarcha in civitate Mosal, quam dicunt esse Ninivem magnam.

Jacobitæ à quodam Jacobo Syro Diofcori sectatore nomen acceperunt, suntque dispersi per civitates, & oppida Syriæ, Mesopotamiæ, & Babyloniæ. Horum Ecclesiæ Patriarchalis est in Mesopotamia extra civitatem Mardim in Monasterio Zafran. Verùm Patriarcha residere solet in civitate Caramite, ut testatur Thomas à Jesu lib. 7. *de Conversione omnium Gentium procuranda.* Alii sunt in Persia, & India Orientali solo nomine Christiani, qui se Christianos S. Joannis Baptistæ nuncupant, sed hi nullum Officium recitant, carentque forma, & materia legitima Sacramentorum. In Indiis item Orientalibus in Provincia Malavar propè insulam Zeilam est alia natio Christianorum, qui dicuntur Christiani S. Thomæ. Hi olim Archiepiscopus ex Armenia habuerunt, qui lingua Syriaca divina Officia ritu Armeno celebrabant, quo idiomate etiam nunc utuntur. Ideò qui sacris initiari volunt, præter communem regionis linguam, etiam Syriacam, ut nos Latinam, ediscunt.

S. XX.

De Codicibus sacrarum Precationum.

Codices divinatorum Officiorum, sive ut loquitur Virgilius Papa, *epist. 1. ad Euthe-rium*, Canonice precis textus apud Græcos multi sunt. Psalterium in 20. Cathismata divisum, ut supra dictum est. Lectiones veteris, & novi Testamenti. Triodium, in quo sunt Canones trium Odarum, quæ tempore Quadragesimæ recitantur. Pentecostarium, in quo sunt Officia à die Paschatis usque ad Pentecosten. Mænæa in 12. tomos divisa, quot sunt menses, & continent Officia Sanctorum. Menologium, in quo nomina Sanctorum, & vitæ breviter recensentur, fusius tamen quàm in Latino Martyrologio. Euchologium continens Orationes, & benedictiones, pro diversis functionibus Ecclesiasticis. Horologium, quod est Officium diurnum. Anthologium, in quo multa sunt Officia in variis libris dispersa. Panegyricus habet diversas Orationes in variis festivitatibus. Diaconicon de Officio Diaconi. Paracleticus quotidiano usui deserviens. Octoechus de octo tonis, seu modis musicis, quo in libro sunt Canones, & troparia diversa. Hermoliarium, sive Himnologium rithmum indicans, sive tonum juxta quem libet Canonum cantus insecti. Sunt denique Liturgiæ, & alii libri ad Missam spectantes. Agit de his diffusè & accuratè Leo Allatius in Dissertatione de libris Ecclesiasticis Græcorum.

2. Plures

2. Plures quoque sunt Latinorum Ecclesiastici libri, videlicet Psalterium, Lektionarium, Collectaneum, Antiphonale, Hymnarium, Martyrologium, Rituale, Ceremoniale, Sacerdotale, Pontificale, Missale, Graduale, Diurnum, & Breviarium. Omnia autem officia in Breviario descripta sunt, qua voce ad significandum Codicem divinarum Officiorum usos esse antiquos Patres constat ex Epistola cujusdam Presbyteri Aurelianensis ad Richardum Priorem S. Victoris, qua petit ab eo lectiones inferendas Breviario. Habetur *tom. 4. Scriptorum Historiæ Franciæ*. Est autem Breviarium idem ac summarium, compendium, opus concisum. Seneca *b* calumniatur hanc vocem tanquam minus Latinam: Breviarium, inquit, olim cum Latine loqueremur, summarium vocabatur. Sed Plinius, & Suetonius, quos Latine loquutos fuisse nemo negarit, hoc vocabulo uti non dubitarunt. Legi etiam apud Eginhardum in vita Caroli Magni ejus testamentum Breviarium dici, quia scilicet compendio facultatum illius dispositionem continebat. De Breviarii notione legendus Pithœus ad *leges Francicas*, itemque Gretserus *lib. 1. in Codicum*. Cur verò liber divinarum Officiorum hanc nomenclaturam sortitus sit, explicat viri docti Alardus Gazæus *d.* & Leonardus Lessius *e.* Continet quædam omnes Psalmos, qui sunt compendium totius scripturæ: tum selectissima quæque complectitur, ex utroque testamento, insigniorum sanctorum Patrum doctrinam, præcipua Sanctorum gesta, Hymnos, & Orationes. Addiderit ego Breviarium dici, quod in eo concisè, ac sine musicalibus notis seu omnia conscripta sint, quæ in Antiphonariis, aliisque libris Choralibus magnis characteribus ad usum cantantium comprehenduntur. Denique Breviarii nomen ad Officij divini breviter referri potest: nam illud prolixum non esse & longum injuria dici, rectè evincit *lib. 1. de horis Canonicis cap. 28.* Oliverius Bonartius; constatque evidenter ex collatione hodierni Breviarii post Pium V. cum antiquioribus, quæ multò prolixiora sunt. Imò etiam vetus Romanum à Fratibus Franciscanis olim abbreviatum, fuisse Radolphus Tungrensis conqueritur libro de Canonum observantia propositione vigesima secunda, & alibi passim.

a Epist. 563. *b* Senec. Ep. 39. *c* Plin. l. 18. cap. 26. Sueton. in Augusto. *d* Gaz. in notis ad Cassianum lib. 4. de inst. c. ult. *e* Lessius de just. lib. 2. cap. 37. dub. 8.

CAPUT XIX.

De disciplina psallendi.

Nulla actio Religiosorum majoris momenti est, nulla majoris obligationis, quam recitatio divini Officij: dixit enim Abbas Theodorus *f*, quia si nobis imputaret Deus negligentias temporis quo oramus, & captivitates quas patimur dum psallimus, non possumus salvi fieri. Ea tamen incuria nostræ salutis ut plurimum laboramus, ut omnia negotia & studia sæcularia accuratissimè peragamus; Sacras verò preces perfunduntur omnino, mente distracta, ac prorsus aliud agendo persolvamus, Omnem Dei cultum non sine magno æternæ vitæ discrimine negligentes. Nam, ut Simeon Monachus *g* scribit, Væ talibus, cum Deo laudes concinunt, væ, cum Deum adorant, væ, cum preces ad eum fundunt. Parum est Sacerdotalis functionis exteriores dumtaxat ritus, & ceremonias perspectas habere, si externis actibus internas spiritus operationes copulare nesciamus. Sanctus Benedictus ad hanc sapientiam certissimus Magister, cum per multa capita cœlestis suæ Regulæ nocturnæ diurnæque Psalmodiæ ordinem accuratè digessisset, mox decimum nonum caput atexit de disciplina psallendi, ut quoties ad opus divinum assistimus, consideremus, ait, qualiter oporteat nos in conspectu Divinitatis, & Angelorum esse, & sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ. Hujus ego incomparabilis Magistri exemplum & institutionem numerationis serie, tituli que inscriptione sequutus post descriptas horarum Canonicarum partes omnes, & symbolicas earum rationes, ad asceticam me confero tractationem, quæ si longior aliquanto fuerit, boni consulat lector; non enim simpliciter psallere; sed attentè, devotè, & reverenter psallere id Deo gratum, id animæ nostræ proficuum est.

f Lib. 5. de vitis PP. lib. 11. num. 11. *g* Sim. Orat. 4. de fid. & morib.

Zzzzz

§. I. De

S. I.

De duplici præparatione ante Officium, remota, & proxima. Remotam in rectitudine vite, in libertate animi, in oris taciturnitate: Proximam in puritate intentionis, in divina presentia consideratione, in divini auxilii imploratione sitam esse.

1. **A** Præparatione incipio, siquidem scriptum est *h*, Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Quis enim audeat in conspectu Principis non præparatus orationem habere? Aut quis musicus, vel citharædus coram Rege, & Magnatibus præsumat canere, nisi prius temperet fides, & probet instrumentum? Nos autem, ait Chrysostomus *i*, quando ad Deum accedimus, id esse existimemus theatrum, sed ex universo orbe terrarum, vel potius ex supernis populis celestibus collectum: & Regem in medio sedere, qui vult nostram audire orationem. Nullus sit citharædus, nullus lyricen, qui ita se exerceat scenam ingressus timens ne quid insuave, & inconcinnum canat, ut nos ingressuri theatrum Angelorum. Vetus parcemia est *Adoraturi sedeant*, qua paratum purgatumque animum ad orationem afferre monemur. Sancti verò Patres præparationem duplicem faciunt remotam, & proximam. Primam sic explicat Laurentius Justinianus *k*. Præparatio remota est orantis vita laudabilis. Multum enim juvat orationis puritatem, si in omni loco, actu, & tempore nos ab operibus temperemus illicitis, & divinis obediamus præceptis: si semper ab otiosis sermonibus auditum pariter castigemus & linguam. Quæcumque enim sapius agere, loqui, vel audire consuevimus, necesse est frequenter ad animum quasi solitam, propriamque recurrant ad sedem. Rectè de eadem re Gregorius Magnus *l*, si quod præcipit Deus facimus; id quod petimus obtinemus. Valdè namque apud Deum utraq; hæc sibi necessariò congruunt, ut & oratione operatio, & operatione fulciatur oratio. Propterea ait Propheta *m*, *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*. Remota etiam præparatio est non solum carere peccatis, sed à pravis affectionibus, & ab externis tumultibus liberam habere

h Eccli. 18: 23. *i* Chrys. in Psal. 4. *k* Justin. orat. cap. 5. *l* Greg. 18. mor. cap. 5. *m* Psal. 65.

mentem, & cor expeditum. Sententia cuiusdam Platonici est *n*, optimam apud Deum oblationem esse mentem puram, & perturbationum vacuum animum. Diadochus *o* item Photicensis eleganter docet oportere eos qui certant animum semper extra perturbationum fluctus conservare: mare enim cum tranquillum est, usque ad fundum est piscatoribus perspicuum, cum verò ventis agitur, regit tempestate turbida, quæ in placida tranquillitate largiter facit perspicui. Ad hanc animi libertatem assequendam nil utilius silentio. Nam *in multiloquio non deerit peccatum: & qui custodit os suum, custodit animam suam*. Pythagoras, teste Apuleio *p*, primus Philosophiæ nuncupator & conditor, nihil prius discipulos suos docuit, quam tacere, primaque apud eum meditatio sapienti futuro linguam omnem coercere: propterea hoc erat primum sapientiæ rudimentum meditari condiscere, loquari dediscere. Taciturnitatis, ait Climacus *q*, mater orationis est. Et Joannes Abbas Raithu *r*; Silentium, inquit, custodia virtutum. Tandem, ut verbo omnem remotam præparationem complectar, meminisse debemus sanctissimæ institutionis, quam tradit Cassianus *s*, ut tales nimirum esse studeamus ante orationem, quales orantes volumus inveniri.

2. Altera præparatio specialis, & proxima illa est, quæ jam instante Officii hora fieri debet. Scimus enim, ait Richardus Victorinus *t*, quia intimè & devotè nunquam mens orat, quæ se ad devotionem studiosis præmeditationibus prius non excitat. Primò igitur, audito signo, quo ad sacram synaxim conyocamur, oratio nostra recta intentione in suum finem dirigenda, qui Deus est, alioquin Deo placere nequaquam poterit, nisi ejus ipse sit causa. Sincera verò, & rectissima intentio est Deum solum semper respicere, de præmio & mercede nihil sollicitum esse, majorem Dei gloriam, & beneplacitum ejus quocumque alio respectu excluso observare. Optimè de hac re Augustinus *u*, in illum Psalmi Versiculum, *Voluntariè sacrificabo, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est*; Quare, inquit, voluntariè? quia gratis amo quod laudo. Laudo Deum, & in ipsa laude gaudeo, ipsius laude gaudeo, quo laudato non erubescio. Gratuitum sit & quod

n Porphyrius lib. 2. de abst. animal. *o* Diadoch. de pers. spirit. cap. 26. *p* Apul. Florid. lib. 2. *q* Climac. gr. 11. *r* Joan. Abb. ad gr. 27. *s* Cassian. col. 9. cap. 3. *t* Rich. de erud. hom. int. lib. 1. cap. 7. *u* Aug. in Psal. 55.

& quod laudatur, & quod amatur. Quid est gra-
tuitum? ipse propter se, non propter aliud. Con-
temne omnia; ipsum attende, ipsum gratis dili-
ge, quia melius ab eo non invenis quod des, quam
seipsum. *Es confitebor nomini tuo Domine, quo-
niam bonum est.* Ob nihil aliud, nisi quod bonum
est. Numquid ait, Confitebor nomini tuo, quia
das mihi fructuosa prædia, quia das mihi aurum
& argentum, quia das mihi latas divitias, excel-
lentissimam dignitatem? Non. Sed quid? quo-
niam bonum est. Melius nihil invenio quam no-
men tuum, idèd *Confitebor nomini tuo, quoniam
bonum est.* Ergò laudare Deum propter solum
Deum, hoc verè Deum laudare est. Oculis sim-
plex ex sententia Salvatoris nostri x totum corpus
lucidum facit, quia, ut explicat Gregorius y, per
horæ intentionis radium merita illustrantur actio-
nis. Idèd sponsus in Canticis, Sponsæ oculos
præ cæteris membris collaudat, sequè mirificè
captum unico ejus oculo declarat dicens z, *Vul-
nerasti cor meum soror mea sponsa; vulnerasti cor
meum in uno oculorum tuorum.* Non dicit in ocu-
lis, quasi in pluribus, quia unica debet esse inten-
tio, unus oculus simplex, & directus in unum. Qui
plures oculos habet, divisus est: non respicit
Deum, non dicit cum Propheta a, *unam petii à
Domino, hanc requiram.* Ad summam, non quæ-
rit Deum, qui cum ipso Deo aliud à Deo quæ-
rere convincitur. Porro cum intentio duplex
sit, actualis, cum quis Deo offert quod facit, aut
dum facere incipit; & virtualis, quæ fundatur in
actû præterito, virtualiter tamen præsentè, sua-
deo ut rectæ intentionis actus initio cujusque Of-
ficii instauretur: tum quia matutinæ directionis
impulsus ob varias humanæ vitæ occupationes
interrumpi facilè potest: tum quia censent no-
biliorès Theologi apud Hieremiam Drexelium b
in aureo suo libello de recta intentione non suffi-
cere virtuale intentionem ad promerendum
singulis actionibus novum gratiæ incrementum,
quamvis sufficiat ad moralem operis integri-
tatem. Narrat Joannes Möscher c in Prato spi-
rituali venisse quemdam senem ad fratrem
solitarium, atque illi dixisse: Dic mihi frater in
tanto tempore solitaria vitæ, & spiritualis exerci-
tium quid lucratus es? Cui frater ait, Vade & post
decimum diem veni ad me, & dicam tibi. Senex
autem abiens post decimum diem rediit, invenit-
que fratrem migrasse ad Christum, & testam, in

qua sic scriptum erat: Ignosce Pater, quia nun-
quam dum opus Dei agerem, aut horis constitutis
psallerem, mentem meam dimisi in terram.

3. Sic mentis obrutu in Deum solum defixo
sistere se debet oraturus ante conspectum divinæ
majestatis, quæ res magnum habet momentum
ad preces rectè inchoandas, & ritè prosequen-
das. *In omnibus viis cogita illum,* ait Sapiens,
d. & ipse diriget gressus tuos. Docet fides Deum
ubique esse, opera autem omnis carnis coram
illo, & non est quidquam absconditum ab ocu-
lis ejus. Ergo si ad orationem allistens Deum
esse præsentem verè crederem (verbis utor
D. Hieronymi e) illud cor quo Deus vide-
tur mundarem, manibus tunderem pectus,
genas lacrymis rigarem, corpore in horresce-
rem, ore psallerem, jacerem ad Domini met
pedes, cosque fletu perfunderem, crine terge-
rem, hærerem certè trunco crucis, nec prius o-
mitterem, quam misericordiam impetrarem.
Nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per
porticus deambulo, aut de scenore computo,
aut abductus turpi cogitatione etiam quæ dicta
erubescenda sunt gero. Ubi est fides? Ubi timor
Domini omnia videntis? Siccine putamus orasse
Jonam? sic tres pueros? sic Davidem inter leo-
nes? sic latronem in cruce? Stoicus Philoso-
phus f nil utilius ad omnem virtutem concepta
animo viri gravioris præsentia existimavit. Ac-
cipe, ait ad suum Lucilium, & quidem utilem
& salutarem clausulam, quam te affigere animo
volo. Aliquis bonus vir nobis eligendus est, ac
semper ante oculos habendus, ut sic tanquam
illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vi-
dente faciamus. Magna pars peccatorum tollitur,
si peccaturis testis allistat. Aliquem habeat ani-
mus quem vereatur, cujus auctoritate etiam se-
cretum suum sanctius faciat. O felicem qui sic
aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque
ejus se componat, atque ordinet! Qui sic ali-
quem vereri potest, citò erit verendus. Hæc ille.
Quod si hominibus id tribuendum videtur, ut ne
quid eis præsentibus committamus, quod eorum
oculos possit offendere, quo timore percelli de-
bemus ante ejus conspectum, qui observat om-
nes semitas nostras, & vestigia pedum nostro-
rum considerat: cujus oculi sole lucidiores sunt,
circumspicientes omnes vias hominum, &
profundum abyssi, & hominum corda intuen-
tes in absconditis partes? Idcirco Monacho-

x Matth. 6: 22. y Greg. 1. 28. mor. cap. 6. z Cant.
4: 9. a Psal. 26. b Drex. lib. 1. de rect. inten.
cap. 5. c Prat. spirit. c. 98.

Zzzzz z
d Prov. 3: 6. e Hieron. in dial. adv. Luciferian.
f Sen. epist. 11.

rum Magister g mysticæ scalæ, qua ad beatitudinem ascenditur primum gradum in continua Dei præsentis recordatione constituit, & de disciplina psallendi disserens, Ubique, ait, divinam credimus esse præsentiam; & oculos Domini in omni loco speculari bonos, & malos, maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cum ad opus divinum assistimus. Ideo semper memores simus quod ait Propheta, *Servise Domino in timore*, & iterum *psallite sapienter*, & *in conspectu Angelorum psallam tibi*. Est enim Ecclesia templum Dei, ut doctè ait Sanctus Germanus in rerum Ecclesiasticarum contemplatione, delubrum sanctum, domus orationis, terrenum cælum, in quo Deus inhabitat. Denique Boëtius h vir sapientissimus, Magna nobis est, inquit, necessitas indicta prohibitatis, quando ante oculos agimus iudicis cuncta cernentis.

METRUM XLVI.

S Candepolum, medioque sinu celsæ abdere cæli,
Illic rotator siderum
Te Deus inveniet.
Turbida si inclusum caput inter nubila condas,
Latè patentes nubium
Disgregat ille globos.
Frustra telluris gremio, stygisque cavernis,
Aut rupe te cava teges;
Numine cuncta replet.
Forte cupis nigro te noctis condere peplo?
At noctis umbras intima
Rumpere luce solet.
Eia age præpetibus pennis ad littora Thules,
Extremam ad arcton evola,
Qua sera sævis hyems.
Decolor Eoo, qua cingitur India Gange,
Qua sol fluente servidas
Abluit amne rotas.
Quaque dies medius pallentes denegat umbras,
Et solis ustas ignibus
Torret ab axe plagas.
Sed terra, pelagoque jugam, cæloque capeffas,
Iustus Deus te vindici
Prendet ubique manu.

4. Postquam verò Deum præsentem humiliter adoraverimus, ejus gratiam ad dignè orandum implorare debemus: nam quid oremus sicut oportet nescimus, & nemo potest dicere Domine *JESU nisi in Spiritu sancto*. Sententia fidei est, supernaturale auxilium gratiæ necessarium esse

g Ben. d. c. 7. & 16. h Boët. in fin. l. ult. de consol.

ad actus supernaturales eliciendos. At orationem actum esse supernaturalem, docent Chrysostomus v, & Augustinus k. Accedit quod oratio simpliciter necessaria est ad salutem, ut ex multiplici Christi, & Apostolorum exhortatione ad orandum colligitur: nullum autem credimus salutem suam posse operari nisi Deo auxiliante; quia Nemo potest ad me venire, ait Christus, nisi Pater meus traxerit eum. Quomodo ergo poterit quispiam convenienter orare, nisi fuerit divinæ gratiæ præventus auxilio, ejusque assistentia, & efficacia roboratus; Stat quidem Dominus semper ad ostium, & pulsat, si forte sit aliquis qui audiat, & aperiat; sed optat nihilominus instanter à nobis exorari, ut, quod ab initio, & ante secula misericorditer tribuere decrevit, etiam precibus nostris sollicitatus præbeat: & non solum secundum propositum ejus, sed etiam secundum nostram cooperationem coronemur. Præclare S. Prosper l, Quamvis quod statuit Deus nulla possit ratione non fieri, studia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propositum liberi arbitrii devotio relaxatur, cum implendæ voluntatis Dei ita sit præordinatus effectus, ut per laborem operum, per instantiam supplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum. Rectè dictum est à Poëta m, *Dimidium facti qui bene cepit habet*, in singulis enim actionibus id in primis curandum est, ut bene ordiamur. E fundamento totius ædificii ratio conjicitur, & à præparatione futurum orationis statum dignoscimus. Ignis ergo devotionis in prævia meditatione exardescat, qui scænum & stipulam distrahentium cogitationum comburat, & sic fiet Officii recitatio sacrificium acceptabile Domino in odorem suavitatis.

i Chrys. lib. 2. d. orando Deum. k Aug. passim in libris auct. Pelagianos. l Prosper. de vocat. gentium lib. 2. cap. ult. m Horat. lib. 1. epist. 2.

S. I I.

Utrum oratio ad intellectum, an verò ad voluntatem pertineat. Variæ orationis definitiones. Vriusque potentiæ actus requiri ad benè orandum. Intellectum attentione, voluntatem devotione componi. Actum prius de reverentia, qua componitur externus homo. Ea quid sit, & quotuplex, & quæ ejus incitantia.

x. Quæ-

x. **Q**uærent Theologi pertinere oratio ad intellectum, an verò ad voluntatem. Sunt autem qui existant ad solam spectare voluntatem ea ducti ratione, quod oratio nihil aliud esse videtur, quam interni desiderii, quo quis tenetur, propriæque voluntatis, quam quis à Deo adimpleri vellet, expressio, & manifestatio. Favet huic opinioni Augustinus ad illa verba Psalmi, *Ante te omne desiderium meum.* Ipsum, inquit, desiderium tuum oratio tua est, & continuum desiderium continua oratio. Alii verò esse actum intellectus arbitrantur, tum quia orare teste Divo Isidoro o idem est ac dicere, dictio autem mentis actionem significat: tum quia ex Divo Thoma p deprecari ordinationem quamdam denotat, & consequenter soli competit intellectui. Hæ dissidentium Theologorum sententiæ facillè poterunt conciliari, si dixerimus utriusque potentiæ actus ad orationem requiri. Nam in primis necessarium est, ut illius rei quam petimus indigentiam, & Dei à quo petimus potentiam & benignitatem cognoscamus; tum rem illam convenienter à Deo postulari dijicemus, post quod judicium sequitur in voluntate rei appetitus & desiderium, ac ejusdem insinuatio quædam, & declaratio. Sancti Patres, qui orationis naturam variis definitionibus explicarunt, per actus utriusque potentiæ eam solent sine discrimine diffinire. Basilius magnus q; Oratio est boni cujuscumque petitio, quæ ad Deum à piis effunditur. Damascenus r; oratio est ascensio mentis in Deum. Augustinus s; Oratio est conversio mentis in Deum per pium, & humilem affectum. Iteum Damascenus; Oratio est petitio decentium à Deo: nam, ut ait Gabriel t, *Deum rogare dedecet, quæ dedecet.* Hugo Victorinus, Oratio est pius affectus in Deum. Gregorius Nyssenus u. Oratio est conversatio, & fermocinatio animæ nostræ cum Deo, invisibilem contemplatio, ejusdem cum Angelis honoris conditio. Item Oratio est petitio honorum, quæ Deo cum supplicatione offertur. Joannes Climacus x; Oratio secundum qualitatem suam est conjunctio atque unio hominum & Dei. Unio autem fit per amorem. Rursum Augustinus y, Quid est oratio nisi ascensio animæ de terrestribus ad cæ-

n *Aug. in Psal. 37. o Isidor. lib. 10. orig. cap. 14. p S. Thom. 2. 2. qu. 8. art. 1. q Basil. orat. de S. Julitta. r Damasc. l. 3. de fid. Orthod. cap. 24. s Aug. de Spir. S. an. cap. 50. t Gabriel in sab. u Greg. Nyss. lib. de orat. x Climac. gr. 28. y Aug. ser. 230. de Temp.*

lestia, inquisitio supernorum, invisibilem desiderium? Simon de Cassia z vir pius & doctus, Oratio est in terrestri corpore incorporea operatio, aspectus immotus animæ in fide Deum aspicientis, ordo rationis animæ ad Deum, cui se studio subdit, consistentia animæ ante Deum: allocutio divinas aures pulsans, suavis clamor in sensu cordis, negatio dum agitur omnium corporalium actionum, præventio ante adventum judicis ad divinum judicium, verum animæ speculum, luminare splendidissimum, lux invisibilis ad actionem invisibilem, umbra æstuantem refrigerans, jactatio sui in Deum nihil volendo, nisi quod illi fuerit gratum. Ex his descriptionibus (quamvis quædam earum sublimioris orationis genus respiciant) liquidò constat, Spiritum nostrum ad Deum orando ascendere duobus mysticis pedibus, cognitione scilicet, & affectu. Hi sunt pedes, de quibus Psalmista cecinit dicens a, *Qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me.* Oportet itaque utramque potentiam ordinari, ut divini cursus Officii perfectè impleatur. Debet autem homo secundum intellectivam potentiam attentionem, secundum affectivam devotionem exhibere. Hæc interni hominis compositio est. Sed quia totus homo totis viribus, totis præcordiis se totum cum Rege Josaphat b conferre debet ad orandum, & laudandum Deum: ideo externus, & animalis homo suam quoque exigit ordinationem secundum vires sensitivas per actum reverentiæ, Ergo de reverentia, postea de attentione, & devotione sigillatim tractabimus, ut prius quod animale, deinde quod spirituale est ædificetur.

2. Reverentia apud Ciceronem in Rhetoricis est virtus aliqua prælatione sublimatis debitæ honorificationis cultum exhibens: erga Deum verò actus religionis est, & adoratio, quam nos servitatem, Græci latrariam vocant. Ejus necessitatem dum oramus elegantissima oratione explicat Bernardus c. Nonnullos arbitror experiri interdum in oratione ariditatem, & hebetudinem quamdam mentis, pro eo quod velut ex consuetudine quadam cum minus digna reverentia, & sollicitudine accesserunt. Quid enim aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quam Propheticum illud, *Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei?*

Zzzzz 3 Omnino

z *Simon de Cass. l. 16. de gestis. Salvat. cap. 26. a Psal. 17. b 2 Paral. 29: 3. c Bern. serm. de quatuor modis orandi.*

Omnino siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare coelestem, illam utique curiam, in qua Rex Regum stellato sedet solio circumdante innumerabili, & ineffabili beatorum spirituum exercitu. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illac humilitate accedere debet à palude sua procedens, & repens rannucula vilis? Quam tremebundus, quam simplex, quam denique humilis, & sollicitus, & toto intentus animo majestati gloriae in praesentia Angelorum, in concilio justorum, & congregatione assistere poterit miser homuncio? Hic primus stimulus est orantes excitans ad reverentiam, divinae scilicet praesentiae consideratio. Nam si mortalium Regum ministri, cum se dominorum conspectibus praebent, quicquid fordium, quicquid deforme, quicquid incompositum est à se amovere summo studio nituntur; quanto majori tum gravitate vitae, tum puritate cordis, tum morum elegantia aeterno Regi assistere debent inutiles servi? & ut ait Regula Monachorum *d*, si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non praesumimus nisi cum humilitate, & reverentia: quanto magis Domino Deo univrsorum cum omni humilitate, & puritatis devotione supplicandum est? Ab ipsis quoque Angelis, quos orantibus assistere credimus psallentium verba describentes, teste magno Basilio *e*, excitari debemus ad reverentiam. Solent enim Angeli, inquit Bernardus *f*, astare orantibus, & delectari in his, quos vident levare puras manus in Oratione: holocaustum sanctae devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. O si quis haberet oculos apertos, quos orando Propheta puero revelavit, videret proculdubio quemadmodum praeveniunt principes conjuncti psallentibus in medio juvenularum tympanistrarum. Videret, inquam, quae cura, quoque tripudio intersunt cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, ordinantibus, & procurantibus praesunt. Agnoscent nimirum supernae potestates concives suos, & pro his qui haereditatem capiunt salutis sollicitè congaudent. Doleo proinde aliquos vestrum, fratres, gravi in sacris vigiliis deprimi somno, nec caeli cives revereri, sed in praesentia Principum tanquam mortuos apparere, cum vestra ipsi alacritate permoti vestris interesse so-

d Bened. reg. cap. 20. *e* Basl. in Psalm. 28. *f* Bern. serm. 3. in Missus est, & ep. 28. itemque serm. 7. in Cant.

lemniis delectantur. Vereor ne vestram desideriam quandoque abominantes, cum indignatione recedant: & incipiat unusquisque vestrum sero cum gemitu dicere Deo, Longè fecisti notos meos à me, posuerunt me abominationem sibi: Et illud; *Elongasti à me amicum & proximum, & notes meos à miseria*: Item, *Qui juxta me erant de longè steterunt, & vim faciebant qui querebant animam meam*. Pro certo enim, si se à nobis boni spiritus elongaverint, impetus malignorum quis sustinebit? Consonat cum Bernardo Venetorum Patriarcha Laurentius *g*: Interfunt choris laudantium sancti Angeli, exultantque in laudibus psallentium; si tamen distinctè, si attentè, si vigilantè, si ardentè, si concorditè, si humiliter dicantur. Discurrunt namque inter illos, utpote ipsorum concives, & confortes regni. Comprimitur & immundorum spirituum impetus, nec eos saevire patiuntur tanquam fideles custodes. Nunc ascendunt, nunc descendunt, semper ad illorum profectum. Ubique verò alacres sunt, ubique festivi, ubique solliciti, ne divina interrumpatur laus, ne caelestia Cantica maculentur. At si vel ad momentum tepescat affectus, distrahatur animus, aut dormitet oculus, illicò indignantur sic oscitantes, & non invenientes quid offerant, suam mox praesentiam subtrahunt. Verecundum igitur, & valde pernitiosum est in conspectu tantorum principum irreverenter psallere, verba incidere, inutilis cogitationes tractare, & corde torpescere. O si praesentiam suam propalare valerent! O si quantum congaudeant de puritate alacriter psallentium eis liceret ostendere! Proflus omnis torpor abscederet, omnisque ignavia fugaretur.

g Laur. Justin. de disc. monast. corver. cap. 17.

METRUM XLVII

O Ego si possem rutilo fulgore micantes
Mortali aligeros cernere luceboros!
Ipsaque corporei detersa erugine sensus,
Obvia Calituum se mihi castra darent.
Aut saltem posito terrena pondere molis,
Dent superi aethereas scandere posse plagas.
Et super astrorum, mundique volubilis arcem,
Quo nequeo ferri corpore, mente ferar.
Quam multis glomerata choris distincta ceteris
Agmina conspicerem Numinis ante thronum!
Agmina divinum psallere sueta melos,
Non tot sylva seras, tot pisces continet unda,
Totque insculpta micant sidera clara polo:

Nec

Nec tot spumofum rejectat litus arenas,
 Quot turme Algerum calica templa colunt.
 Hos opifex rerum mortali labe carentes
 Edidit, aeterni particepsque boni.
 Quos nec perpotuo labentia sacula curſu,
 Nec potus eſt gelida vis abolere necis.
 Immanes ſeniſ tranquilloſ calico ab avo
 Dinumerant annos, ſideroſque dies.
 Triftia connubii non norant jura, nec ullis
 Urget eos ſtimulis imperioſa fames.
 Plurima quin etiam miro ſermone loquuntur,
 Nulla licet linguis mutua verba ſonent.
 Et jugiter ſummo nova pangunt carmina Regi,
 Carmina mortali non referenda ſono.
 Feſtinantque ſuſas certatim currere ad ades,
 Cum gratas reſono ſundimus ore preces.
 Hic inquant placidas celo plaudente choreas,
 Et miſcent noſtris verba cauroſa modis.
 O templum! o templum! o felicia limina cali!
 Solaque digna Deo, calicoliſque domus!
 Hic dulces reſonant melioſ concentibus Hymni,
 Hic colimus caſta religione Deum.
 Mergimus hic undis culpas, hic ſanguinis hauſtum
 Sumimus, hic algens peſtus amore calet.
 Hic volucres anima, pura ſine corpore mentes
 Occulta irradiant viſcera noſtra face.
 Ceruſtis ut celeres liquidum per inane ſeruntur,
 Et gaudent templi recta ſubire ſacri?
 Utque hilares inferre polo ſiſſiria cordis,
 Et gemitus ſat agunt, ſollicitaſque preces?
 Scilicet ut Numen ſacileſ admitat ad anres
 Luſiſonos gemitus, ſollicitaſque preces.
 Sape etiam laſi compeſcunt Judicis iram,
 Cum foret aeternis pena luenda rogis.
 O vos felices, arvinorumque capaces,
 Vos quibus aſtrorum ſplendida regna patent,
 Vos quibus arriſit caelum, juſſiſque tuers
 Angelicoſ vultus, Angelicoſque choros.
 Dicite quam denſa propevent ex arbore turma,
 Dum pia ſeſtavis perſonat aula choris.
 Dicite quam lepido demulcent aera cantu,
 Dum pulſant patria dulcila ſila lyra.
 O mibi ſi mentem, corpusque attollere celo,
 Et veſtra liceat conditione ſruſ!
 Protinus Elyſiſ immiſcens carmina turmis
 Perpetua colerem laudis honore Deum.
 Effundens que no vos ſuctenſo de peſtore verſus
 Acciperem votis pramia digna meis.
 3. Sed quid Angelos propono ad excitandam
 in pſallentibus reverentiam? Parum eſt hoc.
 Nam & ipſe Rex Angelorum, Dominus, & Sal-
 vator noſter Chriſtus Jeſus corporaliter praefens
 aedeſt Eccleſiae in auguſtiſſimo Euchariftiae Sacra-
 mento. Quam terribilis eſt locus iſte, & omni
 dignus reverentia, quem non ſolum frequentant

Angeli, ſed ſua quoque praefentia Dominus ipſe
 dignatur! Conſidera te ipſum o homo, nam ſi
 multis maculatus criminibus aeterni ſupplicii
 reus es, aſtas judici tuo: quomodo non expave-
 ſcis? Si dilatato corde viam mandatorum Dei
 currere incepiſti, magiſter tuus hic eſt: quan-
 tum ei honorem debes? Si ab omni terrena con-
 tagione mundatus jam ſummam cum eo unio-
 nem appetere audes, hic eſt ſponſus: quantam
 ſollicitudine mores tuos, & actus componere te
 oportet, ne anima tua minima quavis labe inde-
 cora diſpliceat ſponſo? Ipſa vero reverentia du-
 plex eſt, interna, & externa. Interna in timore,
 & humilitate, in puritate, & compunctione cor-
 dis conſiſtit: ut, ſicut docet S. Ephraem *h*, ora-
 tionis tempore quaſi Angeli ſimus; ſicque con-
 tendamus, ut oratio noſtra ſit ſancta, pura, im-
 maculata, & irreprehenſibilis: ut cum illam
 ſurſum aſcendere viderint portae coeleſtes gau-
 dentes ultrò conſeſſim ei aperiantur, ut ipſam
 cernentes Angeli, & Archangeli cuncti latantes
 illicò occurrant, & coram ſancto, atque excelſo
 throno immaculati Domini offerant. Porro ad
 externam reverentiam pertinent ſenſuum exte-
 riorum cuſtodia, externi hominis compoſitio,
 vocis in cantu moderatio, gravitas morum, ha-
 bitus decentia, omniumque ceremoniarum, &
 praefcriptorum rituum obſervantia: ut nimirum
 ſteſtant genua, ſtent, ſedeant, ſurgant, incli-
 nent omnes pro rei & temporis exigentia: ut nil
 appareat in eis quod poſſit offendere intuentes.
 Hortor vos, ait Beatus Theodorus Studita, de-
 corè, riteque pſallere, non obiter, non ſupinè,
 & confuſè: Scriptum eſt enim, Pſallite ſapienter.
 Sanctus quoque Macharius Homilia ſexta
 adverſus eos declamat, qui preces ſuas clamori-
 bus parum decentibus, & confuſione plenae ef-
 fundunt. Inclinationes autem, genuſteſiones,
 & alias hujusmodi exteriores obſervantias elegan-
 ti vocabulo orationem corporalem nuncupat
 B. Angela de Fulgineo ſermone de oratione.
 Septimius Tertullianus *k* non eſſe ſedendum in
 oratione aſſerit hiſ verbis: Siquidem irreverens
 eſt aſſidere ſub conſpectu, contraque conſpectum
 ejus quem cum maximè revereris, ac veneris:
 quanto magis ſub conſpectu Dei vivi, Angelo
 adhuc orationis aſtante factum iſtud irreligioſiſ-
 ſimum eſt; niſi exprobramus Deo, quod nos ora-
 tio fatigaverit. Idem aſſerunt Opratus Milevi-
 tanus *l*. Petrus Damianus *m*, & alii Patres.
 Sedere

h Ephraem ſer. de Virginit. i. Theod. cat. 9. *k* Tertul. de
 orat. c. 12. *l* Opr. Milev. l. 4. *m* P. Dam. l. 3. ep. 8.

Sedere tamen humiliter & modestè non prohibent Joannes Cassianus ⁿ, & sanctus Benedictus ^o. Idque confirmat consuetudo nostrorum temporum, solemus enim alternatim stare, & sedere.

4. Verùm enim verò si sancti Patres non ab omnibus damnatam sessionem tanto zelo reprehendunt, quid agerent si quorundam Clericorum, atque Religiosorum depravatam in omnibus psallendi disciplinam conspicerent? Quàm acriter adversus illos insurgerent, qui nec Deum timentes, nec hominibus reverentiam habentes liberrimam oculorum jactatione, inconcinna corporis habitudine, licentiosam gestuum levitate Ethnicorum, ac infidelium expriment mores? In sedilibus suis lecti molliem quærentes jacent inciviliter extensis tibiis, divaricatis cruribus: tum obrepenti somno cedentes dimidiata proferunt verba, crebris oscitationibus psalmodum recitationem turbantes, animum ibi non esse manifestant: pedibus vacillant, digitis exercent argutias, seriam aliorum gravitatem effusissimo risu contemnunt. Vocem in cantu vel deprimunt nimis, vel super alios attollunt: importuno garritu omnia miscent, tantoque impetu verba glomerant, & præcipitant, ut ne quidem verbum integrum sonet. Denotula una cantus, vel de aliqua Antiphona lites quandoque movent acerrimas. Ad ineptias, & fabulas semper prompti; ad commensationes, & ebrietates semper robusti & benevalentes; in choro deinde languentes nec erecto corpore stare, nec genibus inniti, nec vocem possunt proferre. Diceres eos ad primum oratorii ingressum, graviore correptos infirmitate mox animam acturos esse. Heu miseros, & infelices! Siccine profanatis templum, sacerdotium confunditis, ordinem temeratis? Ubi religio est, ubi mores, ubi pudor, ubi lex, ubi fides, & disciplina? Quid Deo vestro respondebitis in die judicii, cum vobiscum ponet rationem, quod opus suum feceritis fraudulenter? Quid dicetis animabus, quarum bona percepistis in vita vestra, ut earum peccata portantes indignationem Dei averteretis ab illis? Quid Angelicis spiritibus respondere poteritis, quorum sprevistis præsentiam, contempsistis auxilia, officia neglexistis? An ignoratis quod scriptum est *p*, *Qui contemnunt me erunt ignobiles*: itemque *q*, *Solemnitates vestras odit anima mea, convertam festivitates vestras*

ⁿ Cassianus lib. 2. cap. 12. ^o Benedictus. cap. 9. ^p 1. Reg. 2. 36. ^{Isai.} 1. 14. ^q Amos 8. 10.

in luctum: & *v* *In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini*? Ipsa, ipsa Religio, quam profitemini, errores vestros accusat: Atrocius enim, ut Salvianus ^f scribit, sub sancti nominis professione peccatis; & ubi sublimior est prærogativa, major est culpa. Sed de horum miserima conditione melius est silere, quam loqui. Hugo Cluniacensis dictus de Folieto lib. 2. de claustris animæ inter opera Hugonis Victorini, abusiones claustris enumerans ponit undecimo loco dissolutionem in choro, eosque perstringit acerrimè, qui mente vagi, attoniti oculis, habitu dissoluti, aliud cantant, aliud cogitant: in choro sunt corpore, sed mente in foro. Eisdem reprehendunt, & damnant Joannes Chrysostomus, & Pocho Pruniensis; hic in fine libri tertii de domo Dei, ille Homiliâ primâ de verbis *Isaiæ*, *Psalmi Dominum*. Omnes autem partes internæ, & externæ reverentiæ Seraphicus Doctor Bonaventura ^r in speculo disciplinæ diligenter edisserit: & Joannes Cassianus ⁿ antiquorum Monachorum reverentiam in Ecclesia describens; Tantum, inquit, à cunctis silentium præbetur, ut præter illum, qui Psalmum decantat, nullus hominum penitus adesse credatur. Non sputum emittitur, non exsecratio obstrepit, non tussis intertonat, non oscitatio somnolenta dissitis malis & hiantibus trahitur, nulli etiam gemitus, nulla suspiria astantes impeditura promuntur.

§. I I I

Ceremonia quid sint, & qua hujus nominis origo. Earum efficacia, & utilitas ad divinum cultum. Vera à falsis & superstiosis discernenda. Exteriores ceremonias sine interno spiritu parum prodesse.

1. **I**N publicè persolvendis divinis Officiis omnes Ecclesiasticæ ceremoniæ ad amissum servari debent, in his enim exterior disciplina potissimum sira est. Sunt autem ceremoniæ, si propriè loqui velimus, ritus sancti in sacrificiis, & divinis Officiis ad Dei cultum adhibiti: sed migravit vocabulum in usum etiam profanos; nam cum homines instituisent sibi invicem inclinare, genua flectere, manus osculari; hæ & aliæ honoris exhibitiones, cum proprio nomine carerent, ceptæ sunt etiam ceremoniæ dici.

^r *Isai.* 26. 10: ^f *Salvian.* l. 4. *de gub. Dei.* ^t *Bonav.* part. 2. cap. 9. ^u *Cassian.* lib. 2. cap. 10.

dici. A nomine *Cerus*, quod veteri lingua sanctum significat, dictas ceremonias existimat Festus, ut à sanctis sanctimonia. Augustinus x à cærendo dici putat quasi carimonia, eò quod observantes careant his rebus, à quibus abstinent. Idem alii tradiderunt apud Gellium y, & Macrobius z, quod res sanctæ remotæ ac sepositæ à nobis sint. Quidam ab oppido Cere derivant: nam urbe à Gallis captâ virgines Vestales, sacerdotes, & simulachra Deorum agente L. Albino, ut Livius scribit a, vel L. Alvanco, ut placet Valerio Maximo b, in id oppidum plaustris perducta sunt, in cuius rei memoriam omni divino cultui ceremoniarum nomen enatum est. Alii à Cerere deducunt quasi Cereris munia, quod sacra Cerealia omnium sanctissima & antiquissima sint habita. Nonnulli à verbo Hebraico *Cherem* quod significat devovere, consecrare Deo, & à communi usu separare. Alii denique à verbo Græco *χεῖρον*, quod salutis sint causa, vel ad salutem spectent. Græci ceremonias *τελετή*, vocant: est autem *τελετή* apud Suidam sacrificium plenum maximis mysteriis. In Veteri Testamento multæ erant ceremoniæ à Domino institutæ, sed factâ per Jesum Christum gratiâ & veritate, cessavit earum obligatio. Afferit Augustinus c, nullam esse Religionem sive veram, sive falsam, quæ sine ceremoniis subsistere possit. Idem apud antiquos nihil aliud erat esse Theologum, quam scire quæ Numina quibus ceremoniis colerentur, ut ex Platone d colligitur. Licet enim ipsæ ceremoniæ nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem: sunt tamen actus externi Religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur charitas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simplices, Dei cultus ornatur, conservatur Religio; & veri fideles à pseudochristianis, & eterodoxis discernuntur. Christus ipse vix aliquod illustre miraculum pertravit, in quo ceremonias non adhibuit: nam lutum fecit ex sputo, & linivit oculos cæci nati: extendens manum tetigit leprosum, & mundavit eum: digito scribebat in terra: exspuens, & suspiciens in cælum aures aperuit surdi, & linguæ vinculum dissolvit. Axioma Zoroastris e est facris ceremoniis animam ad Deum reduci: sunt e-

nim istæ, ut Psellus, & Pletho in scholiis docent, manufactrices ad supernas illuminationes & unionem cum Deo. Porro Chaldæi sapientes existimârunt non aliter posse nos ad Deum reduci, nisi animæ vehiculum materialibus ceremoniis aptum reddamus, atque firmemus: his enim illustratur anima, & agilior redditur ad ascensum. Apud Ethnicos Numam Pompiliam octo libros ceremoniarum scripsisse ad Religionem pertinentium refert Dionysius Halycarnassæus f. Julianum quoque Apostatam in templis idolorum nostris consimiles ritus, & precationum alternam canendarum formam instituisse scribunt Nicephorus g, & Nazianzenus h. Narrat item Baronius i Valentem Imperatorem Arianum, visis in templo sacris ceremoniis, maximam erga res Catholicorum reverentiam concepissee. Tanta est earum vis & efficacia.

2. Frustrâ Sectarii, atque irritò prorsus conatu in illis evertendis laborant. Dicunt enim ad Idololatrias nos accedere, quod quædam ceremoniæ reperiantur, quæ nobis & illis communes sunt. Nam ut è multis pauca seligam, in sacris veste candidâ utimur, usi sunt & Gentiles testibus Valerio Maximo k, & Philostrato Lemnio l. Primitias offerri solitas Diis gentium, ut & olim vero Deo auctor est Censorinus m. Offerre decimas, & vota etiam apud Ethnicos observatum scribit Dionysius Halycarnassæus n. Non licuisse Pontifici quempiam occidere Suetonius in Tito asserit, sicut nec Sacerdotibus veri cultus. Lustralem aquam, asperionem sepulchrorum, cereorum, & lampadarum usum, & alia multa, quæ nobis in usu sunt, inter Gentes viguisse præci Scriptores commemorant. Sed hæc omnia jam pridem questus Tertullianus o ex lege divina in superstitionis cultum, agente diabolo, fuisse transfusa: præterquam quod multas gentium superstitiones ad cultum veri Dei à sanctis Patribus laudabiliter translatas Gregorius Nyssenus p, & Theodoretus q ostendunt. At ommissis hæreticis, qui omnes ceremonias tollere conantur, contrarius aliorum error perstringendus est, qui declinantes in superstitionem nimio cultu onerant Religionem. Horum mores graphicè pingit, ut solet, in Ethicis characteribus Theophrastus.

A a a a a Super-

f Dion. Halic. Ro. antiq. l. 2. g Niceph. lib. 10. c. 21. h Nazian. orat. 1. in Julianum. i Baron. an. 370. n. 46. k Valer. Max. l. 1. 1 Philostr. lib. 2. m Censor. c. 1. n Dion. Halic. l. 1. o Tertulian. de Præsc. c. 40. p Greg. Nyss. in vita Thaumaturgi. q Theod. l. 8. de Cur. G. ac. affect.

x Aug. l. 2. retr. c. 37. y Gell. l. 4. c. 9. z Macrobi. d. 3. Sat. c. 3. a Livius l. 5. dec. 1. b Val. Max. l. 1. c Aug. l. 19. contra Faustum. cap. 11. d Plat. de Regum. e Zoroast. initio Magic. oraculorum.

Superstitiosus, inquit, is est, qui elotis manibus, & aquâ lustrali aspersus è templo, folium lauri ore prehensum tenens integrum diem ita ambulat. Si viam eo ambulante mustela transcurrerit, non ante progreditur, quam alius prior transierit, aut ipse tres lapides trans viam miserit. Serpentes si viderit in aedibus, facellum eo loco extruet. Lapidés unctos qui sunt in triviis solet oleo ex ampulla perfundere: nec prius discedere, quam posito genu eos fuerit veneratus. Solet etiam domum crebrò purificare, sepulchrum nullum insistere, ad defunctorum iustâ nullus accedere, neque item ad ullam unquam puerperam. Infomnium porrò si viderit, pergere illicò ad divinos, ad augures, sciscitaturus cui Deo, cui Deæ vota sint faciendâ. Hæc & alia Theophrastus de superstitionibus infidelibus, quos in Evangelica luce nonnulli turpius errantes imitantur.

3. Caveant autem Ecclesiastici, caveant animarum Pastores, ne Christianæ plebis ignorantiam ipsimet foveant, ne fiat sicut populus, ita & Sacerdos. Semper ignarum vulgus proclive fuit ad superstitionem, plus in vanis quibusdam ineptiis, quam in vera pietate confidens. Sed prudentis Sacerdotis munus est docere populum, ut ceremonias quidem à majoribus nostris sanctè institutas accuratè custodiant; suspectas autem novitates, & tumultuarias hominum adventiones radicibus amputent, & evellant. In ipsis verò exterioribus observantiis sitam non esse pietatem & religionem animadvertant. Quidam enim Religiosi externis functionibus diligentissimè adimpletis, quasi jam salva sint omnia, magnam de seipsis sanctitatis opinionem concipiunt; cum tamen adhuc à vera perfectione longissimè distent, Christi Domini maledicto tanquam probrosæ arbores proximi, ni post frondes & flores expectatos etiam in maturitate autumnii fructus parturiant. Hominem intueri, ait Bernardus, vanam istorum Religionem describens, qui solas manus ad opera mandatorum movere corde penitus arido, ductus consuetudine quâdam, planè quasi vitula Ephraim docta diligere trituram. Exteriorum quæ ad modicum valent, nec unum jota præterit, sed camelum glutit, dum culicem liquat. In corde enim servus est propriæ voluntatis, cultor avaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator, aut hæc omnia, aut singula, quæque intus vitia fovens, & mentitur iniquitas sibi; sed Deus non irridetur. Videas enim interdum sic palliatum hominem, ut

1 Bernb. Serm. 2. de assumpt.

seducat etiam semetipsum penitus non attendens vermem, qui interiora depascitur. Manet enim superficies, & salva sibi omnia arbitratur. Comederunt alieni robur ejus, & ignoravit. Dicit quia dives sum, & nullius ego: cum sit pauper, & miser, & miserabilis. Nam & inventâ occasione ebullire saniem, quæ latebat in ulcere, & excisam non extirpatam arborem in sylvam pululare videas densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus necesse est ad radices arborum, non ad ramos. Non sola invenitur in nobis exercitatio corporalis ad modicum valens, sed invenitur utilis ad omnia pietas, & exercitium spirituale. Hæc Doctor mellissus, qui non dicit externum cultum non esse omnino invenendum in nobis, sed cum interno conjunctum, sicut scriptum est, *f Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Et si orem linguâ, spiritus meus (hoc est vox mea spiritu vitali & vocali prolata) orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo? orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.*

S. I V.

De attentione. Eam triplicem esse ad verba, ad sensum verborum, ad finem qui Deus est. Quæ & quanta harum attentionum vis, & necessitas. De eo qui rapitur extra se dum psallit. Controversiæ quedam tractantur, & solvuntur.

1. **E**cclésiastica hymnodia, tametsi secundum se opus sit excellentissimum, si necessariis tamen conditionibus careat, nequaquam altissimo Deo placere poterit, qui modum operis magis attendit, quam opus ipsum. *Iuste, inquit, & quod iustum est persequeris.* E qua doctrina illud Gersonis pronunciatum à viris spiritualibus proverbialiter usurpatum prodiit. Deum scilicet esse non verborum, sed adverbiorum remuneratorem: hoc est, Dominum non tam respicere ad actionis bonæ substantiam, quam ad modum, & circumstantias, quas Grammatici solent adverbialibus terminis explicare. Sunt autem tres conditiones necessariae, ne oratio nostra fiat nobis in peccatum: nimirum ut reverenter, ut attentè, ut devotè psallamus. Et de reverentia quidem, ac ceremoniis, quæ ad vires pertinent sensitivas, jam dictum est, nunc tractandum de attentione, ut, dum psallimus, id versetur in corde

1 Psalm. 83. 1 Cor. 14. 14. t Deut. 16. 29.

corde quod ore profertur, & cum Deo loquentes tantam saltem attentionem adhibeamus, quantum cum hujus mundi principibus de rebus terrenis tractantes adhibere solemus. Alioquin sugillabit nos Prophetica objurgatione Salvator noster dicens *u*, *Hyprocrita bene de vobis prophetauit Isaias, populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Scitè Prosper Aquitanicus: s*

Laus vera in Dominum depromitur ore precantis,

Si quæ voce fluunt intima cordis habent.

Magna sunt arma preces, inquit Chrysostomus *y*, dummodò sobrii, & undequaque mente nostrâ collecti Dominum adæmus, totique nitamur ita loqui, ut non solum verba, sed etiam mens verborum comes ad Deum accedat. Et quæ segnitia est, ut sanctus loquitur Cyprianus, & alienari & rari ineptis cogitationibus cum Dominum deprecari, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quàm quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri à Deo postulas, cum ipse non audias! Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis! Psalmodia, ait Laurentius Justinianus *a*, est quædam Dei ad hominem, atque hominis ad Deum dulcis, læta, & familiaris allocutio. Ideò indignum est, ut, quamdiu anima cum Deo sermocinatur, aliò se divertat. Intendere debet omnino illi, qui intendit sibi: & omnia verba sacri carminis suspensâ debet audire mente, tanquam si ipsi soli essent prolata. Quod autem voce clamat, concordet sensu, seseque coarctet intellectu Scripturarum. Nihil verò de iis quæ foris sunt illo beato tempore cogitet, nihil appetat, sed sola ei sufficiat præsentia Redemptoris. Nam negligentes orationes, ut rectè dictum est à Smaragdo *b* Abbate, nec ab homine possunt impetrare quod volunt. Oratio autem, teste Guiljelmo Alverno *c* in sua divina Rhetorica velut quidam nuntius est qui ad Deum mittitur, ad ipsum intrat, nec discedet, donec aspexerit Altissimus. Sed satius est videre quot sint gradus attentionis, quæ necessitas, quæ adjumenta.

2. Divus Thomas, *d* ejusque synchronus & amicus D. Bonaventura *e* tres modos attentionis distinguunt. Prima attentio in materiali ver-

borum pronuntiatione consistit; quando quis attendit ut integrè, & rectè, ac sine errore cantet, legat, psallat. Altera in sensu literaliter verborum sita est, cum quis observat eorum quæ recitantur significationem. Tertia circâ mysticum sensum verborum, ut Seraphicus Doctor explicat, aut circa finem orationis qui est Deus, vel circa rem pro qua oratur ad mentem Doctoris Angelici versatur. Prima omnium infima simplicioribus competit, qui Latinum idioma non intelligunt. Secunda ad doctiores, & Theologos spectat. Tertia ad Religiosos pertinet, qui affectui maximè insistant, licet doctrinâ & litteris careant. Prima dicitur materialis, secunda formalis, tertia finalis. Per primam attenditur ad verba, per secundam ad sensum, per tertiam ad effectum. Porro hi modi attendendi non æqualiter obligant recitantes. Suppono autem aliquam attentionem saltem virtuales ad orationis integritatem requiri, quo posito certum est in primis quamcumque ex tribus superscriptis attentionibus ad orationis vocalis integritatem sufficere; est enim quælibet actus humanus, & verum signum divini cultus. Verùm ad vitandam culpam primus attentionis modus quandoque non sufficit: ille enim qui majoris intelligentiæ omnino incapax ad sola verba superficialiter attendit, non peccat, cum peccatum esse non possit, nisi voluntarium. At vir doctus, qui verbalem duntaxat observans attentionem alias altiores voluntariis distractionibus impedit, & negligit, peccat proculdubio ob gravem Dei irreverentiam, sacrique Canonis transgressionem, quò Innocentius Papa districtè præcipit in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, omnes studiosè celebrent, ac devotè. Accedit *g* quod non omnes effectus orationis consequi orantes possunt, quæcumque adhibita attentione; effectus enim sunt quatuor, impetratio, meritum, satisfactio, & spiritalis animæ resectio. Ad impetrationem & satisfactionem sufficit primus modus cum virtuali proposito attendendi pro cuiusque viribus & ingenio: nam ex ipso opere penali crescit per se satisfactio; nec ad impetrationem aliquem actum exigit Deus, qui vires hominum excedat, orare autem sine distractione nullus mortalium potest: tum fieri nequit, ut ad altiores sensus indocti homines eleventur. Meritum verò cum formaliter ac propriè totum sit

Aaaaaa 2

in

f C. Dolentes de celebr. missar. g Bern. 7. in Cant.

u Matth. 15. 7. *x* Prosp. epig. 6. *y* Chryf. hom. 30. in Genes. *z* Cyp. de orat. *a* Justin. de disc. mon. corr. c. 17. *b* Smaragd. in diadem. Monach. c. 1. *c* Alver. div. Rhet. cap. 38. *d* Thom. 2. 2. q. 85. art. 13. *e* Bonav. l. 7. de process. relig. c. 3.

in interiori actu, censent communiter Theologi, cessante internâ & actuali intentione ipsius quoque augmentum cessare. Postremus denique effectus spiritualis refectionis tertium, vel secundum attentionis modum requirit cum actuali spiritus advertentia, quæ res ad eò cetera est, ut nullâ indigeat probatione.

3. De hac psallentium mentali dulcedine loquitur dulcissimus Bernardus in ea sententia, quam supra quoque commemoravimus. Cibum in ore, Psalmus in corde sapit. Tantùm illum terere non negligat fidelis & prudens anima quibusdam dentibus intelligentiæ suæ, ne si fortè integrum glutiat & non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili, & dulciore super mel & favum. Offeramus cum Apostolis in cœlesti convivio, & in Dominica mensa favum mellis. Mel in cera, devotio in littera est. Alioquin littera occidit, si absque spiritus condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallas spiritu, psallas & mente, cognosces & tu de illius veritate sermonis, quem dixit *JESUS, Verba quæ loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Hanc Magistri doctrinam pari stylo, & spiritu sequitur Guerricus h. noster Abbas Igniacensis. *Beati plane, ait, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Mirabilia testimonia tua Domine, idè scrutata est ea anima mea.* Scrutinio quidem opus est non solum, ut eruantur mystica, sed etiam ut sagantur moralia. Ideoque vos qui perambulatis hortos scripturarum, nolite negligenter, & otiosè transvolare, sed scrutantes singula velut apes sedulæ mel de floribus, spiritum de sermonibus colligite. *Spiritus enim meus, inquit Jesus, super mel dulcis, & hereditas mea super mel, & favum.* Ita probantes quid sapiat manna absconditum eruçtabit illud Davidicum. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Ab his hortis in alios, ubi requies secretior, & voluptas beator, & species mirabilior, sponsum ni fallor vos introducet, cum intentos laudibus suis in voce exultationis, & confessionis rapit in locum tabernaculi mirabilis usque ad domum Dei, lucem scilicet inaccessibleem, ubi habitat, ubi pascit, ubi cubat in meridie. Si enim devotio psallentium habet aliquid de illa pia curiositate quærentium, *Rabbi ubi habitas?* puto quia merentur audire, *Venite, & videte. Venerunt, inquit, & viderunt, & apud eum manserunt die illa.* Cæterum de hac mansione apud dilectum, ad quam nonnumquam introdu-

h. Guerric. serm. de Psalmodia.

cuntur, qui hoc tertio attentionis genere uti solent, gravissima extat Theologorum disputatio. An attentio interior vocalem orationem impediat, ut ille, qui psallendo extra se rapitur per altissimam contemplationem, Officii recitandi præcepto non satisfaciat.

4. Contingere solet aliquando non mihi, aut mei similibus, sed iis, qui norunt educere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, ut, dum mysticæ Psalmorum intelligentiæ, vel divinis mysteriis contemplandis inter psallendum diligentius insistant, extra se rapiantur, elevatis in altum superioribus potentiis. Amor enim ecstasum facit, & rapit ad amatum. In hoc raptu constituta anima in abyso quadam lucis, & ardoris avocatur ab exterioribus, ita ut actus inferiorum potentiarum, vel cessent, & impediatur omnino, vel suspendantur, & debilitentur. Hæc talis anima ad tantam sublimitatem singulariter producta, debetne hujusmodi suspensionem impedire, ut vocaliter possit orare; an cessat tunc recitandi obligatio, vel postea ad se reversa Ecclesiæ præcepto satisfaciat? Sed quid si raptus ultra tempus perfolvendi Officii duraret? In solutione harum difficultatum possem diutius immorari ob varias, & dissidentes Theologorum opiniones. Sed omnis controversiis laetius existimo, quid mihi probabilius videatur breviter indicare. Dico igitur primò, quod si mentis suspensio usum vocis impediatur, non impleatur præceptum; sed tenetur postea, qui talem raptum passus est, Officium suum recitare: nec enim tollit obligationem præcepti singularis impulsus Spiritus sancti. Si verò mentis excessus linguæ usum non tollat, sentio illum, qui sensui spirituali ita attendit, ut verba non consideret, verè orare vocaliter, & Ecclesiæ præcepto satisfacere, dummodo verba ipsa integrè, & sine errore pronunciet. Nam quid præcipit Ecclesiæ, nisi ut oremus, & laudemus Deum? Oratio autem quid est, nisi ascensio mentis in Deum? Ergo qui mente elevatur in Deum, verissimè orat, licet attentionem reflexam ad verba non habeat. Nullus unquam Doctor tam rigidus exactor fuit, ut actualem ad verba attentionem necessariam ad orationis integritatem existimaret: Ergo si prima intentio integra verba proferendi, & vocaliter laudandi Deum nunquam voluntariè interrupta virtualiter durat, quis neget hanc veram esse orationem, Deoque gratissimam, qui non vocis clamorem, sed amorem respicit cordis? Dico tamen secundo, quod

quod si tempus non superesset ad persolvendum Officium, idque orans prævideret ita futurum, tantam animi suspensionem impedire teneretur, ne preces horarias omitteret, alioquin non excusaretur à culpa, si privatos affectus Ecclesiasticæ sanctioni præferret: nisi fortè suspensio, vel raptus tanto impetu fieret, ut usum tollerent libertatis, quod fieri posse Theologi Scholastici cum Mysticis asseverant: tunc enim in omissione Officii involuntaria peccatum non esset, ut per se constat. Dissertunt de hac re sancta Catharina Senensis in Dialogo cap. 67. Sanctus Vincentius Ferrerius tract. de vita spirituali cap. 10. Dionysius Carthusianus in tractatu de discernendis spiritibus, articulo 23. citatus à Consalvo Duranto Episcopo capite tertio libri de visionibus, quem præmisit Revelationibus Sanctæ Brigittæ. Gabriel Biel in Canonem Missæ lectione 62. ubi multa de hac materia, & alii Recentiores.

5. Hæc verò doctrina ex parte displicet Joanni Gersoni, quem sequuntur quidam Neoterici, displicet etiam Gabrieli loco citato. Illi enim sentiunt nullo pacto licere psallentibus talem meditationem admittere, quæ nec pertineat ad verba, nec in eis fundetur, aut quæ ipsorum verborum submoveat cogitationem. Ratio est, inquit, quia non attendens ad verbalem prolationem, dum recitat, mentaliter tantum orat: quis enim asserat externam illam actionem esse humanam, cum careat omni advertentia? At Ecclesia publicam orationem jubet esse vocalem, ut toti populo, pro quo profertur, innotescat: Ergo non obedit Ecclesiæ, qui voluntariis contemplationibus orationis pervertit integritatem. Sic illi argumentantur. Sed ut veritas nostræ assertionis inconcussa permaneat, id quod assumunt ad probationem, actum scilicet illum non esse humanum, omnino negandum est. Quoties enim in principio actionis actus voluntatis elicitur, quo quis vocaliter orare, atque integra verba proferre decernit, totus recitationis actus qui sequitur liber, voluntarius, ac proinde humanus dici debet, quamvis desit actualis attentio ad verba. Quod si actualis, ac nunquam interrupta attentio requireretur, profectò non salvaretur omnis caro, cum ob cordis humani instabilitatem, vix integram Orationem Dominicam liceat sine distinctione proferre. Nec obstat D. Bernardus & Hoc enim ad con-

firmendam Gersonis sententiam quidam utuntur, & locus quem obijciunt hic est. Nihil aliud dum psallitis, quam quod psallitis cogitetis. Nec solas dico vitandas cogitationes vanas, & otiosas: vitandæ sunt & illæ, illa dumtaxat hora, & illo loco, quas Officiales fratres pro communi necessitate quasi necessarîo frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profectò recipere tunc consuluerim, quæ fortè paulo ante in Claustro sedentes, in Codicibus legeratis, qualia etiam nunc me viva voce disserente ex hoc auditorio Spiritus sancti recentia reportatis. Salubria sunt, sed minime illa salubriter inter psallendum revolvitis. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit, quicquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Hæc illi à Bernardo, sed malo omine suæ opinionis. Istinc enim evidentissima ratione conficitur, eas tantum cogitationes tempore Psalmodiæ abijciendas, quæ licet bonæ sint, nullo tamen pacto ad orationem pertinent: quales sunt curæ temporales, scientificæ speculationes, & alia ejusdem generis. Secus verò est, cum meditatio practica ad pios erga Deum affectus excitandos ordinatur: nam hic orationis finis est, hoc munus primum, hæc utilis exercitatio, adversus quam non scribit Bernardus. Moneo tamen consultius fore verborum sensui insistere, quam temerè per alta cœlorum volare, ne audax, & inconsultum facinus celeri ruina castigetur, temerarius majestatis scrutator opprimatur à gloria. Quis enim audeat ad montem ascendere, nisi solus Moses? Quis amatoria cum Deo miscere colloquia, nisi corporum, conscientia bona, fides non ficta? Talem animam, cui vivere Christus fit, & mori lucrum, non judico indignam sublimiori ad Deum accessu. Mihi autem bonum est ponere in Domino Deo spem meam, & recitare dies meos in amantitudine animæ meæ. Sic per infimos scalæ gradus pervenitur ad culmen: & per materialem, ac formalem attentionem ad finalem, quæ perfectissima est, paratur ascensus, de qua Hesychius Presbyter¹. Attentio, inquit, est continua cordis requies ab omnibus cogitationibus libera. Hæc quidem communiter de attentione. Eam verò plurimum juvant illæ præparationes, quas Officiorum recitatione præmittendas esse docuimus supra. Tum satagendum est, ut, quæ ipsam attentionem impediunt, studiosè evitemus: ne videlicet evagationibus data opera occasionem præbeamus, vel nimia oculorum

Aaaaaa 3 licen-

¹ Gerson. 3. parte tract. de orac. circa finem. k. Bern. serm. 47. in Cantico.

¹ Hesych. cent. 1. de Temperantia.

licentia, vel præcipiti Psalmorum pronuntiatione, vel tardo ad chorum accessu, vel immoderata risu petulantia, vel stulta, ac puerili loquacitate. Sunt igitur duo singularia attentionis adjuvamenta, ante orationem præparare animam suam, & in ipsa oratione omnem evagationis occasionem evitare. Sed de evagationibus, & earum causis, atque remediis seorsim tractandum est.

S. V.

Multis evagationibus humanam mentem subjectam esse. Omnes evagationes è septem fontibus oriri: à curis, & sollicitudinibus, à magna negotiorum mole, ab otio, à superfluis colloquiis, ab animi perturbationibus, à sensuum exteriorum libertate, & ab instabilitate imaginationis.

1. **N**Orunt omnes, qui orant, quantis evagationibus subjecta sit mens humana non volens, quantas patiat vel invita difficultates, & ne putes ad pusillos duntaxat, & imbecilles in spiritu hoc vitium pertinere, audi magnum sanctitatis fastigium, audi eximium Dei cultorem Augustinum m. Verè dicam, ait tanquam homo in hominibus, & ex hominibus: attendat quisque, & videat, quanta agantur in corde humano, quemadmodum ipsæ plerumque orationes impediuntur vagis cogitationibus, ita ut vix stet cor ad Deum suum, & vult se tenere, ut ster, & quodammodo fugit à se, nec invenit cancellos, quibus se includat, aut obices quosdam, quibus retineat avolationes suas, & vagos quosdam motus, & stet jucundari à Deo suo. Vix est ut occurrat stabilis oratio inter multas orationes. Diceret unusquisque sibi contingere, & alteri non contingere, nisi inveniremus in scripturis Dei David orantem, & dicentem, *n Quoniam inveni Domine cor meum, ut orarem ad te.* Invenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille se qui quasi fugitivum, & non posse comprehendere, & clamare ad Dominum, *Quoniam cor meum dereliquit me.* Clamat quidem Dominus per Prophetam o, *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: & alibi p, omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Ego

m *August. in Psalm. 75. n 2 Reg. 7: 27. o Isai. 1: 16. p Prov. 4: 25.*

verò vicissim cum Psalmista clamabo q, *Corum mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis:* quia nisi Dominus custodierit nos, frustra nos ipsi ad nostri custodiam vigilamus. Sunt autem evagationum variæ origines, varii fontes, & rivuli, mare magnum, & spatiosum continua accessione componentes, in quo reptilia perambulant, quorum non est numerus, animalia pusilla cum magnis.

2. Primus fons è curis, & sollicitudinibus oritur. Nimia enim anxietas ad res, & studia, & occupationes externas, cum quis incipit orare, illico suggerit expedienda negotia, componendas lites, fruges comparandas, conscribendas epistolas, pecuniam exigendam, curandam suppellectilem, & alia ejusdem generis infinita. His curis maximè exæstuant, qui voluntatem suam divinæ non conformant, nec satis in eo confidunt omnem sollicitudinem projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de nobis. Christus Jesus apud Matthæum superfluum temporalium curam multis argumentis prohibet, tandemque concludit: *r Nolite ergò solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.* Idem ingerens Apostolus, *Nihil, inquit, solliciti sitis, sed in omni oratione petitiones vestrae innotescant apud Deum, Dominus propè est.* Olim Israëlitis præceperat Deus, ut ter in anno orationis causa Sanctuarium adirent, & ne sollicitudo rei familiaris eos ab oratione diverteret, omnem securitatem tempore absentia promissit dicens, *r Nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.* Rectè S. Nilus u: Non poteris orare purè rebus, ac negotiis terrenis implicatus, & assiduus curis onustus, quia oratio est depositio cogitationum. Quod autem divitiæ, & mundi facultates distrahant cor, mentemque perturbent, & anxiam reddant, his verbis eleganter edisserit venustissimus Poëta Cornelius Gallus:

*Quid mihi divitiæ, quarum si demeris usum,
Quamvis largus opum, semper egenus ero?
Imò etiam poena est partis incumbere rebus,
Quas cum possideas, est violare nefas.
Non aliter sitiens vicinas Tantalus undas
Captat, & appositis abstinet ora cibis.
Efficior custos rerum magis ipse mearum,
Conservans aliis quæ perire mihi.*

Sicut

q *Psalm. 50. r Matth. 6: 31. s Philip. 4: 6. t Exod. 34: 29. u Nilus de orat. cap. 65.*

*Sicut in auricomis pendentia plurimus hostis
Pervigil observat non sua poma draco.
Hinc me sollicitum torquent super omnia curæ,
Hinc requies animo non datur ulla meo.*

3. Altera distractionum origo priori similis est, magna scilicet negotiorum moles. Sunt enim quidam magni ardeliones, qui non nisi terram, & carnem sapiunt, & quasi gigantes sub pondere negotiorum gementes, vel non orant omnino, vel tumultuaria celeritate suos Psalmos deglutientes corpore in templo, mente in foro sunt, quibus illud profectò convenit, quod scriptum est, *labor laborum ipsorum operiet eos*. Hi tales ab hac voragine difficillimè emergent, nisi quotidie clament ad Dominum x, *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundi & non est substantia: Nisi inquam illud sedulo cogitent, y Quid prodest homini, si univèrsum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? aut cur turbamur erga plurima, quando unum est necessarium? Mundus transit, & concupiscentia ejus, atque ita rebus transitoriis incumbendum est, ne beata æternitas amittatur.*

4. Tertius è contrario fons otium est. Nam dum dormit agricola, inimicus homo superfeminat zizania, & viæ nihil operantium replentur spinis. Otiositas mater nugarum est, noverca virtutum, sentina malorum, rubigo sapientiæ, summa mentis malitia, vivi hominis sepultura. Profiliunt ab hac peste cum tædio spiritualium bonorum carnalia desideria, dicente scriptura z, *Desideria occidunt pigrum: quæ mala si versemus in animo, cum à precibus vacamus, quando mens ad orationis studium se postea erexit, earum rerum imagines reverberata patitur, ut benè notat Gregorius a, quibus libenter prius otiosa premebatur.*

5. Quartus fons è superfluis colloquiis, & vanis confabulationibus emanat. Quam rem venerabilis Beda b præclare edisserens ait: Multum juvat orationis puritatem, si in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis, si semper ab otiosis sermocinationibus auditum pariter castigemus, & linguam. Quæcunque enim sapius agere, loqui, vel audire solemus, eadem necesse est sapius ad animum quasi soli-

x Psalm. 139. Psalm. 68. y Matth. 16: 26. z Prov. 21: 23. a Greg. l. 10. mor. c. 11. b Beda de templo Salomon.

ram, propriamque recurrant ad sedem, & sicut volutabra fues palustria, columbæ limpida solent frequentare fluentia, ita cogitationes immundæ impuram mentem perturbant, castam verò spirituales sanctificant. Eleganter Poëta: c

*Crimen amare jocos, crimen convivia, cantus.
O miseri quorum gaudia crimen habent.*

6. Quintum fontem longè, lateque diffusum animi perturbationes parturiunt. Amor enim, ira, odium, & reliquæ affectiones rationis solem obumbrant, oculum mentis obcæcant, intelligentiæ lumen obscurant, distrahunt animum, dilacerant cor, & deprimunt sensum multa cogitantem. Sicut Sol obscuro nubium velamine circumseptus lucis suæ radios non spargit, ita mens perturbationum caligine confusa veræ lucis splendore nequit in oratione perfundi. Et sicut non potest currere, ait S. Nilus d, qui ligatus est, ita mens quæ perturbationibus servit locum spiritualis orationis videre non potest: trahitur enim, & huc atque illuc à perturbatis cogitationibus agitur. Si vis igitur puram offerre orationem, prius excute mentem tuam, ut sanctissimus Abbas Isaïas e docet, atque ita constitue, ut si dixeris, *Miserere mei*, ipse quoque precantis te miserearis: si dixeris, *Ignosce mihi*, tu item inimicis ignoscas tuis: si dixeris, *Ne reminiscaris delicta mea*, nec tu proximi tui delicta recorderis. Hæc nisi præstiteris, frustra precaris.

7. Sextus fons è sensuum exteriorum libertate nascitur, itemque ex vana, & puerili scurrilitate. Vulgaris parcœmia est, *Incustoditum captat ovile lupus*, ita mentem non custoditam per apertas sensuum fenestras expugnat dæmon. Nullus autem sensus est, per quem citius intret mors, quam per oculos. *Oculus meus*, ait Propheta f, *deprædatus est animam meam: & quidam profanus g, oculi sunt tota nostra luxuria, hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant, mirantur, adamant, concupiscunt. Rectè Propertius: b*

*Qui videt is peccat, qui te non viderit ergo
Non cupiet, facti crimina lumen habet.*

Propterea Græci eodem modo pupillam, & virginem nominarunt. *Kæce* enim & virgines & pupillæ sunt, ut pupulæ apud Latinos.

Atque

c Corn. Gallul. d Nilus de orat. cap. 66. e Isaïas Abb. orat. 18: f Thren. 3: 51. g Quintilian. declam. 2. h Propert. lib. 4. eleg. 35.

Atque huc respexit Demosthenes apud Plutarchum initio opusculi de vitioso pudore, cum dixit impudentem scorta in oculis habere non virgines sive *Κόρες*. Ideo virgines, inquit Cæsarⁱ, esse debent oculorum populæ, quæ idem cum virginibus nominis ornamentum sortitæ sunt. Joannes quoque cognomento Jejunator *κ*, cujus est Homilia quædam Chrysofomo peperam attributa, Pupilla, ait, vocatur oculus, ut sicut ille duabus palpebris velut in quodam conclavi clausus est, ita & virgo permaneat. Nihil autem frequentius legitur apud Ethnicos scriptores *l*, quam per oculos ad cor introire omnes improbas cupiditates. Elias locuturus cum Deo vultum suum operuit pallio, ut clausis exterioribus oculis internum Dei lumen clarius possit intueri. Præcorum item Patrum dictum solemnè erat oportere orantem cæcum esse, & mutum, & surdum: ut nihil scilicet videat, loquatur, vel audiat, quod orationis studium interrumpere possit.

8. Septimus tandem fons à nobis ipsis etiam non volentibus, & plerumque resistentibus erumpit, ex varia nimirum, & instabili vi imaginationis, quæ nunquam in eodem statu permanens variis discursibus per infinita vagatur. Hanc ego soleo mulieri meretrici comparare, quæ in Proverbiis à Salomone describitur *m garrula, vaga, quietu impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians*. Richardus Victorinus^u eam Balæ assimilat, quæ fuit ancilla Rachelis. Imaginatio, inquit, cum tanta importunitate in auribus cordis perstrepat, quatenus ejus clamorem ipsa Rachel vix, vel omnino cohibere non possit. Hinc est quod sæpè, dum psallimus, vel oramus, phantasias cogitationum, vel quælibet imagines rerum ab oculis cordis amovere volumus, nec valemus. Quoniam ergo hujusmodi perstreptentium cogitationum tumultus quotidie etiam inviti patimur, qualis vel quanta sit Balæ garrulitas quotidiano experimento docemur. Quæcumque enim visa vel audita quandoque, quæ ipsi gessimus vel diximus, ad memoriam revocat, & quæ ipsa jam enarrando explicave-

ⁱ Cæsar. dial. 3. de fide interrog. 1. o. *k* Hom. 22. ad pop. Antioch. *l* Apulejus lib. 10. Heliodor. lib. 3. Longus Sophista lib. 1. de Pæmènic. Theophyl. Simocatta epist. 36. Aristænat. l. 1. est. Phædrus fab. 63. *q* alii apud Cæsar. Barth. in Notis ad Claudian. n. m. Prov. 7. 10. n. Rich. lib. de præp. anim. ad cen. empl. p. 1. cap. 6.

rat, eadem iterum, atque iterum replicare non cessat. Sic Richardus. Quis autem valeat innumeros imaginationis motus, quos quisque omni momento sentit, explicare? omni enim mobili mobilior irrequieta pernicitate in varias partes distracta circumvolvitur: ducitur à vanitate in vanitatem, nunc cum mente concordans, mox ab illa resiliens. Quidquid illi occurrit, sive bonum, sive malum, sine differentia discretionis amplectitur, & quia spiritualia non curat, in amore terrestrium occupatur. Omnia transcurrit, & circumvolat, & dicto citius nunc in cælos evolat, nunc in abyssis est, nunc ultra oceanum pergit, nunc orientem, & occidentem perlustrat. Variat rerum imagines, fingit species, vices alternat, ædificat nova, destruit vetera, destructa reparat, innovat amissa, mutat quadrata rotundis. Quam ridicula ejus monstruositas est? Nunc præliantes milites repræsentat, nunc venatores rubicantes, nunc fabros tractantes quæ sua sunt, nunc mercatores marinis undis agitato, nunc eosdem ultramarinas merces distrahentes: mox res humanas perosa ad bestias, & portentosa convertitur. Humano corpori cervicem jungit equinam, fabricat sub uno capite multa corpora, & rursus in uno corpore multa capita. Desinit leo in draconem, cervus in vitulum, miraque celeritate tam multas apparere facit formarum varietates, ut vel horæ momento quascumque Poëtæ concinnant fabulosas transformationes quasi in tabella pictas exprimat, & proponat. Sic multigenis deformata illusionibus de nihilo infinita componit & nobiliorem hominis partem stulta curiositate seductam allicit, & perturbat.

9. Hi sunt ferè omnes evagationum fontes, quos oraturi obturare & obstruere debent, ne crescentes in immensum aquæ fluctuosum efficiant mare, quod nulla valeat arte pertransiri. Vidit Ezechiel^o Propheta aquas descendentes in templum, dicitque se per eas traductum primò usque ad talos, deinde usque ad genua, postea usque ad renes, tandem intumuerunt aquæ in modum torrentis, qui non potest transvadari. Templum Dei sumus nos, porro aquæ evagationes sunt, si eis in principio non obviamus, vae nobis, quia impetuosis vorticibus sepultos dæmonibus tradent sine ullo orationis fructu illudendos. Supra scriptæ autem evagationes, vel sunt voluntariæ, & culpabiles: vel sic divina disponente clementia, orantis mentem afficiunt, ut

^o Ezech. c. 47.

ut discamus non altum sapere, sed timere, sicut scriptum est, *Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas*: vel sunt immisiones per Angelos malos, quibus hostili fraude decipimur: vel naturaliter animo ingeruntur ob naturæ nostræ imbecillitatem sine ulla culpa, & consensu. Sed jam videamus quæ sint earum remedia, & curationes.

§. VI.

Septem evagationum remedia sigillatim enumerantur. Evagationes involuntarias nullum orationi detrimentum inferre.

Primum evagationis remedium est, cum quis se distractum animadvertit, divinæ præsentia memoriæ innovare, ipsumque imaginari oburgantem, & dicentem; *Discede à me qui operaris iniquitatem, festivitates tuas odit anima mea, factæ sunt mihi molestæ. Ut quid cogitas malum in corde tuo? An ignoras quod se auferit spiritus à cogitationibus quæ sunt sine intellectu?* Vir admirabilis Joannes Climacus *p* nil efficacius ad attentè orandum existimat quam formam rei judicij astantis assumere. Si unquam, ait, visibili judicij obnoxius fuisti, non tibi alia forma jam opus erit, quam imitari debeas, dum orationi insistis. Quod si neque reus extitisti, neque alios examinari perspexisti, vel ex infirmorum precibus, quas medicis cum secandi vel urendi sunt fundunt, hujusmodi aliquid addisce. Idem alibi *q* Memoria, inquit, æterni ignis tecum singulis noctibus dormiat, tecumque evigilet, nec unquam tempore Psalmodiæ dominabitur tibi negligentia. Considera quoque Dei patientiam in tuis distractionibus tolerandis, & cave ne eum amplius irrites, sed dic ei cum Propheta *r*, *Quoniam tu Domine suavis, & mitis es, & multæ misericordiæ, & verax: letifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.*

Alterum remedium est duriori investiva seipsum arguere his vel hujusmodi verbis, quibus in simili casu sanctus Paphoutius usus fuisse dicitur. Quid agis ô pretiosissima, & Deo digna anima, ut cœlestibus relictis terrenis occuperis? Væ tibi miseræ, quia sub conspectu Dei, & Angelorum ludibrium diaboli facta es fructum

orationis amittens. Viderunt te hostes, & deriserunt Sabbata tua, & plauserunt super te manibus suis. Cleanthes Assius adolescenti cuidam differens, cum sibi videretur parum attentus, rogavit an sentiret: illo affirmante, cur igitur, inquit, ego non sentio te sentire? Sic Dæmones, cum nullum attentionis signum exteriùs vident, planè sentiunt orantem non sentire.

Tertium remedium præservativum est, ante ingressum templi vel oratorii omnem cogitationum extranearum sarcinam deponere, eo modo quo Guillelmus Abbas auctor libelli de Amore Dei inter opera Bernardi utebatur. Intentiones, cogitationes, voluntates, affectiones, & omnia interiora mea venite, ascendamus in montem ubi Dominus videt, & videtur. Curæ, sollicitudines, anxietates, labores, poenæ, servitutes expectate me hic cum asino corpore isto, donec ego cum puero, ratio scilicet cum intelligentia usque illuc properantes, postquam adoraverimus, revertamur ad vos. Ad idem nos hortatur Eucherius Lugdunensis sermone in illud Evangelii, Oportet semper orare: Intraturus ædes sacras foris primum deponere graves curarum catenas, & absoluto corde absolvendus ingredi. Sanctus Adelhardus Abbas, ut narrat in ejus vita Paschasius Ratbertus, cum ad divinum intrabat officium, mox omnes cogitationes, & causas rerum temporalium ante ostium reponebat, & secum totus ingrediebatur, ut totus Deo, ac sibi adesset. Eodem remedio quidam Monachus apud Joannem Climacum gradu quarto utebatur.

Quartum signis quibusdam externis constat, quæ phantasiæ excitant & errantem in viam reducunt: qualia sunt carnem unguibus stringere, digitos contorquere, pectus percutere, & dicere cum Publicano *t* *Deus propitius esto mihi peccatori*: orare cum Ezechia *u* *Domine vim patior responde pro me*, vel cum sancta Judith *x* *Confirma me Deus in hac hora*. Juerit etiam ad lacrymas, & singultus interruptæ orationis vindices confugere, & fragilitatem suam ex viciorum multitudine prodeuntem desiere, ob eamque causam se indignum attentione, & colloquio Dei judicare: hæc enim humilitas expellit adversarium, & supremum accersit auxilium.

Quintum est certis punctis, objectis, & medita-

B b b b b d i t a

f *Diog. Laertius lib. 7. t* *Luc. 18. 13. u* *Isai. 38. 14. x* *Judith. 13. 9.*

P *Clim. gr. 28. q* *Idem. gr. 7. i* *Psalm. 85.*

ditationibus ad tertium attentionis modum pertinentibus mentem ad Deum jugiter elevare: quæ quidem puncta ex vita, & passione Christi aliisque mysteriis fidei desumi debent, de qua re agit diffusè Joannes Mauburnus in Roseto exercitiorum spiritualium in Directorio horarum Canonicarum. Sextum ex frequenti, & sæpius renovata actuali intentione procedit, ut si initio cujusque Psalmi, vel quoties situs corporis in choro mutatur, ferventius psallere, & diligentius attendere proponamus.

2. Septimum tandem, atque efficacissimum remedium est ipsas quascunque involuntarias evagationes, quæ nolentibus, nihilque cooperantibus adveniunt, parvipendere, neque ob eas expellendas nimia sollicitudine, quæ capitis dolorem pariat, laborare. Quid enim perturbaris, si, cum sis homo, id pateris, quod humanum est, quod fortissimi quique experti sunt? Sed vereor, inquis, ne tam multæ evagationes immundam reddant animam in conspectu Dei. Sanè illic trepidas timore, ubi non est timor. Audi Principem Theologorum γ : In spiritu, & veritate orat, qui ex instinctu spiritus ad orandum accedit, etiamsi ex infirmitate mens postmodum evagetur. Mens enim humana propter infirmitatem naturæ diu stare in alto non potest, quia pondere infirmitatis deprimitur anima ad inferiora: Evagatio verò mentis, quæ sit præter propositum, orationis fructum non tollit. Audi Magnum Basilium z : Si debilitatus à peccato fixè nequis orare, quantumcunque potes te ipsum cohibeas, Deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assistere coram eo. Audi denique scripturam: *a* Quomodo miseretur pater filiorum, miserus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum: recordatus est, quoniam pulvis sumus. Sed forsitan meritoria non erit talis oratio? Nihil minus. Nam ut concludit Doctor Angelicus, ad meritum non requiritur ex necessitate, quod attentio adsit orationi per totum, sed vis primæ intentionis reddit totam orationem meritoriam: quamvis ad novi meriti incrementum actualis intentio sit necessaria, ut supra ostensum est. Ego autem amplius dico. Mentis distractio præter voluntatem orantis eveniens, non solum orationis salutare affectus non tollit, imò plerumque ob continuam lætam, ob cognitionem, & depressio-

γ Thom. 2. 2. q. 83. art. 13. z Basil. form. de orando Deum. *a* Psalm. 102.

nem sui auget meritum, duplicat coronam. Beata Virgo Maria apud Blossium *b* in Monili spirituali S. Brigittæ dixisse fertur; Quacunque tentatione pulleris inter orandum, persiste in bona voluntate, & conatu sancto, sicut commode potes, quia desiderium, & conatus tuus pius reputabitur pro effectu orationis. Etiamsi prava, ac sordidas cogitationes, quæ cordi tuo incidunt, ejicere non poteris, tamen pro illo conatu coronam in cælo recipies: ita tibi proderit illa molestia, modò non consentias tentationi, & tibi displiceat, quod indecens est. Hæc de attentione, quæ ad intellectum pertinet, nunc voluntas devotionis fervore excitanda est.

S. VII.

Quid sit devotio, quis ejus effectus, & efficacia. Tum novem documenta ingeruntur ad eam comparandam, & conservandam.

I. Devotionem à verbo *devoeo* deduxere Latini, quod destinare, consecrare, vel dedicare significat. Virgilius, Quorum se devovet aris. Priscianus, Tibi devoeo hoc opus. Suetonius in Cæsare; Devotissimos sibi milites reddidit. Legimus, & devotorium carmen apud Livium, & Macrobius, quale fuit illud Deciorum, qui se pro patria devoverunt. Sed quocunque sensu hac olim voce uterentur Latini, jam ex usu Christianorum profano vocabulo sanctitas, & veneratio accessit, sumiturque devotio pro peculiari quadam propensione animi ad Deum, & res divinas. Auctor libri de spiritu, & anima inter opera Augustini *c*, devotio, inquit, est pius, & humilis affectus in Deum: humilis ex conscientia infirmitatis propriæ, pius ex consideratione divinæ clementiæ. Affectus autem est spontaneæ quædam, ac dulcis ipsius animi in Deum inclinatio. D. Thomas *d* veræ sapientiæ Antistes, Devotio, ait, nihil aliud esse videtur, quam voluntas quædam promptè se tradendi ad ea, quæ pertinent ad Dei servitium. Richardus *e* Victorinus; Quid aliud est devotio, nisi fervida mentis in Deum directio? Hæc devotionis descriptiones mulsercularum, hominumque simplicium convincunt errorem, existimantium in sensibili quadam dulcedine, &

b Bloss. Monil. c. 3. *c* De spiritu, & anima cap. 5. *d* Th. 2. 2. q. 82. art. 1. *e* Rich. de erud. int. hom. lib. 2. cap. 9.

compunctione, ac teneritudine cordis veram consistere devotionem, cum hæc omnia Doct. Angelicus inter effectus devotionis enumeret; ipsa verò specialis quidam actus sit pertinens ad Religionem. Per devotionem docet Seraph. D. f. omne bonum in cor nostrum immitti. Per hanc enim zelus iustitiæ accenditur, pietas compallionis infanditur, patientia roboratur, exemplum bonum condicitur, discretio clarificatur. Hæc est unctio spiritus docens omnia, quæ expediunt salutem; hæc mentem illuminat, inflammat affectum, actiones ordinat ad virtutem, mores componit, firmat fidem, fiduciam erigit, accendit amorem, ad divinam elevat amicitiam, orationem impinguat, dat in adversis constantiam, in prosperis humilitatem, delet peccata, sublimat merita, fugat dæmones, lætificat Angelos, ædificat proximos, instruit errantes. Arida est omnis Religio, quæ aqua devotionis non irrigatur: corrumpit omnis structura bonorum operum, nisi hoc munimine fulciatur: hujus olei pabulo deficiente fatuarum virginum lampades extinguuntur. Ergo devotioni studiosè incumbendum est, quæ cum difficilis acquisitio sit ob naturæ corruptionem, ob pravos habitus, & dæmonum pervicaciam, seligenda quædam adjumenta sunt, quæ præsidio nobis sint ad eam facilius comparandam, & tenacius possidendam.

2. Fervens aeternam, & efficacem ejusdem devotionis desiderium primo loco statuendum. Inijtium enim sapientiæ concupiscentia ejus, & invenitur ab his, qui quærunt illam: præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Visitat Deus animam quærentem se, ait Bernardus g., quæ tamen ad quærendum toto se desiderio & amore devovit. Et hoc signum adventus ejus, sicut ab eo qui expertus est, edocemur. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit inimicos ejus.* Oportet namque ut sancti desiderii ardor præveniat faciem ejus ad omnem animam, ad quam est ipse venturus, qui omnem consumat rubignem vitiorum, & sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima, quoniam juxta est Dominus, cum se sentierit illo igne succensam, & dixerit cum Propheta h., *De excelsu misit ignem in ossibus meis, & cruduit me.* Et illud: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Tali animæ suspiranti frequenter, imò sine intermissione orantem, & affectantem se præ desiderio cum interdum desidera-

tus ille, qui ita quæritur, miseratus occurrit, pu- to illi de propria experientia convenire, ut dicat cum Sancto Hieremia k., *Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te.*

3. Secundum adjumentum, custodia cordis est. Sic præcipit Sapiens l., *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit.* Nempè res cordis est, ait rursus Bernardus m., gratia devotionis, & hoc munere se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere. Sed à quibus custodiendum est cor? Ab inutilibus cogitationibus, & ab affectibus terrenis. De cogitationibus hæc Richardus n. Hi sunt veræ devotionis socii inseparabiles circumspectæ, discretæ, & providæ cogitationes. De affectibus sic Cassianus o: Non enim perfectio statim nuditate, au privatione omnium facultatum, sed dignitatum abiectione contingit, sed cordis puritate, hoc est corde intacto à cunctis perturbationibus. Item Prosper p in sententiis: Qui supplicaturus Deo locum aptum, & sanctum requirit, interiora tua munda, & omni inde mala cupiditate depulsa præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare, in te ora: & ita age semper, ut Dei templum sis. Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat.

4. Tertium adjumentum, jugis Dei memoria, sicut scriptum est q., *Memor sui Dei, & delectatus sum.* Et alibi r., *Providebam Dominum in conspectu meo semper, propter hoc latatum est cor meum.* Oritur hoc ex præcedenti; Domino attestante, qui dicit s., *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* B. Ephraem t hanc doctrinam stabiliens, ait; Continua Dei recordatione turpes animæ passiones recedunt, instar maleficorum Prætere accedente: ubi verò memoria Dei abest, ibi tenebræ cum fœtore dominantur, omnisque res improba exercetur.

5. Quartum adjumentum, frequens usus aspirationum, quibus tanquam subjectis lignis in altari cordis ignis devotionis succenditur, & conservatur. Sunt autem aspirationes crebræ quædam, sed brevissimæ orationes, quas nonnulli jaculatorias vocant, quia tanquam jæcula velociter currunt, & subtiliter penetrant. De his August. u ad Probam sic scribit, Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem orationes habere, sed eas ta-

B b b b b 2 men

k Thren. 3. 15. l Prov. 4. 23. m Bern. serm. de tripl. custodia. n Rich. de erud. int. hom. lib. 1. cap. 7. o Cassian. coll. 1. p Prosper. sent. 334. q Psalm. 76. r Psalm. 15. s Matth. 5. 8. t Ephr. de virtutibus. 10. u Aug. epist. 127.

f Bonno. de sex. alis Seraph. c. ult. g Bern. serm. 31. in Cant. h Thren. 1. 15. i Psalm. 38.

men brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio.

6. Quintum adjumentum præbet lectio spiritalis; *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*: & ut ait Isidorus x, qui vult semper esse cum Deo, frequenter debet orare, frequenter & legere: nam cum oramus, cum Deo ipsi loquimur; cum vero legimus, Deus loquitur nobiscum. Hanc sacrarum lectionum utilitatem Sanctus Abbas Aelredus y his verbis confirmat; Sacra Scriptura ager est, in quem S. Isaac inclinata jam die pergit ad meditando, ubi ei occurrens Rebecca illum, qui acciderat, sua lenit suavitate dolorem. Quoties mihi, Jesu bone, dies vergit in vesperam, quoties parvæ alicui consolationi quasi diurnæ luci intolerabilis dolor nocturna caligo succedit, vertuntur in fastidium omnia, oneri sunt cuncta quæ video. In modum silicis cor obduratur, hæret lingua, oculorum vena siccatur. Quid tunc? exeo sanè ad meditando in agro, sacrum revolve codicem, meditationes meas ceris imprimo, cum subito mihi occurrens Rebecca, tua scilicet gratia, Jesu bone, sua luce tenebras discutit, pellit fastidium, duritiam frangit, mox suspiriis succedunt lacrymæ, lacrymas celeste gaudium comitatur.

7. Sextum procedit è sensuum exteriorum custodia. Nam ut scribit doctus, & antiquus Abb. Berengosius z, nisi ad exemplum legalis Sacramenti primogenitum hominis redimamus quinque siclis argenti, hoc est quinque sensuum custodia, nihil nobis quinque vulnere Christi proficere vibices, quibus in ara crucis quinque sensuum nostrorum voluit sanare cicatrices. Refert Pelagius inter dicta S. Syncreticæ istud; Sobriè vivamus, quia per sensus corporis nostri fures ingrediuntur. Sic perimus miseri, & mortem per fenestras intransent voluptatis larva personatam excipientes illud postea magno errore decepti canamus,

Ut vidi, ut peris, ut me malus abstulit error. a
Sed ferè sapiunt Phryges. Semel enim amissa oblicentiosam sensuum evagationem gratia devotionis non nisi post longos labores, & continuum fletum, ac ferventissimas deprecationes recuperatur.

8. Septimum gignit solitudo. Ducam eam in solitudinem, dicit Dominus per Oseam b & ibi

x Isid. l. 3. Sent. c. 8. y Aelred. in c. 15. z Bereng. l. 1. de Laude S. Crucis c. 6. a Virg. ecl. 3. b Osea 2. 14.

loquar ad cor ejus. Hortatur ad hanc devotissimus Bern. c O sancta anima sola esto, ut soli omnium servas te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge & ipsos domesticos: secede ab amicis, & intimis, etiam & ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergò, sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu. Idem alibi scribit solitudinem esse negotiorum celestium apothecam, per quam in Paradisum ingressi sunt quotquot ad culmen perfectionis ascenderunt. Sanctus quoque Guerricus d Abbas solitudinem vocat auditorium Spiritus sancti. O solitudo Deo dicata, exclamat Laurentius Justinianus e, quam amabilis es, & quam ardenti desiderio concupita ab his qui noverunt te! Tu namque humilitatis es speculum, tu divini amoris custos, tu propriæ cognitionis magistra, tu scientiæ schola, testis conscientiæ, futuræ felicitatis imago, accusatrix scelerum, vitiorum detectrix, veritatis amatrix, innocentiae decus, secretorum celestium cognitrix, contemplationis præventrix, origo compunctionis, cæli scala, latitudo maxima, orationis portus, tranquillitatis habitaculum, passionum spiritualium interemptrix, pervigil mentis custodia, non dormitans affectio, prudentiæ comes, discretionis oculus, latens profectus, dulcedo cordis, spei fons, sponsi celestis receptaculum, Dei, & hominum mediatrix. O quam præcella sunt præconia tua solitudo sancta, tuæ divitiæ, laudabilis actio, successus lætus, secreta possessio, convivium jube, ac delicata cibaria! Frequentissimè sapientiæ illustraris radiis, gaudio perfunderis, elevaris in cælum, & pace replearis. Sinum quippe tuum dilatas, & jucundissimè suscipis humiles, mente pacificos, orationi instantes, devotionis avidos, atque gustu sapido divina gustantes.

METRUM XLVIII.

O Solitudo mentibus
Orantium gratissima,
O vera cordis suavitas
Ignota vulgi sensibus,
Ut te requiro, & expeto
Turbam perosus improbam!
Hic, hic serena spiritus

Aspi

c Bernar. ser. 40. in Cant. d Guerr. serm. 4. de Adv. ventu e Justinian. lib. de Vita solit. cap. ult.

Aspirat aura pectori.
 Hic nullus auditur fremens
 Tumultuantium fragor.
 Hic corda nullus inquinat
 Vapor, vel umbra criminis.
 Campi sonant hic mellicis
 Psallentium concentibus.
 Hic Angelorum cœtibus
 Immixtus, & vindex sui
 Sapiens quietam transigit
 Vitam procul negotiis,
 Curis procul nocentibus,
 Solutus omni jurgio.
 Hic alta vitans curiæ
 Potentioris limina
 Innoxios ducit dies
 Inanis expers ambitus.
 Hic lucra conscientie
 Quadrante justo computans
 Studet mereri stribus
 Amissa Cœli gaudia.
 Optet superba culmina,
 Opes, domosque splendidas
 Quicumque vult, me nescium
 Fraudis jurat silentium,
 Me solitudo, me quiete
 Abscondat ignotum omnibus,
 Deoque soli cognitum.
 Hoc scire demum, hoc vivere est,
 Sibi, Deoque vivere.

9. Octavò juvant devotionem opera misericordie, quia *f* Charitas operit multitudinem peccatorum: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur *g*. Juvant corporales afflictiones, quia *h* caro concupiscit adversus spiritum: & *i* caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt. Juvat certum tempus quotidie feligere, quo quis devotioni diligentius insistat. Juvat, & ea omnia severissimo examine discutere, quæ vel ipsam devotionem conservare possunt, vel impedire. Quantum potes, te ipsum argue, ait quidam sapiens *k*, deprehendas te oportet, antequam emendes.

10. Nonum denique adjumentum perseverantia suppeditat. Perseverantia inquam in spiritualibus exercitiis semel assumptis, ut non temerè mutantur, ut sine causa non omitantur, ne ultra præscriptum tempus differantur. Fastidientis stomachi est multa degustare, & sæpius mutatum pharmacum non sanat, sed turbat:

f 1 Petr. 4: 8. *g* Prov. 11: 25. *h* Gal. 5: 17. *i* 1 Cor. 15: 50. *k* Seneca ep. 28.

sæpius translata arbor non proficit, sed arescit. Nullum certum exercitium habere, sed quasi folium, quod vento rapitur, per diversas operationes divagari, signum est animi ad vitam spiritualem prosus inepti. Omnia quidem probanda, sed tenendum, quod bonum est. Nam quæ virtus coronam, quod opus laudem meretur, si desit perseverantia? Dicam omnibus, quod suis juvenibus scripsit Bernardus *l*. Absque perseverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Vigor virium, virtutum consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimiatis vinculum, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hæc ferè sunt, quæ devotionem in nobis gignunt, & conservant: sed eandem multa quoque sunt, quæ impediunt, & extinguunt, de quibus consequenter agendum est.

S. VIII.

Quæ sint impedimenta devotionis. Interioris, & exterioris hominis pugna, & humana calamitatis deploratio. Oratio ad impetrandam gratiam devotionis.

1. **P**rimum devotionis impedimentum sunt peccata venialia, quia, ut Laurentius Justinianus *m* docet, prius vita commendabilis habenda est, deinde devotio. Minuunt siquidem veniales culpæ charitatis fervorem, obscurant conscientie lumen, contristant Spiritum Sanctum.

Secundum ex conscientia scrupulosa oritur, gignit enim inconstantiam animi, mentis perturbationem, nebulas intellectus, cordis inquietudinem, omnemque devotionis suavitatem confundit.

Tertium ex cordis amaritudine nascitur, quæ fontem dulcedinis exsiccat, charitatis unitatem scindit, hostis est concordie, inimica pacis, nutrix contentionum.

Quartum impedimentum præstant externæ consolationes: nec enim cœleste manna datum

Bbbbbb 3 est

l Bern. ep. 129. *m* Laur. Just. de disc. mon. convers. cap. 19.

est Israel, nisi postquam defecit farina Aegypti. Praeoccupatum nempe secularibus recreationibus animum delectatio sancta declinat, nec misceri possunt vera vanis, externa caducis, ut iis pariter delectemur, quae sursum sunt, & quae super terram.

Quintum est curis superfluis orni eloquentissimus Iulianianus testatur: nam cum animus per multa diffunditur, utique minus in se validus est. Non enim interioribus, exterioribusque vacare perfecte potest; sed nec cuiquam intendere valet operi, nisi applicet affectum. Cum autem superflua cura animus occupatur, proculdubio diaboli laqueis captivus tenetur.

Sextum est nimio sciendi appetitu, & continua intellectus occupatione in studiis speculativis procedit. Nam qui ardentius theoreticis scientiis incumbunt, ferè semper sunt aridi, distracti, indevoti, ambulantes in mirabilibus super se, nihilque aliud animo revolventes, quam controversias, syllogismos, sophismata, nugas, tricas, contempiones. Non tamen dico, ut verbis utar Bernardi, contemnendam, aut negligendam scientiam literarum, quae ornat animam, & erudit eam, & facit etiam ut alios possit erudire. Sed cognitio sui, & cognitio Dei oportet, ut expediat, ut praecedant, in quibus summa salutis constituitur. Et vide, si non docebat hunc ordinem, qui dicebat, *Seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitae, & tunc demum illuminare vobis lumen scientiae.* Ultimam posuit scientiam, tanquam picturam, quae statum habere nequeat super inane: & ideo illa duo praemisit, & subiecit illis, tanquam si solidum aliquid picturae substerneret. Securus jam intendam scientiae, si vitæ prius securitatem accepero. Hæc Bernardus.

Septimum malefana curiositas producit, quae multiplex est. Quidam enim disquisitores ingeniosi semper in malum aliorum indagare negotia, mores observare solent, unde detractiones, suspiciones, malevolentiae, inquietudines generantur, quibus pax cordis amittitur, turbatur serenitas mentis, & perpetuis quibusdam fluctibus concutitur animus, & in varias partes agitur. Alii inutilium librorum lectione dissipant spiritum, portentosis Poetarum figmentis, prophanis Ethoicorum historiis, confictis Heroum certaminibus, propudiosis Amadisiorum adventionibus, aliisque similibus otiosorum pabulis pascentes animum, quae res, vix dici potest,

quanti sit detrimenti his, qui vitam spiritualem profitentur. Alii denique in vestibus, aedificiis, suppellectili, & superfluis ornamentis curiositatem sectantur, non sine gravi spiritus dispendio, dum fel draconum, & venenum aspidum vino sancti Spiritus dulciori super mel, & favum insipienter praeponunt.

Octavam impedimentum obijciunt sibi nonnulli, qui gratiam devotionis jam habitam nulla cura, vel diligentia custodiunt. Non sic sponsa, non sic: nam invento Dilecto, *Inveni, inquit, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.* Tenetur autem sponsus cordis custodia, orationis instantia, & nunquam interrupto devotionis fervore.

2. Nonum tandem impedimentum explicat qui dixit, *q Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, & captivam me in lege peccati.* Quamdiu sumus in hac vita, caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: quae quidem lucta cum sit perpetua, distrahit animum, & peccati viculis quasi captivum religans, non finit eum jugiter rebus divinis inhærere. Sic duplex in nobis homo reperitur, interior, & exterior. Interior gratia Dei plenus, praeditus charitate, spiritu imbutus conversatur in coelis, suavi pace perfruitur, bonis operibus foecundatur, nihil in conscientia fecdum, nihil in tentatione admittit obliquum: ad spiritualia exercitia promptus, hilaris ad orationem, patiens ad contumelias, intrepidus in adversis, ad fratrum obsequia indefessus, austerus jejuniis, murus silentio, nudus paupertate, simplicitate rectus, niveus innocentia, ardens amore, & per devotum affectum divino beneplacito semper subjectus. Homo exterior vendatus sub peccato, non percipiens quae sunt spiritus Dei, amicus mundi, inimicus Christi, oneratus sceleribus, vitiis irretitus, oculos suos stravit declinare in terram, terram comedens, terram diligens, terrae adhærens omnibus diebus vitae suae. Adversus istum si quis Christi est, armare se debet zelo vindictae, & clamare cum Propheta, *Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prevaluit in vanitate sua.* Crucifigatur homo iste, reus est mortis, pereat, pereat qui nostrum quaerit interitum: destruat corpus peccati, ut ultra ei non serviamus, sed tentanti concupiscentiae resistentes, interioris hominis vitam ferventis animi devotione renovemus.

Idem de casta Verbi conuabio cap. 16. O Bern. ser. 37. in Cant.

p Cant. 3:4. q Rom. 7:21.

3. Sed heu me miserum, & infelicem! Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quis in tam duro certamine docebit manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum? Quis dabit animæ meæ virtutem, & inimicum domesticum, adversarium propinquum, carnem peccatricem, & insurgentem in se supplantet subtus se, & confringat, donec deficiat? Quis, inquam, poterit solvere vincula captivitatis meæ, nisi tu, qui solus es, Domine Deus, pater vitæ meæ, fortitudo mea, & refugium meum? Obsecro te igitur per Jesum Christum Filium tuum, virum dexteræ tuæ, Filium hominis, quem confirmasti tibi, attende mihi, & exaudi me clamantem de profundo, & misericordia tua exaudiat desiderium meum. Erravi sicut ovis quæ perierat, & derelicto te fonte aquæ vitæ, fodi mihi cisternas dissipatas, quæ aquas internæ devotionis continere non valent. Nunquid non meliores sunt fontes Salvatoris omnibus aquis Ægypti? Et calix tuus inebrians, quam præclarus est? Ego tamen viam carnis ingressus sum, ut liberem aquam fluvii, quæ sitientem animam refocillare nunquam potuit: species enim creaturarum decepit me, & post eas ambulans, exterioris hominis hortamenta sequutus fontes pietatis, venas devotionis in me ipso siccavi. Et ecce anima mea sicut terra sine aqua tibi. Jam perversitatis meæ poenas acerbissimas luo. Invasit enim me languor animi, hebetudo mentis, inertia spiritus. r

*Exitiosa caro, Belial tenebrosa procella,
Exitiosa caro, qua fluit omne scelus.
Cænum, massa gravis plumbi, limosa catena,
Bellua pugnaci prodita materia.
Pestifer æstus, heræque tuæ vinculum, atque sepulchrum
Formæ, quæ supera venis ab arce mihi.*

Non sine causa dictum est de te, quod interficis diligentes te. Nam dum te foveo, dum te nutrio, dum scelerata tua desideria perficio, vita mea Domini meus declinavit in ira à servo suo: & ided approinquavi usque ad portas mortis, & paulominus habitavit in inferno anima mea. Hinc ista sterilitas animæ, & devotionis inopia, quam patior. Aruit sicut testa virtus mea, factum est cor meum sicut saxum durissimum: nec Psalmus sapit, nec orare delectat, ad vigilias somnolentus, ad fabulas vigil, præceps ad iram, tardus ad patientiam, gulæ indulgens, & linguæ, segnis ad pietatem, nec compungi

ad lacrymas queo, nec solitas meditationes invenio. In tantis miseriis constitutus, quid faciam miser, ubi fugiam, nisi ad te Deus meus? Miserere mei, & resuscita me: ne derelinquas me sicut montem Gelboe maledictum, in quem nec ros, nec pluvia descendunt. Da mihi irriguum superius, & iriguum inferius, ut sint mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte. Da mihi fontem perspicuum, in quo laventur iniquitates meæ, & super nivem dealbetur anima mea. Loquere ad petram cordis mei, & percutere virga virtutis tuæ, & fluent aquæ compunctionis & inebriabor ab ubertate domus tuæ. Hujus aquæ salutaris recreatus aspergine, dilatato corde viam mandatorum tuorum currere incipiam, frequentius orabo, meditabor attentius, donec ad montes excelsos perveniam, in quibus aquæ sunt salubriores, aquæ nimirum Divinitatis, in cujus contemplatione requiescam in sæcula sæculorum.

METRUM XLIX.

Absiste vulgus: cœlicos nunc me decet
Pangere versiculos
Amore percussus gravi.
*Amore nempe, pura qui semper novo
Vulnere corda secat
Mucrone divo sevens.
Nam cor potentem armatus ille dexteram
Cuspide, & igne ferit,
Hæret que telum vulneri.
O æstuans incendium, ô fervens rogas,
Siccine corda cremas,
Nec ulla speratur salus?
Ut sole nix tabescit, ut ceræ solet
Solvere flamma globum:
Sic mens calore absimitur.
Vivensque morte occumbo, & expers sensuum
Vivo in amore miser.
Dum pectus ustrum liquitur.
Ab! nulla amoris asperum vulnus potest
Docta fovere manus
Sævum dolorem leniens.
Tanti est amoris ignis, ut ejus faces
Nec maris unda queat,
Nec ulla vis extinguere.
Viciisti amor: jam que jacis ferociter
Ignea tela, pati
Cor penè mortuum nequit.
Sed vulnera me amans Amor, mihi in tuo
Vulnere vita manet,
Si amore me finas mori.*

1 Nazareth, in Carmine adu. carniem.

4. Sat dictum de psallendi disciplina. Poteram quidem multa adjicere, quæ praxim attentionis, ac devotionis, & usum eorum, quæ hætenus dicta sunt, clarius explicarent. Sed hæc fatius existimavi in alium librum rejicere, quo doceo, quæ ratione omnes humanæ actiones sint obeundæ. Interim quod hic prætermisum est, inveniet pius lector in Roseto exercitiorum spiritualium Joannis Mauburni, in Psalterio decachordo Joannis Michaelis Constantiensis, in Joannis Gersonis libro de Canticis, & super *Magnificat*, & in Alphabeto Divini amoris, quod tamen non est Gersonis, sed Joannis Nyder, itemque Epistola 37. Joannis Lanspergii, atque in aliis spiritualibus opusculis scriptorum recentiorum, quæ omnium manibus teruntur. Omitto Chiropsalteria, Canticorda, & alia hujusmodi exercitia, quæ vix possunt ab infirmioribus exerceri sine capitis offensione ob continuam, & nunquam interruptam attentionem ad signorum distinctiones, quam requirunt. Joan. Cassianus formalem attentionem præ cæteris commendat his verbis: Monachus psallens omnes Psalmorum affectus in se recipiens, ita incipiet decantare, ut eos non tanquam à Propheta compositos, sed velut à se editos, quasi orationem propriam profundâ cordis compunctione depromat; vel certè ad suam personam æstimet eos fuisse directos, eorumque sententias, non tunc tantummodo per Prophetam, aut in Prophetam fuisse completas, sed in se quotidie geri, impletque cognoscat. Eundem namque recipientes cordis affectum, quo quisque decantatus, vel conscriptus est Psalmus, veluct auctores ejus facti, præcedemus magis intellectum ipsius, quam sequemur. Ad eandem hortatur August. & dicens: Si orat Psalmus, orate; si gemit, gemite; & si gratulatur, gaudete; & si sperat, sperate; & si timet, timete: Omnia enim, quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt.

f. Cass. coll. 10. c. 11. t. Aug. in Ps. 30. conc. 3.

C A P U T XX.

De Variis Sanctorum exemplis ad Divinum Officium perti- nentibus.

s. I.

*Exemplorum magnam esse vim ad vi-
tam rectè instituendam.*

1. Hætenus Divinæ Psalmodiæ originem, causas, partes, & disciplinam rudi penicillo malus pictor delineavi: Et quod operis initio non ausus fuisset me præstaturum polliceri, Deo vires subministrante, ipsaque materiâ uberius quotidie crescente, ipse quoque liber in hanc magnitudinem sensim excrevit. At supersuntne alia? Imò verò, nec finis erit, si quæcunque curiosæ indaginis persequatione ad hanc rem spectantia adinveni, studiosè libeat amplecti. Sed cæteris omissis sola nobis restant Sanctorum exempla ad divinum Officium pertinentia, quibus extremum hoc caput dicatum sit. Nam quò pleniori obsequio Ecclesiasticos homines demerear, quædam quasi per saturam sine ordine rerum, aut temporis è probatis Scripturibus excerpere non gravabor: eritque hoc superpondium non inutile, nec injucundum; quia ut celeberrimus Historicus a scribit, Aliorum erratis ad rectam vitæ institutionem pro exemplis uti, & quod rectè factum est imitari scitum, atque pulchrum est. Et facillimè, ait alter b, quid prosit, aut obfit homines animadvertunt, cum multa multorum exempla intuentur. Ex vitio alterius, inquit Publius c, sapiens emendat suum: estque compendiosum felicitatis genus, ut docet Sanctus Zeno d, alterius periculo discere, quid debeas devitare. Sic vulnus aliorum nostra cautio fit, & veterum egregia facta in utilitatem posterorum derivantur. Sententia Platonis est; Nihil rectè doceri, nihil rectè disci sine exemplo: & ut Magnus Gregorius e scribit, Non est in sermone laudabilis, qui hoc quod loquitur, opere non ostendit. Præclarè de hac re illustri rei rusticæ Scriptor f: Usus, & experientia dominantur in artibus, neque est ulla disciplina, in qua non peccando discatur: & ubi quid perperam administratum cesserit improspere, vitatur quod fefellerat, illuminatque rectam vitam docentis magisterium. Exempla denique, teste Isidoro Pelusiotag, dormientes animas ad virtutem capeffendam exsuscitant, & ignavas, ac socordes excitatores efficiunt, & vitii indulgentes erubescere docent, atque ad pœnitentiam agenda inducunt. Cæterùm à domesticis eventibus, à Cæsario scilicet nostro Heisterbacensi scribendorum exemplorum initium sumo, ejus enim historiæ memorabiles datæ sunt mihi in manus,

a Diodor. Siculus l. 1. c. 1. b Dionys. Halicarn. initio l. 11. c Publ. in Sententiis. d Zeno ser. 6. de Isia. e Gregor. l. 19. moral. cap. 12. f Columella l. 1. de rusticâ c. 1. g Isid. Pelus. l. 4. Epist. 172.

dum hæc scriberem. Stylum autem mutavi, quod & in cæteris observatum est.

§. I I.

Exemplorum Decades quatuor.

I. Monachum quendam *b* Ordinis nostri ita Princeps tenebrarum decipiebat, ut, quoties ad nocturnas vigiliis surgendum esset, magno statim sudore perfunderetur. Ille putans infirmitatem esse, quod erat diabolica fraus, jacere, vestibus se operire solebat, & sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger ille vertebat se in lectulo suo. Nocte quadam cum dato signo, cæteri surgerent, & ad divinum Officium festinarent, delicatulus noster tentare quidem, & aliquantulum moveri, ut surgeret; sed larga sudoris profusione præpeditus, iterum sopore languescere, iterum torpori succumbere. Et ecce incognita vox aures ejus implacide feriens, Noli surgere, inquit, noli interrompere sudorem tuum, quia non expedit tibi. Sensit tunc demum Monachus se fuisse deceptum, & phantastico sudore neglecto, vigil profliens è lecto adversus acediae spiritum fortius deinceps dimicavit. Sic illis illudit dæmon, qui corporis infirmitatem magis quam morbos animi timentes, hostium stratagemata celeri vigilantia antevertere non student.

2. Alius quidam Sacerdos, cæteris post vigiliis privatis orationibus, & meditationi juxta Regulam nostram incumbentibus in sede aliqua oratorii se collocans inter verba orationis dormire solebat. Cumque frequentius ab ingruente somno vinceretur, apparuit ei quadam vice Dominus in cruce verso ad illum dorso, & facie averfa, hac corporali visione patenter insinuans tepidos, & pigros Monachos à facie Domini projiciendos fore: sicut ipse per Prophetam Jeremiam testatur, dicens *k*, *Quia oblitus est mei populus meus, frustra libantes, & impingentes in viis suis; dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.*

3. Et ne putet aliquis se excusatum iri, quod non omnis somnolentia à proprio vitio, vel ab hostili tentatione, sed à corporali quandoque infirmitate naturaliter oriatur: narrat Cæsarius l. Beatum Christianum Ordinis nostri Monachum, cum ob adversam valetudinem post

nocturnam synaxim inciperet debile caput in ipsa Ecclesia sopore reficere, à sanctissima Dei Genitrice Maria hac voce excitatum fuisse: Surge Christiane, non est hic locus dormiendi, sed orandi. Quoniam verò hujus sancti viri semel mentio injecta est, aliud ejusdem exemplum narabo; quo ad frequentiam chori, & reverentiam in eo habendam excitetur.

4. Infirmus erat, ut dixi *m*, B. Christianus, ac propterea licentiam habuerat ab Abbate, ne surgeret ad vigiliis. Ille tamen non nisi gravissima necessitate compulsus, hac facultate utebatur. Interrogatus autem à quodam, cur indulta sibi gratia perfrui nollet: Non possum, inquit, memor enim consolationum, quibus inter psallendum lætificat Deus animam meam, valde crucior, si à publica recitatione me contingat abesse: nam & beatos Angelos chorum circumire, ipsumque Regem Angelorum multoties vidi, ipsum, inquam, Christum Jesum, qui dixit, *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum: & ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

5. Sed redeo ad somnolentiam, quam dæmonis actu orantibus immitti manifestum est. Nam B. Conradus *n* Conversus noster in dorso cujusdam fratris dormitantis, dum Laudes recitarentur, diabolus vidit in forma serpentis rectortis gyris complicari. Vidit alius in alterius capite eundem sedere domesticæ felis assumpta figura. Circa alium somnolentum sæpè porci sunt visi, & porcorum grunnitus auditi, quia verba Psalmorum semiplenè, ac sine attentione prolata, quasi siliquis porcis infernalibus diripienda projiciebat.

6. Dormiens nocte quadam Monachus senior *o* nomine Fredericus, vir alioquin bonus, & justus, hominem vidit procera magnitudine, turpique aspectu deformem, nodum stramineo luto, ac fimo perlitum habentem in manu, qui cum somno sepultum terribilibus oculis respexisset, quid hic dormitas, ait magnæ fili mulieris? Magnam scilicet mulierem B. Virginem appellavit, cui Ordo noster specialiter addictus est. Tum stramen illud immundum magno impetu faciei ejus intantavit, qui cum vellet ferientis ictum declinare, caput parieti allidens non sine proprio dolore, aliorumque ludibrio evigilavit.

7. Horribilius est quod sequitur *p* Quidam enim in sacris vigiliis dormiens, tantam Deo

Ccccc

nauseam

m Ibid. *n* *Cæs. lib. 4. cap. 32. 33. & 35.* *o* *Cæsar. lib. 4. cap. 34. p. Ibid. cap. 38.*

h *Cæsarius lib. 4. cap. 28.* *i* *Cæsarius lib. 4. cap. 29.* *k* *Jeremia c. 18.* *l* *Cæsarius lib. 4. cap. 30.*

nauseam provocavit, ut veniens de altari Crucifixus, maxillam ejus validissimo pugno percussisset, qui & post triduum mortuus est.

8. Illustris, & facetus miles q lapidem oratorii ab Abbate Hemmerodensi emere voluit, quod talis eum naturæ diceret, ut somnum confestim conciliaret. Nam quoties oraturus se super eundem lapidem reclinabat, mox ei somnus tentante Sathana obrepere consueverat, ut vel inde cognoscas plures in lecto vigiles in choro somnolentos fieri, omnem pristinam vigilantiam humani generis hoste destruyente.

9. Dictum est supra sanctos Angelos, ipsumque Dominum visos fuisse psallentium cœcibus interesse. Adde nunc, quod relatu jucundissimum est, Beatam quoque Dei Genitricem sæpe oratorium perambulasse, devotè cantantibus benedixisse, à tepidis, & dormientibus cum indignatione recessisse: quæ omnia B. Henricus Conversus Claustrensis, & S. Godefridus Vilatiensis Monachus, & alii non semel videre meruerunt. Sed in his memorabile est, quod cuidam carnali Monacho evenit; Hic, cum majorem corporis curam, quam spiritus haberet, in solemnibus festo B. Virginis psallens noctu cum cæteris eandem manifestè intuitus est, quæ mira claritate perfusa, pyxidem habebat in manu suavissimo electuario plenam, atque inde integrum cochlear hauriens, in os singulorum infundebat. Ad ipsum verò perveniens indignabunda recessit dicens: Tu de meo electuario sumerè non indiges, quia medicus es, & plures tibi impendis consolationes. Hac acerbissima animadversione perstrictus ille mores emendavit, & in proxima Dominae nostræ solemnitate, eandem visionem videre, & electuarium de manu Virginis accipere dignus fuit, quo gustato tanta dulcedine, & devotione repletus est, ut omnem terrenam consolationem prorsus respueret. Electuarium istud, inquit Cæsarius, gratia devotionis intelligitur, cujus virtute psallentes confortantur, cujus dulcedine labor vigiliarum vertitur in delicias: hujus species aromaticæ sunt memoria compunctiva Dominicæ Conceptionis, Nativitatis & reliquorum Sacramentorum Christi, quæ omnia mellisua spe futu-
pturæ retributionis conduntur, & meritis B. Virginis psallentibus infunduntur.

10. Ad cantum pertinent quæ sequuntur. Et quidem ex canora voce inanis gloriæ occasionem arripere quanti discriminis sit, docuit periculo suo quidam Monachus Calinensis, qui cum

cereum in Vigilia Paschatis voce dulcissima benediceret, essetque vox ejus tanquam Musica in convivio, peracta benedictione subito in veste Levitica de medio raptus nusquam comparuit, nec ullibi inventus est. Causam hujusmodi raptus elationis vitium fuisse, qui ejus vitam noverant, testati sunt.

11. Dicit Propheta, *Circuibō, & immolabo in tabernaculo ejus hostiam vociferationis, cantabo, & Psalmum dicam Domino.* Si tamen exaltatio vocis non ex fervore, & abundantia cordis, sed ex inani jactantia procedat, jam Deo placere non potest, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. In Ecclesia quadam sæculari cantantibus Clericis, & tumultuosas voces in sublimi tollentibus, vir religiosus, ac timens Deum qui fortè tunc adfuit, vidit in loco eminentiori dæmonem, sinistra manu saccum tenere, dextera verò cantantium voces colligere, ac in eundem saccum immittere. Post Officium verò, cum illi de optimo cantandi genere gloriarentur, dixit, qui visionem viderat. Benè quidem cantastis, sed saccum implèstis.

12. In Cœnobio quodam u Ordinis nostri cum Antiphonam Invitatorii is ad quem spectabat, psalmumque sequentem voce mediocri inchoasset, & seniores eodem tenore cœptam melodiam prosequerentur, quidam ineptus juvenis indignè ferens, depressiori voce Psalmum inceptum fuisse, eum quinque ferè vocum intervallis exaltavit. Cumque Seniores arrogantia ejus resisterent, pertinax Monachus cedere contempsit; sed & alii ex opposito choro eum adjuvantes vocem in exaltatione obstinârunt. Cesere pervicacibus cæteri propter scandalum, & cacophoniam. At B. Hermannus dicti loci tunc Prior, dæmonem vidit cum latitia, & impetu profilientem, & circa eos, qui cantum superbè exaltaverant, tripudiantem.

13. Idem Hermannus dæmones sæpe vidit discurreres in choro x, ut sciamus locum certaminis esse oratorium, & non esse nobis colluctationem adversus carnem, & sanguinem, sed adversus Principes, & Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in cœlestibus. Cum aliquando initio vigiliarum chorus Abbatis inciperet Psal. *Domine quid multiplicati sunt,* adeò multiplicari dæmones vidit, ut ex illorum concursu, & discursu turbati fratres nescirent prorsus, quid dicerent. Tandem brevissimo illo, & usitatissimo Psalmo non

q *Ib. c. 37.* r *Cæs. l. 7. c. 12. 18. 36. & 48.* s *Cæs. l. 4. c. 8.*

t *Ibid. cap. 9.* u *Cæs. l. 3. cap. 5.* x *Ibidem.*

non sine labore, & confusione utcumque expleto, discessit diabolus totius confusionis caput, & psallentibus Monachis pax & serenitas restituta est.

14. Aliâ vice cum Prior Monasterii y sæcularia quædam negotia ante ingressum chori immediate tractasset, vidit Hermannus dæmonem, tanquam viæ ducem ante illum ingredientem. Tanti detrimenti est ad opus divinum, sine præscriptis præparationibus accedere.

15. Idem cum errantes in aliqua z Officii parte, juxta præscriptum regulæ nostræ, vel terram tangendo, sive deosculando, vel petendo veniam satisfacerent, dæmones aspexit ab illis, tanquam turbine impulsos, velocissimè discedentes. Non enim potest superbæ spiritus humilitatis signum tolerare.

16. Ut discamus a quanto fervore Hymnus *Te Deum Laudamus*, cantari debeat, rem narro mirabilem, quam in monasterio quodam Sanctimonialium accidisse scribit Cæsarius. Puella quædam, cum dictus Hymnus incæptus esset, vidit cælos apertos, & chorum cum psallentibus in ipsos supernè elevari, & introduci: Cumque versiculus ille, *Tibi omnes Angeli* psalleretur, universos ordines Angelorum, & singulos singulorum ordinum spiritus demissis capitibus, flexisque genibus, & expansis manibus Deum adorare. Quod & Apostoli, & Prophetæ, & omnis cælestis ordo similiter faciebant, cum eorum nomina in consequentibus versiculis recitarentur. Cum autem extremus Versus decantaretur, rursus chorus in terram descendit, & cæli clausi sunt. Liquec hinc terrestrem hymnodiam cælestis filiam esse. Stamus enim hic in atriiis supernæ Hierusalem, cujus participatio ejus in idipsum. Huic exemplo aliud subdo de Canticò Domini *Alleluja*.

17. Solet hæc vox supernis civibus familiaris, magnâ vocum exultatione, & longo notarum decursu cantari. Intolerabilis autem b cuidam Novitio Ordinis nostri hæc cantandi ratio videbatur, adeo ut vel hæc de causa jam à sancto proposito discedere cogitaret. Nocte quâdam, cum tentatio eum acrius infestaret, vidit se in somnis à militibus, quos olim hostes habuerat, omni ex parte circumdatum, & oppressum; nec effugii ulla spes erat: jam hostes eum capere, jam manus in eum violentas injicere. Sic periclitanti adfuit candidatorum exercitus quorum signifer cum *Alleluja* ingenti vociferatione clamasset,

y *Ibid.* z *Ibid.* a *Idem* l. 8. c. 90. b *Cæs.* l. 4. c. 55.

eandemque vocem crebrò repetiisset, territi hostes in fugam dispersi sunt. At Novitius expergefactus, omnique tentatione solutus tantò ferventiùs in posterum *Alleluja* cantavit, quantò majorem ejus vim ad effugandas contrarias potestates expertus fuerat.

18. Hæc è Cæsarii flosculis c delibasse sufficiat. Sed ne statim ab Ordine meo discedam, quod de dulcissimo Patre Bernardo memini me legisse, hic in primis enarrabo. Intererat aliquando nocturnis vigiliis Pater sanctus, cumq; solito ferventiùs divinas psallere laudes conaretur, singulis Monachis, singulos Angelos astare conspexit, qui psallentium verba, ne minimâ quidem syllabâ prætermisâ schedulis excipientes velocissimè conscribebant. Porrò quidam auro, alii argento, quidam communi atramento, nonnulli aquâ, quod quisque psalleret, exarabant. Erant etiam, qui nihil scriberent. Intellexit protinus vir Dei, eodem qui revelaverat spiritu edocente, quid scripturæ diversitas indicaret. Aurum enim ferventiùsimum in Dei servitio amorem & alacritatem: argentum minorem quidem fervorem, purissimam tamen intentionem significabat. Atramentum bonam voluntatem denotabat, quamvis devotionis, & vigiliantiae studium aliqua ex parte deesset. Per aquam verò eos Scribæ cælestes exprimebant, qui somnolentiâ pressi, vanisque cogitationibus à se abducti voce, non corde psallebant. At qui nihil scribebant, illos indicabant, qui inter justos sceleratè viventes, noxiisque cogitationibus voluntariè distracti contra legis præscriptum vacui apparebant in conspectu Domini: quorum perversæ operationes indignæ, quæ Angelicis codicibus exciperentur, à dæmonibus quibus serviebant tenebrosis voluminibus consignabantur. Utinam hoc exemplo edocti, sic divinis assistere laudibus studeamus, ut omnis psalmodia nostra auro, vel argento conscripta honorem Deo, gaudium Angelis, nobis salutem operetur.

19. Cum quædam cantantur, quæ majorem exigunt attentionem, valde solliciti sunt Angeli sancti, ut majorem quoque in psallentium cordibus excitent devotionem. d Vidit eisdem S. Bernardus, qui, cum Hymnus *Te Deum laudamus* decantaretur, utrumque chorum percurrentes nunc hos, nunc illos ad cantandum alacriter modis omnibus excitabant. Sed & ipse S. Abbas, cum dictum Hymnum inciperet, visus est à quodam

Ccccc z miro

c *Lib. de viris illustrib. Ord. Cisterciensis.* d *Exordium Ord. Cisterciensis.*

miro splendore circumfusus: Tum nitidissima flamma ab ore cantantis erumpere visa est, & in caelum conscendere, quo ejus intentio ferebatur.

20. Beatus Wulfridus Monachus e Ordinis nostri in Anglia cum Canticum trium puerorum decantaretur, vidit Angelum Domini cum magna claritatis fulgore in medium chori descendere, & thuribulo caelesti thymiamate referto spirituum aromatum vivificum vaporem psallentibus offerre. Cum autem ad illum versum psallentes pervenissent, quo sanctissima Trinitas collaudatur, idem Angelus carbonem ignitum de thuribulo tollens in os Wulfridi projecit, qui tantum ardorem ferre non valens, exanguis corruit, & delatus in infirmitorium, tribus diebus quasi mortuus permanfit. Sed regredior ad cantum, quem humilem & devotum esse debere, hoc item domestico exemplo edocemur.

21. In Abbacia quadam Monachus erat *f* qui peritiam cantandi, & dono suavissimæ vocis instructus non ad Dei laudem, sed ad inanem sui gloriam tanto munere utebatur. In communi Psalmodia profus elinguis, in iis quæ solus concinebat, ultra modum vocalis reperiebatur. In die autem solemnæ cum versum cujusdam Responsorii pro singulari vocis privilegio sibi assignatum non in gravibus, sed in acutis, & superacutis vocibus, tinnulis modulis, flexilique lasciviâ personasset: eo finito dæmunculus teter cunctis videntibus apparuit, qui plaudens manibus, & fœdis cachinnis exultans, protinus exclamavit; O, o benè, benè cantavit, optimè cantatum est. Hoc est videlicet superbi cantus præmium plausus diaboli, exultatio inimici, cantantis perditio. Sancta quædam Virgo primis Patribus nostris ruinam Ordinis eventuram prædixit ex agrorum multiplicatione, ex superfluitate ædificiorum, & ex vocum lasciviâ. Quam Prophetiam in nobis impletam, heu seris & inutilibus lacrymis deflemus. Hæc in libro de viris illustribus Ordinis nostri dum legerem, ingesserunt se protinus duo exempla, quæ prætermittere nefas sit. Ea pertinent ad somnolentiam, quæ noctis vigiliis stodientibus obrepere solet.

22. Quidam Monachus Henricus nomine *g*, ætate juvenis, corpore robustus, sed carnis curam perficiens in desiderii, cum in omni parte Monasticæ disciplinæ cespitaret, tum maximè cum ad vigiliis surgendum esset. Nam vel non surge omnino, vel nondum peractâ synaxi discedere,

pigritiam verò infirmitatis velamine solebat obtegere. Sed Deus non irridetur. Nam qui posthabito timore Domini, neglecta regulari admonitione dixerat, ut delinqueret in semetipso, tandem relicto Ordine reversus ad vomitum suscepti propositi impiissimus defertor interit. Viderat eum sæpillimè Cœnobiarcha, dum exiret è choro diabolico impulsu abactum, ejus enim collo infidebat visibiliter adversarius, & extra castra pugnantium, & orantium impellebat, quò facilius solitarium opprimeret. Idem narrante in Dialogis Beato Gregorio cuidam Monacho accidisse didicimus, quem dæmon educebat ab oratorio, sed dissimili exitu: nam iste à S. Benedicto correctus culpam agnovit, & emendavit. Audiamus nunc rem jucundissimam, quæ vigilantes Monachos maximoperè corroboret & consolatur.

23. Miles quidam virtute, & sanguine illustris, quem Corradum vocabant, in Cœnobio Ordinis nostri præcipuas quasque solemnitates celebrare consueverat. Aderat aliquando nocturnis vigiliis in die festo Purificationis B. Virginis, tantamque invitus somnolentiam patiebatur, ut ei nullatenus resistere posset. Cumque proprium torporem detestans non cessaret Monachos admirari, qui ex eodem luto conficti, ac multis insuper jejuniis afflicti singulas noctes ducebant insomnes, subito sopore oppressus vidit duos homines monastico habitu venerabiles, quorum unus jucundo vultu militem allocutus hunc versum Latinum pronunciavit: *Talia posse pati soli meruere beati*. At vir analphabetus verborum sensum non percipiens, manè carmen recitavit Priori, à quo ejus explicationem audivit. Beati ergo divinitus nuncupantur, quibus datum est posse pati, & vigilare pro Christo: & admirabilis virgo Catharina Bononiensis *h* inter Martyres computandum fore dicebat Religiosum, qui nocturnis semper vigiliis sine ulla exemptione adesset. Pergo & ex vita S. Geltrudis *i* alia haud dissentanea adjungo.

24. Cum in festo cujusdam Sancti horas Canonicas purissimâ intentione sancta Virgo perfolveret, visa sunt omnia psalmodiæ verba quasi lanceæ acutissimæ, quæ de corde ejus ad cor Jesu Christi procederent, idque medullitus penetrarent, & suavissima assicerent delectatione. De corde autem Christi exibant radii, qui novæ gloriæ splendore Sanctos omnes exornabant, vivis quoque

e Henriquez in Menolog. Cisterc. ad diem 13. Februar.
f Lib. de vitis illustr. Ord. Cisterc. g. *Ibid.*

h Vita ejus lib. 3. cap. 3. *i* Insinuationum Divinae pietatis sive vitæ S. Geltrud. lib. 3. cap. 23.

quoque speciales gratias, defunctis refrigerium subministrabant. Hi videlicet attentæ Psalmodiæ sunt effectus honor Dei, Sanctorum gloria, salus viventium, & requies defunctorum.

25. Aliâ vice dum singulas notas *k*, & verba cum actuali intentione proferre studeret, & sapius pro humana fragilitate deficeret, dixit intra se: & quæ utilitas ex tali studio, cui tanta inest instabilitas? At pius Dominus, ut eam consolaretur, obtulit cor suum in similitudinem lampadis ardentis: Ecce inquit cor meum dulcissimum organum semper venerandæ Trinitatis, cui omnia, quæ per te supplere non sufficis, fiducialiter perficienda commendabis, & sic omnia coram me summè perfectâ apparebunt. Quem admodum si tu vocem haberes dulcissimam, & sederes propè sororem, cujus dissona vox cunctis ingrata foret, valdè indignareris, si tibi ad cantandum aptissimæ illa inepta vices suas nollet committere: Sic ego soleo æstuanti desiderio præstolari, ut mihi homines ea perficienda offerant, quæ ipsi utpotè imperfecti adimplere per seiplos non valent.

26. Præcipit Sanctus Pater Benedictus *l* in Regula, ut Capitulum Laudum memoriter recitetur: Cum igitur hebdomadaria sic Capitulum cantasset, revelavit Deus Sanctæ Geltrudi tale ab illa præmium acquisitum fuisse, ac si tot personæ pro illa orarent, quot verba protulerat. Tanti momenti est, vel in minimis rebus obedientia.

27. Solent Prælati, & Præcentores nostri psallentium cœtum circumire, ut dormientes in nocturna synaxi excitent, & in opere Dei omnem præcaveant negligentiam: cum autem quædam Sanctimonialis id ex more præstaret *m*, dixit Dominus beatæ Geltrudi, si quis studet in divinis tam in se, quam in aliis negligentias præcavere, ego pro illo suppleo omnem defectum perfectæ intentionis, & devotionis. Alia multa ad divinum Officium pertinentia, libro quarto continentur, quæ brevitati consulens præmittito. Hic autem tria exempla ex Laurentio Surio describam, quæ doceant operi Dei nihil esse præponendum.

28. Cum S. Ludgerus *n* persolvendis divinis Officiis cum suis insisteret, à Carolo Magno Imperatore tertio accitus ire tamen ad illum distulit, donec cœptam psalmodiam consummasset. Non desuere aulici, qui sancti viri pietatem ad con-

temptum Cæsaris retorquerent: at ille interrogatus, cur toties accersitus venire contempsisset, Ego, inquit, ô Imperator, tuum semper præceptum ita in omnibus exequendum putavi, ut tamen Deum tibi ubique præferendum non dubitarem: Ideò non ob contemptum Regiæ potestatis sed potius propter tuam salutem, quæ Deo debebam exolvere curavi, sicque expeditior ad tuum servitium veni. Hanc Episcopi libertatem suspiciens optimus Princeps, Gratias habeo Episcopo, ait, quia qualem te semper credidi, talem te nunc esse expertus sum.

29. S. Hugo Lincolnensis Episcopus semper Canonicas *p* preces statuto tempore persolvebat. Contigit illum aliquando cum Prælati quibusdam, & Clericis per loca à latronibus obsessa iter agere. Surgunt omnes ante lucem, urgentque focii discessum, ut ingentis periculi viam in tenebris pertransirent: At vir sanctus instabat, ut matutinas preces ante omnia persolverent. Illi autem metuentes ne propter moram à grassatoribus caperentur, dilato in commodiorem horam Officio iter aggressi sunt. Mira res. Isti prudentes secundùm carnem inciderunt in latrones. Hugo verò cum suis expleto Matutino lætus, & incolumis ad constitutum locum pervenit.

30. In quodam Monasterio Sanctimonialium puella quædam in extremo vitæ discrimine versabatur *q*; instante verò Completorii hora sorores in Ecclesia convenerunt, ut diurnæ servitutis pensum complerent. Vix autem primos cantaverant Psalmos, cum subito evocatae virgines taciti signi ad transitum morientis divinum Officium imperfectum reliquerunt. Ad quarum ingressum infirma, quæ jam ultimum effabat spiritum, repentino saltu è lecto profiliens ad Abbatissam cucurrit clamans & dicens; Fer præsidium Domina, fer præsidium: At illa tremebunda, Quid habes, inquit, filia, quid habes? Respondit, Multitudo dæmonum, qui huc cum sororibus ingressi sunt, me ad inferos secum velle abducere minantur, quia propter me detrimentum servitii sui Christus habet. Porro sorores ad imperium matris protinus in Ecclesiam regressæ divinæ laudis cursum devotè peregerunt: quibus psallentibus puella lectulum reptens, omni horrore discusso, paulatim deficiens mortua est.

31. Inter Canonicos *r* Præmonstratenses existit

Ccccc 3

mia

k Ibid. cap. 24. *l* Ibid. cap. 82. *m* Ibid. cap. 85.
n Surio 26. Martii. Vita S. Ludgeri lib. 1. c. 32.

p Surio 19. Nov. *q* Id. 4. Decemb. in vita S. Antonis lib. 1. cap. 36. *r* Idem 7. Aprilis.

942
 mia floruit sanitate B. Hermannus. Hic quotidie, dum Canticum Zachariæ dicebatur, tam mirifico replebatur odore, ut omnium florum, & aromatum fragrantia naribus ejus aspirare videretur. Eodem verò tempore duos Angelos videbat ab utraque parte Ecclesiæ incensum psallentibus ministrantes, sed cum magno discrimine: nam quibusdam hilares sese ostendere, & coram illis reverenter inclinare: alios præterire negligentius: & à nonnullis cum horrore quodam protinus resiliire. Intellexit statim vir Deo plenus primos eos esse, qui Deum animo, & voce laudarent: Secundos, qui minus advertent, quod psallebant: Tertios illos, quorum vita mors erat. Convenit hoc exemplum cum decimo octavo supra descripto: Nunc alia adjungenda sunt ex Thoma Cantipratano *s.*

32. Erat Sueffionensis civitas in Gallia Ecclesiastico interdicto subiecta, quamobrem non nisi silentio divina ibidem mysteria celebrabantur. In Vigilia igitur Assumptionis B. Virginis Prior Canonicorum Regularium S. Joannis in vineis juxta muros ejusdem civitatis assumptis secum tribus Canonicis devotissimis viris in montem proximum secessit, ut in quodam oratorio solemnitate Dei Genitricis celebrarent. Hora verò consueta ad nocturnam synaxim evigilant, cantant simpliciter, & devotè. At ubi Prior novam lectionem de more finivit, subito concensus mirabilis Angelorum insonuit, & Responsorium *Felix namque es* altissimis vocibus cantaverunt: quo usque ad versiculum dicto, quatuor tantum ex illa innumera multitudine versum, cum *Gloria* succinerunt, multitudine semper cum repetitione respondente. Post secundam verò repetitionem iteratò Responsorium, juxta morem Gallicum quatuor Angeli inchoarunt, & prosequentibus omnibus, alacriter finiunt. Porro de cantu Ecclesiastico, qualis esse debeat, relatu dignum est quod idem auctor commemorat.

33. In quadam Ecclesia Canonice facularium præcipua cujusdam Sancti festivitas agebatur; in Completorio autem Responsorium illud, *In pace in id ipsum dormiam, & requiescam*, Clericis cantantibus, & discantantibus, facta est cunctis audientibus vox, de cælo dicens, solus raucus exauditus est. Erat hic raucus despectus quidam, qui vocis cacophoniam morum consonantia compensans cæteris in dulcedine vocis, absque cordis devotione sine

fructu exultantibus, solus exauditus est pro sua reverentia.

34. Semper nititur dæmon divinum Officium impedire, quare sicut eodem Auctore narrante didicimus, Venerabilis quædam Abbatissa Ordinis nostri nocte quadam, cum nulla Monialium ad nocturnum surrexisset Officium, vidit diabolum, qui eas somno fallaciæ deluserat cachinnis singulas iridentem, & fusa ad Dominum prece, eum visibilem multis ostendit.

35. Sanctissimus Abbas Dorotheus vir sapientia ac pietate insignis, rem mirabilem de nocturnis vigiliis scribit, quam ab eo cui accidit se audisse asseverat. Nocturnam synaxim persolvebat, cum cæteris beatus senex Dioraticus, & ecce virum splendidis indutum vestibus initio Psalmodiæ egredientem vidit è sacrario parvum calicem cum sacrificio, & hostia habentem in manu: psallentibus autem appropians hostiam tangebatur in calice, & ea fratres omnes obfignabat. Sedes autem quorundam, qui ad vigiliam non surrexerant, eo signo tangebatur: aliquorum intacta loca pertransibat. Atque hoc ipsum in fine Psalmodiæ è sacrario rursus egrediens repetebatur. Hæc senex cum vidisset, rogat hominem humiliter, ut signorum mysterium edisserat. Respondet ille se esse Angelum Dei delegatum ad hoc, ut Monachos ab initio Psalmodiæ usque ad finem perseverantes eo signo notaret: nec præsentibus dumtaxat, sed eos quoque qui cum licentia & benedictione Prælati aberant, justa de causa sacro signaculo obfirmabat, eo quod animo, & voluntate cum psallentibus adessent. At loca eorum, qui ob desidiam, & somnolentiam divinis noluerant interesse solemnibus, jussu Dei summi nullo signo notasse dicebat, quoniam ipsi eo munere indigni erant.

36. Scribit Seraphicus Doctor in vita Sancti Francisci, quamvis beatus Pater oculorum, stomachi, splenis, & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro, aut sedi dum psalleret inhaerere, sed horas semper erectus, & stans cum ingenti reverentia, & alacritate persolvebat. Et si quando esset in itinere constitutus, instante hora divini Officii stans, & gressum figens in ipsa via, suas preces recitabat: nec ob solis ardorem, nec ob inundantes pluvias, nec ob frigoris asperitatem, aliamve temporis, vel cæli injuriam hujusmodi consuetudinem prætermittebat. Dicebat enim, si quieret comedit

corpus

n Dorothei. doct. 11. x Bonav. de vita S. Francisci cap. 10.

¶ Cantipratano. lib. 2. de Apib. cap. 40. t. libid.

corpus cibum suum fututum cum ipso esca verum, cum quanta pace, & tranquillitate accipere debet anima cibum vitæ?

37. Idem magno zelo omnem animi evagationem castigare solebat, ut ex subjecto constat exemplo y. Fecerat aliquando otii vitandi gratia vasculum quoddam non elegans, quod cum memoriæ ejus occurrens, dum Tertiam psalleret, paululum ipsius animam distraxisset, motus fervore spiritus dictum vasculum igne consumpsit, dicens, sacrificabo illud Domino, cujus sacrificium impedit. Hæc de Seraphico patre narrat Seraphicus filius Bonaventura. Sed Ecce in manibus vir Eminentissimus Petrus Damianus. Nil gravius, nil jucundius ejus eloquio. Hic quædam memoratu dignissima de divinis Officiis recenset, quæ cum suavissimo ejus sermone descripsero, & exemplis, & libro finis erit.

38. Clericus, inquit z, Coloniensis Ecclesiæ vadum fluminis transibat, & ecce B. Severinus ejusdem Ecclesiæ nuper Episcopus equi ejus habenas apprehendit, eumque retinens sistit. Cumque ille in stuporem versus, & graviter admiratus cur illic tam clarus, & tam celebris famæ vir moraretur, inquireret: da mihi, ait, manum tuam, & quæ circa me sunt non auditu discere, sed tactu. Cumque datam manum fluctibus Episcopus impressisset, tantus eam ardor absorbit, ut undique carnes ejus resolutæ diffuerent, & ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus, cum nomen tuum, inquit, in tanta benedictione sit apud nos, & fama tua consonis totius Ecclesiæ præconiis celebretur, cur te pestilens hæc vorago constringit, tantoque, pro dolor! incendio cruciaris? Ad quem S. Episcopus; Nihil, ait, aliud in me remansit ultione plectendum, præter hoc tantum, quia dum in aula Regia constitutus Imperialibus me consiliis vehementer implicui, Canonice synaxis Officia per distincta horarum spatia non persolvi. Manè quippè simul omnia coacervans tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum ardoris hujus fero supplicium. Tu verò omnipotentis Dei clementiam humiliter implora, ut manum tuam in salutis pristina restituat statum. Quod cum factum fuisset: Vade, inquit, fili, obsecra fratres meos, Ecclesiæ Clericos, & alios spirituales viros, ut pro me preces fundant, indigentibus subsidia confe-

rant, sacrificiorum votis insistant. His enim peractis ego mox de vinculo pœnæ hujus indubitanter expediar, & expectantibus me beatorum civium choris lætus adjungar. Hoc certè magnam nobis debet inferre formidinem, quia cum sanctum virum uni culpæ dumtaxat obnoxium tam intolerabilis Purgatorii pœna constrinxerit: Væ, væ, quæ mihi, meique similibus est inferenda sententia, quos tot reatum prolixitas gravat? distinguenda sunt ergo per momenta temporum Ecclesiasticæ institutionis Officia, & sub magna reverentiæ disciplina dicenda sunt, ne dum psallimus, fructum spiritus cum carnis desiderio misceamus. Hæc Damianus, qui ab Adraldo Abbate Bremensi ea se asserit didicisse. Verùm Baronius a Ecclesiasticæ antiquitatis exactissimus indagator hanc Historiam referens, mendum irrepsisse putat in Episcopi nomen, & pro Severino substituendum censet Peregrinum, vel Pelegrinum, alioquin temporis ratio non constaret. Sanctus enim Severinus Damiani tempora annis circiter septingentis antecessit: Peregrinus autem in ferie Coloniensium Episcoporum paulò ante S. Petri ætatem collocatur. Pergit idem Petrus, & ex ejusdem Abbatis relatione, dum simul per Burgundiam iter agerent, aliud subjungit exemplum.

39. Frater quidam Cluniacensis Cœnobii b piæ mentis, & rectæ conversationis vir hinc aliquando transibat, & ecce crinitus quidam quasi ex Hierosolymitana peregrinatione deveniens palmam ferebat in manu. Cumque Peregrinus, & Monachus invicem obvii sese altrinsecus pertransissent, ait ille: Completorium in lecto nec salus est, nec profectus. Quod frater audiens, admiratus expavit, ac repente post terga respiciens, eum videre non potuit. Mox enim ut verbum protulit, omnino disparuit. Ille verò ad conscientiam mox reversus invenit, quia pridiano vespere lassus de via redierat, & fessa in lectulum membra projiciens, jacendo Canonicas horas compleverat.

40. Quiddam simile in eremo fontis Avellani, quam dum hæc scriberet, incolebat vir sanctus, narrat consequenter accidisse c. Erat ibi Prior nomine Joannes, qui lentis quibusdam infirmitatibus macilentus videbatur semper, & gracilis. Hac itaque sui corporis imbecillitate confusus, sæpè jacens in lecto, Completo.

y Ibid. z Petrus Dam. lib. 2. Epist. 15. ad Desiderium Abbatem.

a Baronius Tom. 11. ann. 1062. num. 84. b Petrus Dam. ubi supra. c Ibid.

pletorium decurrebat. Accidit autem, ut dæmoniacus quidam non procul abesset, qui multa hominum secreta, & obscenos actus impudens propalaret. Cumque præfatus Joannes dæmonem exire præciperet, & quibusdam exorcismi questionibus flagellaret: Tunc, ait, ille es, qui sub cotto quotidie Completorium infurras, & modò me quasi Sanctus ejicere, & juris mei vasculum de meo vis dominio liberare? Hoc audito frater erubuit, quia rei veritatem etiam per mendacii recognovit auctorem. Hactenus ille.

§. III.

Operis clausula, & pro ea gratiarum actio.

HÆc habui, quæ de divina Psalmodia non pro rei majestate, sed pro virium mearum tenuitate proferrem. Plura sanè potuissem à Sanctorum Patrum amœnissimis hortis colligere, quibus hoc sterile senticetum uberius exornaretur; sed præstabilius visum est in tanta rerum congerie servare temperamentum, & posterorum industriæ multa relinquere. Cæterum quia hoc opus ex scriptis veterum Patrum orthodoxorum magna ex parte compactum est, illorum dicta haud inopportunè in hac meta usurpabo. Et primò quidem illis verbis lectorem meum conveniam, quibus modestissimè alloquitur suum Timothæum Magnus Dionysius Areopagita in fine libri de Ecclesiastica Hierarchia. Hæc à me, Fili, tam multa, tamque præclara Hierarchiæ nostræ spectacula, quæ unum faciunt, aspecta, & animadversa sunt. Ab aliis autem mentibus, quæ acrius cernunt, non modò hæc perspecta sunt, sed multò clariora & diviniora. Tibi etiam, ut opinor, planè collucebunt clariores, divinioreque pulchritudines, si iis, quos dixi gradibus ad superiorem radium contendas. Communica igitur tu quoque mecum majorem, perfectioremque lucem, meique oculis monstræ præstantiores, & unius speciem magis exprimentes formas quascunque cernere potueris. Confido enim me his quæ sunt commemorata infitas tibi divini ignis scintillas excitaturum. Dicam & illud quod Maximus Martyr in fine opusculi de Ecclesiastica mystagogia scribit. Hæc ergo de his pro viribus exposui, ea quæ sunt magis mystica, & altiora attingere non ausus. Danda est autem venia imbecillitati meæ; & suscipiendum

est potius, quam reprehendendum, si quod dari potest datur. Deo enim gratum, & acceptum est, quicquid pro viribus purè, & sincerè ex animo datur, etiamsi cum magnis collatum videatur exiguum. Clausulam quoque hic apponam, qua suum terminat Theophrastum Æneas Gazæus Philosophus Christianus. Jam quoniam istuc venimus, sacrificium gratiarum actionis Deo offeramus, non Hecatomben, ut apud Athenienses Minervæ; nec formicam, ut in Isthmo Soli, & Neptuno; sed perpurgatam mentem, quò Deo similes evadamus. O Rex, & Pater, & Conditor omnium: ò prima sapientia Patris, & Verbum per quod is omnia produxit: ò Spiritus Sancte, per quem Deus omnibus aspirat, omnia comprehendit, & conservat, & suam perfectionem adduxit: ò divina Trinitas, & sancta Unitas, des nobis supernæ illius pulchritudinis memoriam, des omnibus æternitatem. Nec verebor Juveni Poëtæ assumpta persona aliquid mihi de hoc qualicumque opere polliceri, cantans in hoc Epilogo quod ille in prologo Evangelicæ Historiæ cecinit;

*Nec metuo ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus. Hoc etenim forsan me subtrahet igni,
Tunc cum flammivoma descendet nube coruscans,
Judex aethroni genitoris gloria Christus.*

Denique hac oratunculæ Deum precabor, quæ libros de Trinitate concludit Augustinus. Domine Deus unus, Deus Trinitas, quæcunque dixi hic de tuo, agnoscant & tui: Si quæ de meo, & tu ignosce, & tui. Amen.

M E T R U M L.

O Mibi jam plures multum vigilata per annos
Pugna, sat spatium longum consecimus aequor.
Naufraga fluctivago jactata carina profundo
Jam portum tranquilla tenet: jam dente tenaci
Anchora de proa jactatur, jam litore gaudet
Navita, jam Scylla monstrum, rabiemque Charybdis.
Et Syrtes, scopulosque, & venti evasimus iram.
Jam licet optatam saltem contingere terram,
Et superis meritis pro munere solvere grates.
Omnipotens Genitor, cæli suprema potestas,
Principium sine principio, sator unice rerum,
Immensus, sine fine potens, sine tempore durans,
Absque loco loca cuncta replens, sine luce coruscans,
Cuncta simul sine voce loquens, sine robore fortis,
Mundum

Mundum mente gerens, sine motu cuncta gubernans:
 Unicus, & simplex, placidus seu parvis amanti,
 Expectasque tacens; seu crimina vindice pœna
 Corrigit iratus, seu iustis præmia reddis.
 Haud opis humana est digna tibi solvere grates;
 Sed cæli dum luce fruor, te carmine semper,
 Pectore te memori cantabo, nulla carebit
 Laudibus hora tuis. Tuque ô sapientia Patris.
 Principium de principio, de lumine lumen,
 A vero verax, soboles æquæva Parenti,
 Fons lucis, mentale jubar, Verbumque paternum,
 Omnia cognoscens divinae notio mentis,
 Ars summi Artificis, primitique expressio veris

Tu precor ignaro, majoraque viribus auso
 Ignosce, & clemens audacibus amue scriptis.
 Tu Bonitas, tu Patris Amor, tu mutuas ar dor.
 O Patris, & Nati Flamen, qui compar utrique
 Imperium sine fine tenes spirabile Nomen,
 Tu quoque, si potui per te tot adire labores.
 Has licet exiguas pro munere suscipe laudes.
 Auspice te, quacunque fides Romana patebit,
 Ore legar populi, nec melibit in sepulchro,
 Nec ventura dies tenebrosa condere nocte,
 Nec poterunt flamma, nec edax abolere vetustas.
 Candida posteritas, duce te, mihi digna laboris
 Præmia, & immeritam statuet cum laude coronam.

NOTITIA AUCTORUM, ET LIBRORUM,

Qui in hoc Opere citantur, notantur, illustrantur.

PRÆMONITIO ad LECTOREM.

Obssequor genio huius sæculi, AMICE LECTOR, cui nihil placet, nisi critico sale respersum sit. Quare non nuda Auctorum nomina præfigo, quod alii solent: sed singulis ausus sum adijcere censuram, & de iis proferre, quid sentiam. Nolim tamen huic Edicto semper subscribas, BONUM FACTUM: Mendaces enim sumus in stateris Filii hominum; sæpe decipimur, sæpe dormitamus. Ut autem ipsi Veteres, ita nos posteri castigabunt, hoc summam habente æquitatem, juxta Sententiam Jurisconsulti, ff. quod quisque juris, l. i. ut idem jus nobis dicatur, quod ipsi aliis diximus. Lege, & vale.

Abbas Urspergensis Ordinis Præmonstraten. cujus nomen diu ignotum est Conradus à Lichtenau, in Chronico diligens, sed Pontificibus infensus.

Abbas Vercellensis, Dicitur Thomas Gallus, sive à S. Victore, primus Abbas S. Andreae Vercellarum, cujus est commentarius in S. Dionysium Areopagitam facilis & accuratus.

Abraham Echellensis Maronita Linguarum Orientalium Professor, multa & recondita præditus eruditione.

Abfalonis Abbatis Sprinkirbacensis sermones docti & elegantes. Hujus cum laude meminit Cæsarius Heisterbacensis, lib. 4. cap. 89. Cui Synchronus fuit. Vixit ergo, non anno 1120. ut Miræus scripsit, sed circa an. 1200.

Achillis Bocchii Bononiensis. Symbolicarum questionum libri 5. multæ eruditionis, sed styli depressi.

Achillis Tatii Alexandrini ex Ethnico, & in Eroticis venusto, sed parum casto Scriptore Episcopi Christiani, teste Suida, Isagoge in Arati Phænomena. Qua ætate vixerit, non liquet.

Adam Abbas Perfennæ, quæ est Abbatia Ordinis Cisterciensis in Diocesi Cenomanensi, cujus elegantissimi sermones extant Romæ MSS. apud doctissimum virum Hilarionem Rancatum Abbatem Cisterciensem.

Adam à S. Victore, auctor sequentiarum Missæ, quas non admisit vetus Ecclesia.

Adonis Viennensis Archiepiscopi Chronicon breve, ab origine Mundi ad sua tempora.

Adrianus Turnebus Criticus celebris, & emunctæ naris.

Ddddd

Acl-

Aelredus Abbas Rievallis in Anglia Ordinis Cisterciensis, vir sanctissimus, & suavissimi eloquii.

Egidius Columna Romanus, Ordinis S. Augustini Archiepiscopus Bituricensis, & Cardinalis, vir celebris doctrine, & miri ingenii, Doctor fundatissimus nuncupatus.

Alius Lampridius Historicus fidelis, sed dicendi genere futilis. Vixit sub Diocletiano.

Alius Donates Grammaticus præstantissimus, præceptor D. Hieronymi.

Alius Scriptor Græcus, sed natus Præneste, ob sermonis suavitatem dictus Melliphronus, cuius de varia historia, deque historia animalium libros exquisitissimos habemus. Vixit sub Hadriano.

Aeneas Gazeus Philosophus Platonicus, pietate, & eruditione clarissimus, qui Dialogum de resurrectione, & immortalitate animorum inscripsit Theophrastum, quod potiores in Dialogo partes isti tribuat.

Aeneas Scriptoris vetustissimi (nisi fallit inscriptio) commentarius polierceticus. Claruit tempore Alexandri Magni.

Africanus fabularum Togatarum egregius Scriptor, quarum extant sola fragmenta apud veteres Grammaticos. Mores ejus culpæ Quintilianus lib. 10. cap. 1.

Agapetus Diaconus vir pius, & magni spiritus, de Regis officio ad Justinianum.

Agathias Scholasticus Smyrnæus, qui tenui stylo, & confuso de rebus Justiniani libros quinque necessarios conscripsit.

Agobardus Lugdunensis Episcopus, vir doctrina insignis, sed Iconomachis consentiens, præterquam in cultu S. Crucis: qui etiam lapsus est, quod in divinis officiis nihil ellet admittere præter sacram scripturam.

Agretius inter veteres Grammaticos recensitus ob libellum de Sermonibus Latino.

Aimoinus, sive Aimonius Monachus de rebus Francorum laudabiliter scripsit, sed notat Baronius Tomo 10. eum Iconoclastis consentisse. Quis iste fuerit, & quo tempore vixerit, deque duplici Aimoino eruditissime, ut solet, Philippus Labbe in dissertationibus ad Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Alanus Insulensis ex primo Abbate Ripatorii Ordinis Cisterciensis in Diocesi Trecenti Episcopus Antissiodorensis, quem plerique confundunt cum altero Alano Converso Cistercii, qui dictus est Doctor universalis, cum longè ab illo diversus sit. Scripsit Poëma contra Claudianum Rufinum, quod ideo Anticlaudianum vocavit. Valerius Andreas in Biblioth. Belgica ait Episcopum vitam duntaxat S. Bernardi, alia opera Conversum scripsisse. Episcopus obiit anno 1182. Conversus 1294.

Albinus Flaccus Alcuinus, abbas multæ pietatis,

& scientiæ Scriptor, quem Eginarthus ait Magistrum fuisse Caroli Magni. Liber aurem de divinis officiis malè tributus ei videtur, quia in eo citantur versus Theodulphi Episcopi Aurelianensis, qui vixit sub Ludovico Pio, quod etiam observavit P. Sirmondus in notis ad Teodulphum.

Alcinous de doctrina Platonis Platoniconum lecti-
oni necessario præmittendus, quem librum commentariis illustravit Jacobus Carpentarius. Sed hunc perperam Alcinoo tribui suspicio est. Longam enim sententiam ex capite ejus 10. citat Eusebius lib. 11 Præp. Evang. cap. 23. sub nomine eujusdam Didymi, quem infra lib. 15. cap. 15. Avium prænominat; nisi fortè hic Dydimus ab Alcinoo accepit. Ætas ejus incerta.

Alcimus Avitus Viennen. Archiepiscopus, qui plura graviter, & venuste scripsit versus, & soluta oratione. Joannes Gagneis in editione Lugdunensi anni 1536. multa pro arbitrio mutavit, & inaudito facinore quingentos propè versus suos pro Aviti versibus intrusit. Pura habentur Aviti Poëmata in editione Sirmondi.

Alexandri ab Alexandro J. C. dierum genialium opus omni antiquitate & eruditione refertissimum. Improbant in eo critici, quod Auctores dissimulat, per quos profecit.

Aldhelmus Episcopus Anglus, cuius est liber de Laudibus Virginitatis stylo tumido, poetico, confuso, verbisque novis, & inusitatis.

Alexander Halensis Anglus insignis Theologus Ordinis Minorum, dictus Doctor irrefragabilis.

Alardus Gazæus Monachus eruditus Calliani Scholasticus.

Algazel Philosophus Arabs Avicennæ Sectator, & abbreviator.

Aloysius Novarinus vir multa præditus eruditione, sacra & profana.

Albertus Crantzius Hamburgensis, diligens Historicus regionum Septentrionalium, cujus Catholica doctrinæ impiæ notæ ad marginem additæ sunt à Sectariis.

Albertus Pighius, vir acutissimi ingenii, Theologus, Philosophus, & Mathematicus peritissimus, sed liber ejus de Ecclesiastica Hierarchia cautè legendus est, quod non semper solidam tradat doctrinam.

Alphonus Tostatus Episcopus Abulensis, vir ingenio, judicio, ac pietate eximius, qui brevissimo tempore, cum non nisi XL. annis vixerit, copiosissima in scripturam commentaria reliquit.

Alphonus à Castro Ordinis Minorum, acerrimus Fidei propugnator, sed notat cum aliquando Bellarminus in controversiis.

Alphoni Regis Hispaniarum Tabulæ Astronomicae Astrologis necessariæ, quas Lucas Gauricus castigavit.

Aly-

Alypius Muficus, cujus Hlagogen edidit Joan Meurus, cuiusque vixisse putat sub Juliano.

Alcoranum lex impiissima Turcarum.

Ambrosius Ansbertus Monachus sacrarum literarum peritia clarus. Fuit Abbas S. Vincentii ad fluvium Vulturum, qui Capuanus interfuit. Testatur ipse met se vocari Ausperum in fine libri decimi comment. in Apocalypsum, seque vixisse aut tempore Desiderii Longobardorum Regis, unde perperam à plebisque fuculo nomen adscribitur.

Ambrosius Mediolanensis Episcopus vere ecclesiam manans ambrosia: cuius tantum, sicut & ceteris Patribus, quaedam tribuuntur, quæ sua non sunt.

Amalario Fortunato Episcopo Trevirensi perperam tribuuntur opus, quo Ecclesiastica officia explicantur doctè, diffusè, sed quandoque nimium subtiliter. Eius autem verus auctor est alter Amalarius Ecclesie Metensis Diaconus. De duobus Amalariis vidi M. S. dissertatione Constantini Cajetani, in qua ait hunc posteriorem ex Monacho Metensi, & Archidiacono Turonen. Cardinalem fuisse, & vixisse circa an. 840. quod verum est, cætera criticis examinanda relinquo.

Amedeus ex Abbate Alacumbæ Ordinis Cisterciens. Episcopus Lausanen. dulcissimus B. Virginis Encomiastes.

Ammianus Marcellinus, Historicus iudicio & fide clarus; sed stylo Poëtico, duro, & inepto: Homo enim Græcus græcas retinuit loquendi formas. Juliani Apostatæ miles & Parasitus fuit, Christianis infensus. Scripsit libros xxxj. sed priores xiiij. desiderantur.

Amphilochius Iconit Episcopus, quem Di Hieronymus patrem facit Basilii, & Gregorio Nazianzeno. Sed vita Basilii falsò tributa est.

Andreas Hierosolymitanus, Episcopus Cretensis, magni spiritus Orator.

Andreas Tiraquellus J. C. vario literarum genere excultus.

Ansgardus Monachus, scriptor vite S. Ansberti Rothomagensis Episcopi.

Anacreon Teius Lyricus Græcus festivissimus.

Anacleti Sacer de Ecclesiastica Hymnodia, ejusque usu & præstantia liber elegans, & eruditus.

Anastasius Abbas, & Bibliothecarius Apostolicus Græcè & Latine doctus. In vitis Pontificum plura sunt vocabula illius ætatis qua vixit, civea finem sæculi nostri, tunc omnibus cognita, nunc obscura & difficilia.

Anastasius Abbas alter, cujus est eruditum, sed mutilum opus adversus Judæos.

Anastasius Episcopus Nicænus, cujus sunt doctæ responsiones ad Orthodoxos, si tamen ejus sunt & non alterius, ut quidam putant.

Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus, eru-

ditione & scientia scripturarum insignis, cui tamen quædam tribuuntur, quæ sunt alterius Anastasii Patriarchæ item Antiocheni recentioris.

Angeli Caninii Anglorum doctus & solite disquisitiones in novum testamentum ex Linguis Orientalibus.

Angelus del P. sz, Ordinis Minorum, vir solida & facunda doctrina, atque eximia pietatis.

Angelus Manciquez vir doctissimus & clarissimus, qui Annales Cistercienses summa cura conscripsit, sed desit illi multa rerum verum cognitio, quibus uberior eos reddere potuisset.

Angelus Minorita Musicus auctor Floris Angelici.

Angela de Fulgineo in cujus spiritualibus scriptis quædam duriora sunt, quæ ferat communis usus Scholastica Theologia.

Antigonus Carystius, quem laudant Laertius, & Athenæus, multa scripsit; nunc vero sola supersunt Collectanea historiarum mirabilium, quarum jucunda, sed sæpè fabulosa narratio est.

Antonii Magni sanctissimi Patris Monachorum Epistola Apostolici sensus, & spiritus, quas ex Arabico in Latinum idioma transtulit vir Cl. Abrahamus Ecchellenfis Maronita.

Antonius Augustinus Archiepiscopus Tarraconen. Juris Pontificii diligens & doctus Epitomaftes, & Romanarum antiquitatum peritissimus, sed in expendenda temporum ratione, & Canonum veritate non admodum accuratus.

Antonii Dauroultii Catechismus historialis, magno labore & diligentia scriptus.

Antonius Jepez Ordinis Benedictini Chronologus in multis corrigendus.

Antonius Monchiacenus Demochares Responsum Doctor Sorbonicus, cujus est doctissimum & laboriosum opus de sacrificio Missæ adversus Misoliturgos.

Antonius Patavinus sinceritate admirandus, cujus scripta cum solida doctrina junctam habent Christianam simplicitatem.

Antonius Perez, vir doctus, sed in Regula S. Benedicti explicanda parum diligens.

Antonii Ricciardi Brixiani commentaria Symbolica, quibus arcana multa explicantur.

Anselmus Cantuarien. Archiepiscopus, cujus opera doctrina & sermo plenissima sunt.

Antiochi Monachi Græci Homilia spiritualis, sive Pandectæ scripturarum stylo conciso, & eleganti.

Anthologia seu Florilegium Epigrammatum Græcorum, opus varium, in quo plura frigida, & inepta.

Annibal Rosselius Calaber, cujus est in Pimandrum Trifnegilli ingens commentarium omnem ferè Philosophiam, & Theologiam complectens.

Apollodori Grammatici Bibliotheca, sive decorum genealogia compendium continens omnium familiarum.

D d d d d 2

Apol-

Apollonii Rhodii Argonautica, opus laboriosum, in plerisque durum & ingratum.

Apuleius Medaurensis, Philosophus Platonicus, stylo tumido & inflato, magno tamen ingenio, & faceto.

Aratoris subdiaconi historia Actuum Apostolorum eleganti carmine explicata.

Apollinaris Episcopus Laodicenus, postea in haeresim lapsus, vir doctissimus & eloquentissimus, qui heroico carmine multa scripsit. Sunt qui illi Tragediam Christi patientis tribuant, sed stylus deprecior est, quam sint alia ejus Poëmata.

Aponius antiquus & Latinus scriptor, Cantica Canticorum juxta sensum allegoricum exactissime explicavit. Sed magna pars hujus operis interit.

Ardo Smaragdus Monachus Anianæ, vir doctrina & sanctitate præclarus, Auctor Commentariorum in Regulam S. Benedicti, quæ passim tribuuntur Smaragdo Abbati S. Michaelis, quæ etiam Jacobus Pamelius perperam adscripsit Rabano Mauro.

Aristeas scripsit ad Philocratem historiam LXXII. Interpretum. Sed qui nunc extat sub ejus nomine vulgaris liber suppositivus existimatur; nam Latinus multum differt à Græco, ex quo quædam Eusebius lib. 8. de Præp. Evang. Sed & Græcum à Judæo quodam Alexandrino confictum esse docet Valesius in notis ad eisdem Eusebii hist. Eccl. lib. 5. cap. 8.

Aristoxenus Tareninus discipulus Aristotelis, quem Suidas ait in omni disciplinarum genere excelluisse. Ejus Harmonica elementa primus edidit Joannes Meursius.

Arnobii Afri libri 7. contra gentes, variæ eruditionis, sed styli asperioris, consulti, & inæqualis.

Arnobii alterius junioris, qui paulo post S. Leonem vixisse creditur, brevissimi commentarii in Psalmos juxta mysticum sensum, id servantes ut Psalmi series omni ex parte sibi cohæreat, quod & jucundum, & ingeniosum est.

Arnoldus abbas Bonævallis, vir admodum pius & doctus, non Cisterciensis, ut quidam putarunt, sed Benedictinus. Hujus esse librum de operibus Christi Cardinalibus olim Cypriano tributum testatur Lucas Holstenius ex fide antiqui Codicis M. S. Nec officit conjectura Pamelii existimantis illius auctorem prope tempora S. Cypriani vixisse, quod scribat contra Novatianos, nam Arnoldus eosdem hæreticos redarguit, libro de 7. verbis Domini. Stylus quoque non est dissimilis ab aliis operibus Arnoldi. Inscriptio verò ad S. Cornelium Pseudepigrapha est.

Arnoldus Uvion Ordinis Benedictini laudator egregius, cui plura addi, multa etiam demi possent.

Aristoteles Stagiritis Summus Princeps omnium scientiarum, cujus mores Laërtius & Tertullianus, doctrinam alii carpunt, præsertim Melchior Canus in suis locis Theologicis.

Aristenæti erotica & lepidissima Epistola; sed obscœnæ, & in quibus non verba rebus, sed verbis res inserviunt.

Aristophanis Comœdiæ faceræ & elegantes, sed maledicæ. Vivebat Olymp. 85.

Artemidori Daldiani liber vanissimus, sed eruditus, de somniorum interpretatiene, inter cætera, quæ mendax Græcia finxit, numerandus. Vixit tempore Antonini Pii.

Archangeli Burgenovensis Minoritæ Cabalistarum obscuriora, & selectiora dogmata cautè legenda. Fuit hic discipulus Francisci Georgii Veneti, & tres etiam libros scripsit de excellentia nominis Jesu ex nugis Cabalistarum.

Arati melioris Poëtæ, quam Astrologi Phænonon liber unus. Vixit Olymp. 127. teste Eusebio.

Arrianus Nicomediensis Epicteti discipulus, cujus dissertationes libris octo, sermones libris duodecim scripsit, ex quibus soli quatuor supersunt: Historicus item insignis, dicitur alter Xenophon, ut testatur Suidas. Vixisse creditur circa tempora Maximini.

Aristides prænomine Ælius Adrianensis omnium Sophistarum artificiosissimus.

Alterii Episcopi Amasæe in Ponto Homiliæ dulcissimi styli, & ad effectus concitandos aptissimi.

Ascrampsychi Onirocritica, olim falso tributa Nicephoro Patriarchæ Constantinop. Ejus meminit Suidas.

Asconius Pædianus Patavinus antiquus, & doctus Grammaticus, cujus supersunt in quosdam Ciceronis orationes notæ, seu Commentarii.

Athanasius Alexandriæ Episcopus, columna Ecclesiæ, sincerus Fidei defensor.

Athanasius Kircher Fuldensis, omnium linguarum cognitione, & rotius Mathesis, præsertim Musicæ scientia singulariter excultus, qui abditam Ægyptiorum, aliorumque Orientalium Philosophiam è tenebris excitavit.

Athenagoras Atheniensis, eximius Christianæ Fidei defensor adversus Gentilium calumnias. Cum verò Athenagoræ nulla sit mentio apud Eusebium, & D. Hieronymum, dubitat Baronius in notis ad diem 18. Januarii, an opera tributa Athenagoræ sint S. Martyris Athenogenis. Sed Proclus Philosophus relatus ab Epiphano heresi 64. num. 21. citat ea sub nomine Athenagoræ, ut observat Petavius.

Athenæi undequaque doctissimi libri dipnosophiston, id est de cænis sapientum. Claruit temporibus Antonini Philosophi, & L. Veri.

Augustinus Hiponensis Præsul, Phœnix ingeniorum, omni laude superior.

Augustini Fortunii historia sacri Ordinis Camaldulensis.

Augustinus Steuchus Eugubinus, cujus libri de perenni Philosophia solidæ pietatis, ac veræ Philosopho-

Iosophiæ indices sunt, continentque medullam omnium antiquorum Philosophorum.

Aubertus Miræus vir multæ doctrinæ & eruditio- nis, & de Ecclesiasticis antiquitatibus optimè meri- tus.

Aurelius Olympius Nemesianus Poëta suavis, & venustus.

Aurelius Victor, summæ auctoritatis Historicus, qui scripra sua ex Suetonio, Eutropio, & aliis anti- quioribus contexit.

Auli Gellii, sive Agellii, ut aliis placet, No- tes Atticæ puræ latinitatibus, ac multiplicis eruditio- nis.

Aufonius Magnus Burdegalensis laudabilis Poeta, sed styli durioris. Hunc Victor Giselinus in *Scholiis ad lib. 2. Prudentii contra Simmachum* falsò iasimulat apostasie à Fide Christiana ad Ethnicismum. Con- stat autem ex Paulino Gentilem fuisse, & quæ de Christo inter eius opera sunt, ei perperam tribuun- tur.

Audoënius Rothomagen. Episcopus, vir san- ctus, & doctus Scriptor vitæ S. Eligii Noviomen- sis. Averroes Summus inter Arabes Philosophus im- placabilis Avicennæ æmulus, & Aristotelis commen- tator, à veræ sapientiæ semita sæpè aberrans.

Avicenna Arabs Medicus, & Philosophus multi nominis ad Christianam Philosophiam proximè ac- cedens. De huius patria & nomine, & qualiter se mu- tum, ac surdum simulans à celeberrimo Medico scri- pta surripuerit, quæ postea suo nomine edidit, ju- cundam historiam, nescio qua fide narrat G. Sioni- ta à Monte Libano cap. 3. suæ Arabiæ. Vixit anno Christi 990.

B

Bacchi Ifagoge artis Musicæ. Extat M. S. Romæ cum aliis antiquis Musicis in Bibliotheca Eminen- tissimi Cardinalis Barberini.

Bacchiarrii elegans & efficax Epistola ad Janua- rium de recipiendis lapsis.

Bandomia, sive Bandominia Sanctimonialis, quæ ad vitam S. Radegundis Reginæ librum addi- dit, quo complectitur prætermissa à Fortunato.

Bartholomæus Gavantus sacrorum Rituum co- gnitione celebris.

Bartholomæi Cassanæi multæ lectionis viri Cata- logus gloriæ mundi.

Baptista Platina vir doctus, sed in vitis Pontifi- cum parum verax.

Baptista Vernacia Sanctimonialis magni spiritus, & à Deo edocta.

Basilii Magnus facundia & scientia maximus.

Basilii Seleuciæ Episcopus perspicacis ingenii, & ornate dictionis Orator, quem notat Photius ni- sium tropis abundare.

Basilii alterius Junioris Monachi Asceticæ vitæ de- scriptio edita à Jacobo Pontano.

Basilii Imperatoris ad Leonem P. Capita exhor- tatoria Christiana pietate plena.

Barnabas Brilloniensis I. C. & Criticus iudicio, & eruditione insignis.

Beda Ven. Monachus omni disciplinarum genere excellens.

Benedicti Monachorum Patris Regula sermone luculenta, discretione præcipua.

Benedictus Pererius Sacrorum librorum accuratus Interpres.

Bernardus Abbas Clarevallis Doctor mellifluus, & Theodidactus, spiritualis doctrinæ Thesaurus.

Bernardus Abbas Fontis Calidi adversus Valden- ses.

Bernardus Bauhusius, qui pia & acuta scripsit Epi- grammata.

Berno Augiæ Abbas, mysteriorum Missæ explana- tor. Scribit ipsemet lib. 2. de Officio Missæ se inter- fuisse coronationi Henrici II. Imp. anno 1014. ex quo patet quo tempore vixerit, contra quam alii pu- tarunt, qui annis ducentis antiquiorem faciunt.

Berengosius Abbas, vir multæ & facundæ scientiæ.

Bernardini Sacri Ticinensis Historia varia, curio- sa, & multa continens scitu digna.

Berosus Chaldaus ab Annio Viterbiensi confectus.

Bessarion Cardinalis acerrimus, Platonis defensor.

Bionis Smyrnæi Idyllia, & carmina varia.

Bonaventura, vita & doctrina Seraphicus.

Boëtius Severinus Philosophus, Mathematicus Theologus, Rhetor item, ac Poeta acutus, locuples, & sublimis: multum licet repugnante Laurentio Val- la, qui docet eum latinè loqui.

Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus, & Mar- tyr, vir Apostolici spiritus.

Bonifacii Simonetæ Abbatis Cisterciensis opus eximium de Christianis persecutionibus, quod novò invento in sex libros Epistolarum divisit. Vir fuit multæ lectionis. Vixit anno 1490.

Breviaria diversorum Ordinum, & Ecclesiarum. Brigittæ sanctissimæ feminae Revelationes, ma- turo Theologorum iudicio approbatæ.

Bruno Astensis, Abbas Montis Cassini, & Epi- scopus Signiensis, sanctitate & doctrina insignis, cu- jus opera nuper edita sunt Venetiis.

Brunonis Cartusianorum Fundatoris commenta- ria pia, & docta in scripturam.

Brunonis Herbipolen. Episcopi, patruelis Conradî II. Imperatoris Commentaria item in scripturam.

Burchardus, sive Brochardus Episcopus Vormar- cien. sacrorum Canonum collector.

C.

Callistratus Græci expositio staruarum; quem solum librum habemus ex multis, quos hujus nominis varii Scriptores ediderunt.

Callimachus Cyrenæus Hymnographus, & apud Græcos Elegiæ Princeps. Carmen ejus de coma Berenicis Latine reddidit Catullus. Ex eo colligimus eum vixisse usque ad Ptolomæum Evergetem.

Calpurnius Flaccus declamator disertissimus.

Calpurnius Siculus Poeta, generosæ venæ bucolicus, tempore Carî Imperatoris.

Carolus Sigonius Mutinensis, vir multæ & excellentis doctrinæ, atque prudentiæ.

Cassiodorus Senator, & Regi Theodorico ab Epistolis, postea Monachus, vir gravis & solide doctus, cujus sacræ & profanæ lucubrationes plenæ sunt jucunditatis & gratiæ.

Catharina Bononiensis mysticæ Theologiæ alumna præclarissima.

Catharina Senensis, cujus Dialogi, & Epistolæ mirabilem sapientiam pro vitæ institutione continent.

Cajus Jul. Cæsar in Commentariis purus, tersus, sine fuce, quem Quatilianus eodem animo scripsisse ait, quo pugnavit.

Cæsarii Arelatensis Homiliæ suaves & devotæ.

Cæsarius scriptor Dialogorum de fide Catholica, frater Gregorii Nazianzeni, ut ait Photius, & alii post eum; tametsi id neget Jacobus Basilius, *in orat. 10. Nazianz.*

Cæsarius Heisterbacensis Ordinis Cisterciensis, in Historiis memorabilibus pius, verax, & simplex.

Cæsaris Baronii Cardinalis Annales Ecclesiastici, opus ingens, & Ecclesiæ necessarium.

Cebensis Thebanj discipuli Soeraris Tabula, qua vitæ humanæ rectè instituendæ præcepta continentur.

Censorinus luculentus & curiosus auctor, cujus libellum de die natali laudant Sidonius Apollinaris, & Aurelius Cassiodorus.

Chalcidii in Timæum Platonis argutissima Commentaria, nisi quod dimidiam tantum partem explanat. Christianus fuit & Diaconus Ecclesiæ Carthaginensis, & hæc Commentaria Osio Cordubensi dedicavit. Extat ad hunc Chalcidii Fulgentii Placidii liber de prisco sermone. Cæsar Vaninus in suo divinæ Providentiæ Amphitheatro Chalcidii perperam vocat, & circumforaneum blateronem admodum indigne.

Christianus Druthmarus Monachus Corbejenis trium Linguarum peritus, Evangelii secundum Matthæum doctus Commentator, sed incultæ dictionis.

Christophorus Clavius Bambergensis, recentiorum Mathematicorum Princeps.

Christophorus Marcellus Venerus, scripsit de Anima universalis traditionis spissum volumen, quo tractatus absolutissimus continetur de Anima vegetativa, sensitiva, & rationali ad mentem Aristotelis & Platonis, stylo tamen confuso & obscuro.

Christophorus Varsenicus, Canonicus Cracoviensis, vir nobilitate, doctrina, rebusque gestis pro Catholica fide eximius.

Chromasius Aquilejensis Episcopus SS. Hieronymi & Ambrosii testimonio celebris.

Chrysippus Presbyter Hierosolymitanus, cujus extat elegans sermo de B. Virgine.

Chrysostomus Henriquez, diligens Compiler Menologi Cisterciensis, in quo tamen quedam sunt sphalmata circa Historiam, & Chronoraxim.

Claudius Latinorum Poëtarum gloriosissimus, & si Græcis comparetur soli Homero secundus. Non tamen Christianus fuit, ut quidam putant; nam Augustinus, *lib. 5 de Civit. c. 26.* dicit eum à Christi nomine alienum fuisse: & Paulus Orosius, *lib. 7. Histor. c. 35.* eundem vocat eximium Poëtam, sed paganum pervicacissimum. Versus autem de Christo, qui ei tribuuntur, sunt Claudiani Mametri Videntis Presbyteri, sive Damasi Papæ, ut aliis placet.

Claudii Marci Victoris Massiliensis, Commentariorum in Genesim libri tres versu heroico elegantissimi. Fuisse autem secularis literaturæ quam sacrarum literarum peritiorem, judicium est Gennadii Massiliensis.

Claudius Espenceus insignis Theologus Parisiensis, sed in quibusdam caute legendus.

Claudius salmasius Ecclesiæ Romanæ hostis, vir loquax, & veterum Auctorum Compiler.

Claudius Minoes vir multæ lectionis & eruditionis.

Claudius Scissellus ex Episcopo Massiliensi Taurinensis Archiepiscopus, scientia, eloquentia, & pietate insignis.

Clemens Alexandrinus penu scientiæ, priscorumque sapientum medullam continens.

Clemens Romanus Martyr, in cujus operibus utilia multa sunt, multa item apocrypha, & quæ tanto viro perperam adscripta consentunt.

Clemens Galanus Clericus Regularis, vir de Armena Ecclesia optime meritus, qui de ejus cum Romana conciliatione luculentum opus edidit Latino, & Armeno idiomate.

Cledonius Romanus Senator, cujus est expositio in Donati Grammaticam.

Constantius Presbyter de vita Sancti Germani.

Constantinus Cajetanus Abbas, vir eruditus, sed cum voluerit mimicitis clarescere, multorum in se odia concitavit.

Con.

Constantino Imperatori cognomento Pogognato tributa Geoponica, sive de re rustica liber, quem collegit ex varijs Auctoribus Dionysius Uticensis, vel secundum alios Cassianus Bassus, ut ait Vossius, *cap. postremo libri primi de Historicis Graecis.*

Constantinus Harmenopolus dignitate, & literatura illustris.

Consalvus Durantus Episcopus, qui revelationes S. Brigittae notis illustravit.

Columbanus Abbas, notae sapientiae & sanctitatis magister.

Cornelius Gallus Foro-Julien-sis, mellitissimus Poeta. Sed Maximiani esse quae vulgo ei tribuuntur, nihilque Galli ad nos pervenisse Critici accuratiores sentiunt.

Cornelius Tacitus, vir liberi iudicii & styli, prudens & acutus; sed impius quandoque, & detestandus.

Cornelius Celsus Medicus; at in illo styli facilitas, brevitatis, numerus, non Medicina spectanda est. Vixit sub Tiberio.

Cornelius Jansenius, senior sacrarum Litterarum accuratus Interpres.

Cornelius à Lapide pius item & doctus Scripturarum explanator.

Columbus Thebanus Lycopolita, Poeta praeclarus de raptu Helenae. Claruit tempore Anastasii Imp.

Columella utilis, eloquens, & politus Auctor, qui de re rustica minime rustice scripsit tempore Claudii Imperatoris.

Covippus Africanus Grammaticus, & Poeta sub Iuliano juniore Augusto, cuius laudes cecinit carmine heroico.

Cosma Hierosolymitani Hymni sacri & elegantes. Fuit Episcopus in urbe Majuma Constantino Copronymo imperante.

Concilia generalia, & Provincialia.

Curius Fortunatianus, cuius sunt libri tres Rhetoricae Scholicae, quibus hanc artem optime expressit.

Cydonii oratio de contemnenda morte. Est autem hic Demetrius ille Cydonius Thessalonicensis, vir multae doctrinae & pietatis qui multa opera D. Thomae Aquinatis in Graecum transtulit, & adversus Schisma Graecorum plura scripsit.

Cyprianus Martyr floridus, suavis, doctus, & efficax ad persuadendum. Tertullianum in quibusdam opusculis imitatus est, sed stylo clariori, & elegantiori.

Cyrellus Alexandrinus pietate, eloquentia, & acumine insignis.

Cyrellus Hierosolymitanus, cuius Catecheses Apostolicam redolentem sermone.

D.

Dacius Episcopo Mediolanensi falso adscriptum Chronicon ut censent viri docti.

David à Mauden, rerum moralium peritissimus.

David Origanus, cuius Astronomicae Ephemerides valde eruditae sunt, in nonnullis tamen locis expurgandae.

Demetrio Phaleræo tributus liber de elocutione Rhetoricae necessarius, qui esse creditur alterius Demetrii Rhetorici Alexandrini, ut docet Vossius, *lib. 6. institutionum oratoriarum. c. 2. sect. 2.*

Diadochi Photicensis Episcopi capita centum de perfectione docta & sublimia.

Dio Cocceus, Romanae Historiae scriptor elegantis: sed qui morum, vel iudicii pravitate insignes viros infectatur Ciceronem, Senecam, & alios. Grandi sermone & tumido utitur, ut notat Phorius.

Dio Prusæus ob auream facundiam dictus Chrysostomus, orator Clarissimus, vehementia, ubertate, & varietate præstans.

Diodorus Siculus, Historicus celeberrimus, quem Plinius ait primum è Graecis esse, qui desierit nugari. Veræ tamen Historiae fabularem initio admiscuit, & ex quadraginta libris, quos scripsit, quindecim soli supersunt. Vixit sub Augusto.

Diogenes Laërtius sedulus indagator antiquitatis, ex cuius libro de vitis Philosophorum multum proficere possunt studiosi. Sunt qui dicant eum plus studii in legendo, quam diligentiae in scribendo adhibuisse. Floruit circa tempora Antonii Pii.

Diomedes Grammaticus multae peritiae in arte sua.

Dionysius Areopagita, dictus Theosophus, ut ait Hilduinus in Areopagiticis, vertex Theologorum.

Dionysius Carthusianus, doctor extaticus, pius, sapiens, & numero operum quae scripsit, vix ulli post Augustinum postponendus.

Dionysius Halycarnasæus studiosissimus antiquitatis, utilis, & veracissimus Historicus, nobilis item Rhetor, & subtilis Criticus. Vixit sub Augusto; Librosque xx. scripsit, sed xi. soli supersunt.

Dionysius Alexandrinus sanctitate & doctrina eximius, cuius sæpe cum laude Veteres Patres mentionem faciunt Hieronymus, Athanasius, itemque Eusebius, & alii.

Dionysius Longinus Cassius mordax Criticus, & Rhetor præstantissimus, atque egregius Philosophus, Magister Porphyrii, quem Ennapius in vita Porphyrii, & ipse Porphyrius in vita Plotini valde commendant.

Dionysius Petavius luculentus, & doctissimus Scriptor, humana & divina literatura insignis.

Dionysii Thracis Terei Alexandrini discipuli Aristarchi docti, & antiqui Grammatici diæreses. Hunc laudant Clemens Alex. lib. 5. Strom. Plutarchus in vita Homeri, Suidas, Sextus Empyricus lib. 1. adv. Mathem. c. 3. & alii. Pleraque ejus opera extant M. S. in Bibliotheca Vaticana.

Dio-

Diophantus Alexandrinus insignis Arithmeticus, & præcipuus Algebrae Scriptor, ejusque inventor. Vixit sub Antonino, eique rectius Algebrae inventio tribuitur, quam Gebro Arabi, ut quidam putant.

Dioscorides Anazarbenfis, Medicus celeberrimus, quem secuti sunt, & transcripserunt ferè omnes, qui de simplicibus medicamentis tractant.

Dorothei Archimandritæ doctrinæ, sive sermones Monasticæ disciplinæ praxim edocentes.

Dorotheus Tyrius creditus auctor Synopsi de vita, & morte Prophetarum, quo in libro multa sunt tanto viro indigna. Sunt qui putant esse cujusdam Dorothei Abbaris Romani.

Dracontius Poeta Christianus non ignobilis de opere sex dierum.

Drogo Monachus, & Episcopus Ostiensis, pius, dulcis, & facundus.

Dungalus Monachus adversus Claudium Taurinen. Episcopum Iconoclastam.

E.

Erardi Betuniensis liber Antihæreseos, quo Valdensium sectam egregiè, & diffusè confutat.

Echberti Monachi in Sconaugia sermones adversus Catharos: iremque deprecatio ad Beatam Virginem inter opera D. Bernardi.

Eclesiæ Lugdunensis liber de tribus Epistolis, quo quemdam Monachum subtilissimè defendit, Gotteschalcum scilicet hæreticum, cujus historiam Lud. Gellorius scripsit, ubi multa de hoc libro, ejusque Auctore.

Edmundus ex monacho Cisterciën. Archiepiscopus Cantuarien. vir magnæ sanctitatis, sed simplicissimi eloquii.

Eginhardus Caroli Magni Imper. gener, deinde Monachus, & vitæ ejus Scriptor elegans, & fidelis.

Elisabeth de Sconaugia libri tres Revelationum, in quibus quædam sunt æquiori trutina examinanda.

Elias Cretensis Nazianzeni Scholiastes.

Eliæ Monachi Græci Florilegium spirituale.

Eligii Noviomensis Episcopi utiles ad populum, & ad clericum Homiliæ.

Emmanuel Bryennius Musicus Græcus peritissimus, in quo multa sunt, quæ item reperiuntur in Musica Euclidis, & Aristidis Quintiliani. Sed cum hujus ætatem ignorem, nescio quis plagium fecerit.

Emmanuel Malaxus Pelloppennensis auctor Turco-Græciæ, quam Martinus Crusius Græcè & Latine edidit.

Ennius primus inter Latinos Epicus Poëta, ingenio maximus, arte rudis, ut ait Ovidius.

Epiphanius Episcopus universæ antiquitatis Ecclesiasticæ promptuarium, sed qui in sermone Atticæ elegantia nitorem neglexit.

Epiphanius Constantinopolitani Epistola ad Hormisdam.

Ephraem Syri Diaconi opera spiritualem doctrinam, & cœlestem pietatem redolentia.

Epictetus Stoicus veræ Philosophiæ incomparabilis Magister, quem S. Franciscus de Sales Episcopus Gebennen. lib. 2. de Amore Dei cap. 18. probabile existimat ad fidem conversum in fine. Expurgandus autem est ab erroribus Stoicisimi.

Eradus Presbyter, cujus sunt quidam sermones inter opera D. Augustini.

Ericius Puteanus vir admodum doctus, & eruditus.

Ermengardus contra Valdensium Sectam.

Esaïas Abbas Monasticarum virtutum optimus præceptor.

Etherius Episcopus Uxamensis adversus Elipandam Episcopum Toletanum.

Evagrius Ponticus, qui opuscula quædam Ascetica, & vitas quorundam Patrum scripsit: sed hic Pelagianæ hæresis semina jecit.

Evagrius Scholasticus Ecclesiasticæ Historiæ Scriptor, res potius profanas, quam sacras pertractans.

Euclides antiquus celeberrimus, & incomparabilis Mathematicus, quem Platoni cœvum plerique faciunt, sed integro ferè sæculo posteriore ostendit Vossius de scientiis Mathematicis cap. 15.

Eucherius Lugdunensis Episcopus, quem Senecam Christianum vocant, scripsit multa: sed Commentaria in Genesim, & in libros Regum ei falsò tributa videntur, quia in his Gregorium Magnum citat, qui centum, & amplius annis post eum vixit.

Eudoxi optimi Astrologi Phænomena. Platoni æqualis fuit, ejusque vitam scripsit Laertius.

Eugippus Abbas Scriptor vitæ S. Severini Noricorum Apostoli.

Eulogii Cordubensis martyrio, & scriptis eximii Memoriale Sanctorum.

Eumenii Rhetoris elegantissima oratio pro Scholis instaurandis.

Eunapii Sardiani opus elegans, & venustum de vitis Philosophorum, & Sophistarum, in quo passim ostendit, quam fuerit Christianis insensus.

Euripides Summus Tragicorum, quem Scenicum Philosophum vocant Sextus Empyricus, & Clemens Alexandrinus.

Eusebio Emiseno falsò tributa Homiliæ, quarum pleræque sunt Eucherii Lugdunensis, aliæ etiam Faustii Regiensis, aliæ Casarii Arelatenfis. Porro Eusebium patria Phœnicem, Emesæ urbis ad Libanum Episcopum, Arianum fuisse testatur Theodoretus Dialogo 3. adv. Hæreticos, qui impatienter inscribitur.

Eusebius Pamphili Episcopus Casariensis omnium antiquorum Philosophorum doctrinis excultus, atque

que insignis Historicus, & laude dignus; si Ariana hæresi non fuisset infectus.

Eusthatii Martyris Episcopi Antiocheni egregia Commentaria in Exameron.

Eusthatius Archiepiscopus Thessalonicensis Homeri Interpres doctissimus, acutissimus, religiosissimus.

Eutropius Historicus nec diligens, nec elegans, quem purarunt nonnulli fuisse Christianum, & discipulum S. Augustini; sed repugnant tempora, nam hic sub Juliano Apostata in Perside militavit, ut observat Vossius lib. 2. de *Histor. Latinis*.

Euthymius Zigabonus, cujus sunt elegantes, eruditi, & pressi Commentarii in scripturam. Scripsit etiam Panopliam adversus Hæreses jussu Alexii Comneni Imperatoris. Sed ex ejus tractatu contra Latinos, cujus meminit Leo Allatius lib. 2. de consensu Ecclesiæ Occid. & Orient. cap. 10. n. 5. constat eum schismaticum fuisse.

Eutichianus de peccatis in Theophili, qui Deum, & B. Virginem scripto negaverat, apud *Sirium die 4. Februarii*.

Exordium Ordinis Cisterciensis, incerti Auctoris.

F.

FAcundus Episcopus Hermaniensis in Africa, vir sui nominis, cujus libri pro defensione trium Capitulorum Concilii Calcedonensis, licet malæ favcant causæ, plura tamen bona continent et lectu digna.

Fabii Paulini Urinensis libri vii. de septenario recondita Philosophia, & omni eruditione referti.

Faustus Episcopus Regiensis in Gallia, quem Regiensis Ecclesia ut Sanctum colit *die 16. Januarii*, sed ejus doctrina damnata est, nam & Semipelagianorum antesignanus fuit, & nihil præter Deum esse incorporeum asseruit *Epist. 6. Cap. 17.* satis prolixa, & infusa disputatione. Confutat hunc errorem in libris de statu animæ Mamertus Claudianus.

Felix Ennodius Ticinensis sententiis abundans, eloquio intricatus.

Festus Pompejus Grammaticus eruditissimus, quo utiliore lingua Latina non habet.

Ferrandus Diaconus Carthaginensis, vir excellentis doctrinæ, quem auctiorem edidit, & noris illustravit Franciscus Chiffletius de Soc. Jesu.

Flavius Vopiscus diligens, sed tenuis Historicus.

Flori cognomento Magistri Ord. S. Benedicti expositione Missæ. An hic Florus sit ille Lugdunen. Ecclesiæ Diaconus, cujus celebris memoria est apud Sirmundum in notis ad Avitum pag. 60. apud Petavium to. 1. Theol. lib. 9. cap. ult. & apud Celsorium sæpè in Hist. Gothefcalei, viderint Critici accuratiores.

Franchinus Gafforius Laudensis Musicus excellens, & eruditus.

Franco Abbas Affligeniensis, cujus est luculentum opus de Gratia Dei.

Francisci Alvarez Æthiopica legatio multa continens curiosa.

Franciscus Georgius Venetus ingeniosus auctor, sed Cabalisticis nimium addictus.

Francisci Luilini Utinensis critici exquisiti Paregon libri tres.

Francisci Perucii Pompe funebres Italicè descriptæ.

Franciscus Petrarcha, Poëta, Orator, & Philosophus multi nominis, qui, ut ait Jovius, sepultas literas è Gothicis tumulis exciravit.

Franciscus Ribera in sacris literis explanandis disertissimus.

Franciscus Sachinus Societatis Jesu, post Nicolaum Orlandinum Historiographus accuratissimus.

Franciscus Suarez primæ notæ Theologus.

Franciscus Salesius Episcopus Gebennæ. cœlesti Sapientia, & Apostolico spiritu plenus.

Franciscus Turianus rerum Ecclesiasticarum peritissimus.

Freculfus Monachus, deinde Episcopus Lexoviensis, celebris Historicus.

Frontinus prænominatus Sext. Julius, cujus est præclarum opus stratagematicon.

Fulbertus Carnotensis, scientia, sanctitate & zelo Ecclesiasticæ disciplinæ insignis.

Fulgentius Ruspensis Episcopus stylo clarus, doctrina profundus.

Fulgentii Planciadis Grammatici Mythologiarum libri tres, utiles quidem, sed dictionis admodum tumidæ, & verbis abstrusis, atque poëticis abundantes. Hoc opus editum olim fuit sub nomine Fulgentii Episcopi Carthaginensis. Bollandus *die 14. Januarii* censet esse S. Fulgentii Episcopi Astigitani in Hispania, Fratris SS. Leandri, & Isidori, qui primò fuit Episcopus Carthagenæ, unde fortassis factum est, ut Fulgentio Carthaginen. tribueretur. Sed hæc est conjectura Bivarii in Comment. ad Chronicon supposititium M. Maximi, nam Auctor Mythologiarum est procul dubio Fulgentius Planciades Grammaticus Africanus.

G.

GAbrias Scriptor fabularum, quæ in antiquis Codicibus nomen præferunt Ignatii Diaconi. Hunc non Gabriam, sed Babriam vocat Suidas.

Gabriel Albaspinæus Episcopus Aurelianensis rerum Ecclesiasticarum scientia omni ex parte ornatus.

Gabrielis Biel literalis, & mystica Canonis

Ecclesie

Mistæ

Miffæ explicatio, quam tamen ipse in fine operis ingenuè fateitur se collegiffe ex Magiftri Eggingi de Brunfvick leçtura, paucis additis & immutatis.

Gabrielis Palæoti Cardinalis laudatiffimus liber de facris, & profanis Imaginibus.

Galenus Pergamenus Medicus, & Philofophus magni nominis, in cujus fcriptis intempettivas digreffiones, & longas periodos damnat Photius. Erravit etiam in natura animæ rationalis explicanda. Nemo tamen plura fcriptis ac majori doctrina; quare Antiqui eum æquare Aristoteli, & ipsi etiam Platoni non dubitarunt, ut indicant Alex. Aphrodisien. in lib. 8. Topic. non procul à principio, & Eusebius circa finem lib. 5. Ecclef. Hiftoriæ. Vixit sub Antonino Philofpho, & Commodo Filio.

Gafpar Barthius Criticus, & Philologus multa eruditionis.

Gaudentius Epifcopus Brixienfis, pietate & fapientia illuftris.

Gemini Rhodii, qui vivebat Ciceronis ætate, elementa Aftronomica.

Gilbertus Genebrardus Archiepifcopus Aquenfis facrarum literarum & linguarum peritua eminentiffimus. Fuit Monachus S. Benediçti, cumque Archiepifcopatum à Gregorio XIII. adeptus efferet eorum interceffione; qui à Rege defeciverant, eo poftea rerum potito, habita dignitate frui non potuit.

Gennadius Maffilienfis, cujus est opus de Ecclefiafticis dogmatibus tributum Auguftino.

Gennadius Scholarius Patriarcha Constantino-polit. lingua nitidus, & ingenio acer, qui fcripfit adverfus Græcos pro Synodo Florentina. Alius fuit eodem tempore Gennadius Scholarius Monachus ejufdem Synodi perpetuus hoftis.

Georgius Buchananus Scotus nobilis Poëta, fed infamis Apoftata, & hæreticus impiiffimus.

Georgius Cedrenus Monachus Græcus, in cujus Hiftoria fi quid boni reperitur, ab aliis compilatum est.

Georgius Codinus Curopalates Scriptor exactiffimus de officiis Ecclefie, & aulæ Constantinopolitanae.

Georgii Nicomediensis Metropolitæ orationes, in quibus fumma pietas, & eloquentia nitet.

Georgius Pifides Diaconus, & Cartophylax Ecclefie Constantinopolitanae, haud ignobilis Poëta.

Gerardus Bolga Monachus Benediçtinus, cujus devotiffima & ferventiffima opuscula edidit vir doctiffimus ejufdem Ordinis Profeflor Gabriel Bucelinus.

Germani Patriarchæ Constantinopolitani Theoria rerum Ecclefiafticarum, & fermones elegantiffimi. Cum verò plures ejus nominis ejufdem Sedis Epifcopi fuerint, incertum est an uni, & cui tribuenda fint hæc fcripta.

Gertrudæ fanctiffimæ Abbatiæ vita, five infinuaciones Divinæ pietatis.

Gilbertus Abbas Suuinshetensis in Anglia Ordinis Ciftercien. poft D. Bernardum, eodem fere fpiritu Canticorum explanator.

Girardi Rufi Commentaria in Arithmetica Boëthii Pythagoricis, & Platonice fubtilitaribus illuftria, fed cautè legenda: Auctor enim, cum effer Epifcopus Oleronenfis in Bearnia, hærefim in ea Provincia propagavit.

Gofridus Abbas Vindocinenfis, & Cardinalis, vir florentiffimæ pietatis, & doctrine: Ex cujus Epiftolis ea expungenda, quæ est ad Robertum de Arbriffelo in fancti viri dedecus conficta à Roscelino damnato in Concilio Sueffionenfi anno 1140.

Gorgia Leontini Rhetoris omnifcii, fed numerorum nimium ftudiofi, oratio de Laudibus Helenæ.

Gregorius Nazianzenus dictus Theologus, humana, & divina fapientia thefaurus.

Gregorius Neocæfarienfis dictus Thaumaturgus, fcriptis & miraculis admirandus.

Gregorius Nyffenus vir eloquentiffimus, & omni doctrina referens, frater Bafilii Magni.

Gregorius Magnus Papa morum instructor præcipuus, & omnium virtutum Magifter.

Gregorius Turonenfis fidelis Hiftoricus fed fimplicioris eloquii.

Gregentii Archiepifcopi Tephrenfis in Regno Homeritarum, qui olim Sabæi, difputatio doctiffima adverfus Hebræos.

Guerricus Abbas Igniacenfis Ordinis Ciftercien. fuavis, pius, & abundans cœlefti doctrina.

Guido Aretinus Monachus Ecclefiafticæ muficæ decus, & facilioris methodi canendi inventor.

Guigo majoris Carthufiæ Prior, vir probatiffimæ vitæ, & fcientiæ, cujus est tractatus Auguftino, & Bernardo tributus fub titulo Scalæ Paradifi, five de modo orandi.

Guilbertus Tornacenfis, doctus & pius Theologus Ordin. Minorum.

Gulielmus Abbas S. Theodorici Auctor Tractatum ad fratres de Monte Dei, & de amore Dei inter opera D. Bernardi.

Gulielmus Baldefanus Theologus Taurinen. fcripfit Hiftoriam Ecclefie Occidentalis, quæ extat M. S. in Bibliotheca Sereniffimi Sabaudia Ducis.

Gulielmus Budeus Græca, & Latina eruditione, legumque fcientia instructiffimus, qui tamen lectori fapè moleftus est variis & perpetuis digreffionibus.

Gulielmi Canteci viri multarum literarum, ac fummi judicii novæ Lectiones.

Gulielmus Durandus dictus Speculator, præter fpeculum juris fcripfit Rationale divinarum Officiorum

ciorum omnibus Ecclesiasticis necessarium.

Guilielmus Eisengrenius, qui adversus Hæreticos voce & scriptis strenuè decertavit.

Guilielmus Parisiensis Episcopus, patria Arvernus, in Scripturis divinis, & doctrina morali copiosè eruditus.

Guilielmus Postellus Auctor damnatus, nugator supersticiosissimus, qui capacissimum ingenium, variaque doctrina instructum nugis suis, ac somniis multum scedavit. Nicol. Orlandinus initio libri quinti *Histor. Soc. Jesu à Tyrocinio Societatis à S. Ignatio amandatum* scribit, quod spiritui erroris inflatum deprehendisset. Catholicus tamen Parisiis ætate decrepita obiisse dicitur.

H.

Hartmannus Monachus Poëta pius, & simplex. Haymo Monachus, & postea Episcopus Halberstaten. in explicandis scripturis facilis, & accuratus.

Hebediesus Metropolitæ Sobensis, cujus tractatum de Scriporibus Chaldaeis edidit Abraham Echellensis, & notis eruditissimis illustravit.

Henricus de Knyghron Canonicus Leycestrensis de eventibus Angliæ, inter x. Rer. Anglicarum Scriptores editos à Seldeno.

Henricus Cardinalis Ostien. Juris Pontificii consultissimus. Primus omnium summam scripsisse creditur multa eruditione Canonica plenam.

Henrici Glareani Helvetii Musici eruditissimi Decachordon.

Henricus Harpius mysticæ Theologiæ Magister doctus, methodicus, singularis.

Henricus Spondanus Episcopus Appamiarum Baronii Epitomastes, & continuator, qui etiam librum de sacris Cœmeteriis edidit omnigena eruditione refertum.

Henricus Auctor mysticæ Theologiæ, quæ incipit *Via Sion lugens*, & D. Bonaventuræ tribuitur. A quibusdam de Palma, ab aliis de Balma cognominatur. Fuit Confessarius B. Coletæ, & vir magnæ perfectionis, teste Wadingo *Annalium* to. 4. an. 1380. num. 25.

Heliiodori patria Phœnicis, Tricæ in Thessalia Episcopi Historia Æthiopica suavissima, castissima, & sine exemplo artificiosa. Hunc tanquam Principem sequuti sunt, qui fictas Historias ediderunt, sed ut ejus artificium non sunt assequuti; ita nec modestiam sequuti sunt, non sine morum, & honestatis irreparabili detrimento.

Heracidis (non Pontici, qui fuit discipulus Aristotelis, sed alterius Recentioris, citantur enim in hoc libro posterioris ævi Auctores) doctissimæ Allegoriæ in Homerum.

Hermannus Contractus ex illustri Veringensium Comitum sanguine, pietate, & scientia illustrissimus; sed Chronicon ejus penè ad verbum ex Beda exscriptum est.

Hermetis Pastor, liber ab antiquis Patribus laudatus, & à S. Irenæo nomine scripturæ citatus, quamvis nunquam in Canone fuerit. Qui verò nunc extat, corruptus ab Hæreticis censetur, & tanquam Apocryphus rejicitur.

Herodianus Historicus elegans, perspicuus, copiosus, veritati ubique studens, nisi in Alexandro, & Maximino, ut Angelus Politianus, & veteres etiam Scriptores observarunt.

Herodotus Pater Historiæ, dulcis, candidus, fusus, sed quandoque fabulosus. Athenæus vocat eum maximè admirandum, & mellissimum. Hic est antiquissimus Historicorum, quos habemus, nam quæ circumferuntur Historiæ de bello Trojano, sub nomine Daretis Phrygii, & Dyctis Cretensis, fictitiæ sunt, & antiquis illis falsò attributæ.

Heribertus Rosevidus, cujus multa eruditio, & vividum ingenium tum in aliis libris elucet, tum præcipuè in vitis Patrum, quas collegit, & illustravit.

Hervæus Dolensis in Biturigibus Monachus, qui vixit circa annum 1130. Auctor Commentariorum in Paulum, quæ S. Anselmo Cantuarien. tribuuntur. Hujus vita describitur Tomo 2. Spicilegii veterum Scriporum, quos in lucem profert V. Cl. Lucas Dacherius Benedictinus, Epist. 58. Bellarminus & alii hæc Commentaria falsò adscribunt Hervæo Natali Magistro Generali Ordinis Prædicatorum, sed errorem detexit vero Auctore invento Philippus Labbe vir eruditissimus, & de libris ac literis optimè meritis.

Hesiodus Poeta perelegantis ingenii, & mollissima dulcedine carminum memorabilis. Quidam Homero juniorem, alii antiquiorem faciunt, sed plurius opinio est æqualem fuisse.

Hesychii Presbyteri Centuriæ de temperantia & virtute, stylo non admodum clari.

Hesychii (alteriusve an ejusdem nescio) Presbyteri Hierosolymitani, quem Isychium vocant Commentaria in Leviticum. Hic ejus Ecclesiæ Presbyter, non autem Patriarcha fuit, ut constat ex Photio, & ex Rabano *Proemio in Leviticum*, quibus consentiunt antiquæ inscriptiones in Codicibus M. SS. Addit in hanc rem alias conjecturas, Joan. Bollandus in *cap. 6. vitæ Euthymii Abbatis die 20. Januarii*.

Hieremiæ Drexellii varia opuscula spiritualia lectu dignissima.

Hieroclis Philosophi in aurea Pythagoræ carmina valde utiles ad benè vivendum Commentarii.

Hieronymus Stridonensis vir omnium virtutum, divina, & humana eruditione orbi notissimus.

Hieronymus Cardanus vir doctus, & magni ingenii, sed impius, ut constat ex ejus libris, præsertim ex eo, quem scripsit de utilitate capienda ex adversis, in quo sceleratos suos mores graphicè expressit.

Hieronymus Emsler Suevus vir doctus, & Fidei Catholicæ tenacissimus, qui adversus Lutherum strenuè decertavit. Sed in vita S. Bennonis, quam scripsit, vellem eum abstinuisse ab ethnica locutione, nam B. Virginem magnam Deam, sanctos Deos, Clericorum collegium psallentium Sectam vocat, & alias hujusmodi phrasas habet viro Catholico profus indignas.

Hieronymi Magii solertissimi Critici Miscellanea. Fuit hic capta Cypro in Asiam abductus, & quod mirum est, servus hominis Turcæ libros composuit.

Hieronymi Mercurialis variae lectiones, atque eruditum opus de re gymnastica.

Hieronymus Platus, cujus libri de bono status Religiosi singularem ejus doctrinam, & styli elegantiam valdè commendant.

Hieronymus Oforius vir eloquio suavis, ingenio, doctrina, & pietate præstantissimus.

Hieronymi Rubei Scriptoris diligentissimi Historiæ Ravennates.

Hilarius Pictaviensis Episcopus doctrina, & stylo gravissimus, sed difficilis, & obscurus.

Hilarius Diaconus, cujus sunt Commentaria in Paulum, quæ Ambrosio tribuuntur. Hujus meminit Augustinus lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. citatque locum ex his Comment. in cap. 5. ad Romanos. Hieronymus autem in Dialogo adversus Luciferianos vocat eum Orbis Deucalionem ob inductum anabaptismum.

Hildegardis celeberrimæ Sanctimonialis opera varia, divino spiritu exarata.

Hildebertus Cenomanen. Episcopus postea Archiep. Turonen. cujus Epistolæ dulcissimæ, & venustissimæ sunt.

Hildefonsus Archiepiscopus Toletanus B. Virginis laudator devotissimus, ac ejus intemeratæ Virginitatis defensor eximius.

Hildinus Abbas S. Dionysii Parisiens. qui Historiam Areopagiticam, seu vitam S. Dionysii scripsit petente Ludovico Imp.

Hincmarus Remensis Episcopus doctus, sed dubiæ famæ, dubio vitiorum, ac virtutum temperamento.

Hipparchi Bithyni veteris Astronomi, quem Plinius lib. 2. c. 26. nunquam satis laudatum dicit, expositio in Arati Phænomena.

Hippocrates Cous Summus Philosophus, &

totius Medicinæ parens. Natus est anno r. Olymp. 80.

Horatius Venusinus Lyricorum Phoenix, satyricus mordacissimus.

Honorii Augustodunensis Gemma animæ, sive explicatio divinatorum officiorum.

Homerus Fons ingeniorum, Princeps Poëtarum.

Horus Apollo Niliacus antiquus Scriptor Hieroglyphicorum.

Hugo à S. Victore, humanis & divinis literis apprime excultus, doctrinæ D. Augustini æmulator, vocatus ob id lingua Augustini.

Hugo Eterianus Græcè, & Latinè doctus, sed pro sæculi vitio non multum elegans.

Hugo Folietensis Monachus, Auctor librorum de Claustro animæ inter opera Hugonis Victorini.

Hugo Menardus Monachus, sacra & Monastica eruditione, omnique literarum gloria illustris.

Humbertus Cardinalis Sylvæ Candidæ Episcopus, Latinorum rituum adversus Græcos propugnator, nimis tamen, & minutior quam par esset.

Humberti Magistri Ord. Prædicatorum pium, & utile opusculum de Religiosorum eruditione.

Hyginus prænominatus C. Julius Augusti libertus nobilis Antiquarius, & fabulator.

Hyginus alter, sive Hygenus inter Auctores Grammaticos editus à Nic. Rigaltio, qui vixit Trajani ætate, ut ipsemet testatur in suo elegantissimo libello.

Hyppolitus Maraceus Lucensis, vir eruditus, & multæ pietatis erga B. Virginem.

Hyppolitus Portuensis Episcopus, & Martyr, Scriptor disertissimus & Apostolici spiritus.

I

Jacobi Alvarez pium, prolixum, & sacris documentis plenissimum opus de vita spirituali.

Jacobus Boulduc Capuccinus, vir judicio, inventione, & doctrina egregius, ut constat ex ejus libris de Ecclesia ante, & post legem, & de oggio Christiano.

Jacobus Bozius Ecclesiastica eruditione clarus, crucis Encomiastes.

Jacobi Fabri Stapuleasis, viri docti elementa musicalia: sed hic in fine defecit ad Calvinistas.

Jacobus Gretzerus malleus Hæreticorum, cujus libri de Cruce omni laude dignissimi sunt.

Jacobus Gualterus Chronographus diligens, & hæresum profligator.

Jacobi Gutherii de jure manium, sive de pristino funere libri tres valdè eruditi.

Jacobi Pamelii Liturgica, & notæ doctissimæ in Tertullianum, & Cyprianum.

Jacobi

Jacobi Philippi Foresti Bergomatis egregium opus, quod prænoraui supplementum Chronicorum, in quo tamen nihil aliis indictum dicit.

Jacobus de Valentia Episcopus Christopolitanus Psalmorum, & Canticorum Commentator.

Jacobus de Virriaco Episcopus Aconensis, & Cardinalis, celebris Historicus, & fervens divini verbi Declamator.

Ignatius Martyr dictus Theophorus, vir Apostolicus. Quæ ejus Epistolæ veræ sint, quæ suppositivæ, optimè Bolland. in Prolegom. ad ejus vitam.

Jamblicus nobilis Platonius, qui de mysticis Egyptiorum, & de vita Pythagoræ libros scripsit, & prorepticæ ad Philosophiam orationes: sed in vita Pythagoræ multa surripuit ex ea, quam scripserat Porphyrius ejus Præceptor. De vita Pythagoræ libros vij. composuit, quorum quatuor duntaxat ad nos pervenerunt: duo priores editi sunt, duo posteriores habentur M. S. in Bibliotheca Vaticana.

Janus Durantius Casellius Criticus insignis.

Idiota pius Scriptor, cujus nomen nuper repositum est Raimundus Jordanus.

Innocentius Papa iii. stylo tenuis, doctrina subtilis.

Joachimus Abbas Ordin. Cisterciens. vir Prophetici spiritus, & scientiæ non vulgaris.

Joannes Andreas Bononiensis I. C. doctissimus.

Joannes Antonius Flaminius de vita sancti Petri Damiani.

Joannes Antonius Valtrinus, cujus est eruditum opus de re militari.

Joannes de Anania, vulgo Archidiaconus, juris Pontificii celebris Interpres.

Joannes Azorius morali litteratura instructissimus.

Joannes Baptista Donius Florentinus, qui de Musica, modisque musicis antiquis, & novis doctissimè scripsit, doctus scripturus, si Græca eruditione præditus fuisset.

Joannis Baptistæ Novati pium, & spiritum opus de Eminentia Deiparæ.

Joannes Bollandus, cujus labor in colligendis actis Sanctorum Ecclesiæ Dei multum utilis est. Utinam vitam habeat tam prolixo operi parem.

Joannis Bonifacii Historia Virginalis de vita, & miraculis B. Virginis.

Joannis Beletii accurata explicatio divinatorum officiorum.

Joannis Brodæi Critici multæ eruditionis Miscellanæ.

Joannes Busæus Petri Blesensis Scholiastes.

Joannes Cassianus Monasticæ perfectionis perfectissimus Magister.

Joannes Cantacuzenus Eximperator Constanti-

nopolitanus eximius Historicus, sed res suas nimium extollens.

Joannes Climacus, sive Scalasticus (non Scholasticus, ut quidam scribant) sic dictus à Scala graduum perfectionis, quam luculenter descripsit gradibus triginta. Asserit tamen Mathæus Raderus in notis libri ad Pastorem Scholasticum dici debere ex Codicibus Græcis, cui consentit Philippus Labbe.

Joannes Chrysostomus vir notæ sanctitatis, & divinæ eloquentiæ theatrum.

Joannes Cochierus Leodiensis prudens, & eruditus Politicus.

Joannes Curopalates Historicus Græcus, græco schismate infectus.

Joannes Damascenus in confessione Fidei clarus, in docendo ac disserendo subtilis. De Historiis autem, quas scriptis suis inserit, quædam notarunt Baronius, & Bellarminus, aliique Theologi.

Joannes Diaconus Scriptor vitæ S. Gregorii Magni.

Joanni Episcopo Hierosolymorum adscriptus liber de Institutione Monachorum ab aliquo Carmelita confectus, ut censet Baronius anno 444.

Joannes Ecchius Suevus Catholicorum dogmatum adversus Lutherum strenuus defensor.

Joannes Eusebius Nierembergicus, vir pius & doctus, multitudine librorum quos scripsit omnibus notus.

Joannes Filescus Theologus Parisiensis doctus, & eruditus.

Joannes Geometra Græcus elegans hymnographus.

Joannes Gerardus Vossius omni doctrinarum genere, atque omni eruditione mirabiliter excultus. utinam Orthodoxa fide imbutus fuisset.

Joannes Gerson Scholasticæ, moralis, & mysticæ Theologiæ professor eximius.

Joannes Goropius Becanus de Symbolica Theologia optimè meritis. De eo Scaliger ita censet, quod in suis libris nihil aliud ostenderit, quam sibi otium superfuisset, quo abuteretur ad levia in genia oblectanda.

Joannes Justus Lanspergius veræ pietatis instructor exactissimus.

Joannes Keplerus, de quo jure dici potest, neminem in Mathematicis ævo suo subtiliorem fuisse: at dum Physica attingit, nemo profecto ineptior. Lib. 4. Harmonic. cap. 7. ait terram magnum animal esse; & lib. de motibus Martis dicit Solem esse magnum magnetem. Pertinax etiam fuit in asserendo motu terræ, atque his paradoxis magnam suæ doctrinæ labem insperfit.

Joannis Kuchmanni Lubecensis opus eruditum de solemnitatibus Romanorum funerum.

Eccece 3 Joannis

Joannis Lorini uberrima in scripturam Commentaria.

Joannes Mauburnus exercitorum spiritualium Scriptor nulli secundus.

Joannes Michaël Constantiensis in spiritualibus exercitiis pius, sed proluxus.

Joannes Monachus de vita S. Petri Damiani.

Joannis Moschi Monachi cognomento Eyrati Pratum spirituale de vitis SS. Patrum stylo rudiori, & humiliori, ut ait Photius. Tribuitur hoc opus à quibusdam Sophronio Episcopo Hierosolymitano, cui dicatum est.

Joannes Nyder, cujus præter Formicarium est Alphabetum divini Amoris inter opera Gersonis.

Joannes Picus Mirandulanus vir ingenii portentosus, & ad omne genus literaturæ idoneus.

Joannes Pineda profundus, & eruditus Divinæ Scripturæ Interpres.

Joannes Presbyter Nicomedien. de Martyrio S. Basilei Episcopi Amaseæ.

Joannes Abbas Raythu eruditione divina copiosè instructus, Climaci Scholiastes.

Joannis Réuclini, seu Capnionis, damnatæ lectionis libri de Arte Cabalistica, & de verbo mirifico.

Joannes Rosinus in Romanis antiquitatibus veterum Scriptorum sedulus excerptor.

Joannes Rusbrochius Theologus mysticus, obsecurus, Magni Arcopagitæ æmulator.

Joannes Savaro, cujus notæ ad Sidonium, velut Cornucopiæ variarum rerum sunt.

Joannis Sapientis Cyparißioræ expositio elementaria eorum, quæ de Deo dicuntur, quo libro abditæ continentur mysteria mysticæ, & symbolicæ Theologiæ.

Joannes Sarisberienfis Episcopus Carnotensis tempore Alexandri III. super ævi illius morem doctissimus, vir gravis etiam cum de nugis scribit.

Joannes de Sacro Bosco Anglus, cujus libellus de Sphæra primum tenet locum inter ejus generis Scriptores.

Joannis Schenckii observationum medicarum libri varii, & curiosi.

Joannes Stephanus Durantus de Ritibus Ecclesiæ Ecclesiæ.

Joannes Stobæus, cujus est præclarissimum, & valde utile opus Sententiarum ab antiquissimis Scriptoribus excerptum.

Joannes Stoflerinus celebris Mathematicus de usu Astrolabii.

Joannes Taulerus Ord. Prædicatorum Theologus mysticus profundus, & cœlesti sapientia singulariter imbutus.

Joannes Trithemius doctus, & pius Auctor, sed in Historiâ non satis accuratus.

Joannes à Turre Cremata Cardinal. Ord. Prædicatorum Theologus, & J. C. eximius.

Joannes Tzetzes Poëta Polyhistoricus, in Chiliadibus quas scripsit sæpè stolidus, & inutilis.

Joannes Xiphilinus Monachus, & postea Patriarcha Constantinopolit. Dionis Cassii abbreviator.

Jodoci Clichtovæi sacrarum literarum scientissimi Elucidatorium Ecclesiasticum.

Jodoci Cocci infinitæ Lectionis opus, quod Theaurus Catholicus inscribitur, in quo tamen nullum statuit discrimen inter veros & supposititios Auctores.

Jonas Abbas Luxoviensis, qui multas Sanctorum vitas luculento sermone descripsit. Errat Trithemius, & alii post ipsum putantes hunc Hibernum fuisse, nam ipse se Italum asserit in Attala, & Monasterii Bobiensis alumnum: discipulus autem Columbani dictus est, quia ejus Regulam professus est.

Jonas Episcopus Aurelian. adversus Claudium Taurinensem.

Jordanus, sive Jornandes ex notario Gothorum Episcopus Ravennas, cujus liber de rebus Getarum Epitome est Geticorum Cassiodori. Stylo utitur rudi & agresti, nisi ubi ex Floro quædam transcribit.

Joseph Flavius Hebræus stylo dilucidus, amabilis, jucundus, sed in antiquitatibus parum fidelis.

Joseph Vicecomes Mediolanensis, qui de antiquis Ecclesiæ Ritibus plures libros doctè, & luculenter conscripsit. At alicubi eum errasse ostendit Leo Allaius libro de Narthece veteris Ecclesiæ.

Joseph Zerlinus recentiorum Musicorum Princeps, qui edidit Italico sermone plures libros Institutionum, & Demonstrationum harmonicarum.

Irenæus Episcopus, & Martyr, omnium doctrinarum, ut inquit Tertullianus, curiosissimus explorator.

Isidorus Hispalensis omni genere literarum excellentissimus Junior à quibusdam vocatur, ut distinguatur ab Isidoro Cordubensi, qui vixit circa ann. 100. Cujus sunt Commentaria in libros Regum.

Isidorus de Iolanis Mediolanensis Ord. Prædicatorum præclarus suo tempore Philosophus, & Theologus.

Isidorus Pelusiota doctrinæ spiritualis non sine eloquentiæ laude Professor.

Isaaci Syri Presbyteri Antiocheni utilis, & pius liber de Contemptu mundi; sed phrasæ habet difficiles, & modum loquendi obscurum.

Julius Cæsar Bulengerus vir multæ antiquitatis, & plurimæ lectionis.

Julius

Julius Cæsar Scaliger eruditorum maximus, sed nimium sibi tribuens.

Julius Capitolinus Historicus, quem multi hoc nomine indignum censent.

Julius Maternus Firmicus cultus, & gravis Auctor libri de mysteriis, & erroribus profanatum Religionum ad filios Magni Constantini. Hic nondum Christianus, Genethliacorum sequutus errorem, primus fuit qui astrorum judicia Latine fecit audiri, editis libris octo Astronomicorum.

Julius obsequens de prodigiis Auctor curiosus, elocutionis candidæ & defœcæ.

Julii Pollucis diligentissimi, & eruditissimi viri Onomasticon. Lectore indiget erudito, nam inuicit doctis, & non docet imperitos.

Julianus Aurelius haud spernendus Auctor de cognominibus Deorum.

Juliani Archiepiscopi Tolerani, viri sancti, & sapientis Prognosticon de futuro saeculo. Hic obiit æra Hispanica 728. anno scilicet Christi 690. idco, male confunditur cum Juliano Pomerio, qui teste Ennodio Ticinensi vivebat anno 590.

Julianus Imperator Apostata loquacissimus, & impius Scriptor.

Ivo Carnotensis Episcopus Scripturarum, & Canonum scientia illustris.

Justinus Historicus Trogi Pompei breuiator stylo nitidissimus, cujus Epitome ipsi Trogo exitio fuit.

Justinus Martyr doctissimus Philosophus, & vindex Christianæ Religionis.

Justus Abbas Ordinis Cisterciensis, cujus extat luculentus sermo de Ordinis præstantia.

Justi Episcopi Urgelitani explicatio Cantici Cantorum sermone brevis, sensu profunda.

Justus Lipsius magnæ doctrinæ vir, & elegantis eruditionis apex.

Juvenalis Satyricorum Princeps.

Juveni Presbyteri Hispani, & Poëtæ non ignobilis Evangelica Historia. Hic, ut ait D. Hieronymus, Evangelii maiestatem sub metrileges mittere non pertimuit.

L

Lætantius Firmianus Tullianæ eloquentiæ fluuius; qui tamen plus studii posuit in destruendo Hellenismo, quam in Christiana Religione afluenda.

Latinus Pacatus Drepanus elegans Panegyristes.

Laurentius Justinianus Sanctissimus, eloquentissimus.

Laurentius Novariensis Episcopus vir disertissimus, quem quidam conijciunt illum fuisse, qui mellifluus vocatur à Sigiberto *cap. 121.* quod Homi-

lias ore mellito declamarit, à quo revera titulo non dissentit stylus.

Laurentius Surius nitidus Scriptor, cujus laboriosum opus de vitis Sanctorum grauius foret, & utilius; si veterum Scriptorum primigeniam phrasim retinisset.

Laurentius à Villavicentio Hispanus Ord. S. Augustini, scripsit inter cætera libros tres multis nominibus utiles de rectè formando studio Theologico.

Lælii Bisciolæ Horarum subsecivarum opus insignè, res continens in omni Philologiæ genere excellentes.

Leander Albertus de vita B. Jordani Ord. Prædicatorum.

Leonardus Lessius Theologus subtilis ingenii, & liberi iudicii.

Leontius Byzantinus adversus Eutyrianos, & Nestorianos. Dubium est, an idem sit, qui Salaminius dictus est, ejus videlicet Civitatis Episcopus.

Leo Castrensis, cujus sunt doctissima Commentaria in Isaiam, ex Scriptoribus Græcis, & Latinis contra Rabbiorum deliramenta.

Leonis Hebræi Philosophi Platonici Dialogismus de Amore.

Leonis Imperatoris de re tactica utilis liber.

Leo Magnus Papa, cujus eloquentia cor afficit, penetrat, urit.

Liber de Viris illustribus Ordinis Cisterciensis incerti Auctoris.

Libanius Sophista declamator mirè disertus, sed dum nimis diligens esse vult, in obscuritatem sæpe delabitur.

Lilii Gregorius Girardus multæ lectionis Philologus, & acris iudicii Criticus.

Liturgiæ Apostolorum, & aliorum SS. Patrum.

Longi Sophistæ Scriptoris confusi, & Græca licentia lascivientis Pastoralia.

Lucanus Grandiloquus, & concitatus Poëta, styli inæqualis, quem Quintilianus initio libri x. oratoribus potius, quam Poëtis annumerandum censet. Alii passim Historicum non Poëtam vocant.

Lucas Holstenius Hamburgensis, vir clarissimus, singularis doctrinæ, & admirandæ eruditionis in omni genere literaturæ.

Lucas Dacherius Monachus Benedictinus in indagandis & edendis veterum Patrum scriptis diligentissimus; de Catholica Ecclesia, & de Rep. literaria optimè meritis.

Lucas Vuadingus Ordinis Minorum Historiographus excellentissimus, rerum gestarum, & Scriptorum gloria illustris.

Lucas Tudensis Episcopus adversus Albigenes.

Lucianus Presbyter, Scriptor Historiæ Inventionis

tionis S. Stephani, in qua multa peccati circa nominum Syriacorum interpretationem observarunt ejus linguæ periti.

Lucianus Samosatenus vir doctus, & puræ, ac ventusæ dictionis, sed Deorum, & hominum irrisor.

Lucifer Calaritanus, cujus lapsus notissimus est. Baronius censet eum impœnitentem obiisse, at Sardinie Historici, ut Sanctum laudant. Ejus libelli ex centonibus scripturarum compacti sunt.

Lucius Florus concisus, elegans, & floridus rerum Romanarum Epitomastes. Damnant in eo multi, quod in temporum ratione negligens fuerit, sitque usus stylo declamatorio potius, quam Historico.

Lucretius Carus Poeta Physicus subtilis, argutus, enucleatus, sed impius.

Luctatius, sive Lactantius Placidius Grammaticus veterum transcriptor, Statii Papinii Commentator.

Ludolfus Saxo Carthusianus de vita Christi Scriptor pius, & utilis.

Ludovicus ab Alcazar, de cujus ingenio testimonium perhibent, docta in Apocalypsim Commentaria.

Ludovicus Blossus rerum spiritualium peritissimus, qui inter cætera opuscula Speculum Monachorum edidit sub ficto nomine Dacriani Abbatis.

Ludovici Carrionis Critici elaboratissimi antiquæ Lectiones, & observationes.

Ludovicus Cœlius Rhodiginus vir reconditæ eruditionis, & multæ antiquitatis, sed durioris eloquii.

Ludovici Cresfolii Mystagogus, opus varium de sacrorum hominum disciplina, ex SS. Patribus multa eruditione contextum.

Ludovicus de la Cerda celebris Criticus, Tertulliani, & Virgilio Commentator.

Ludovici de Prælia Ord. Minorum Trilogium animæ, de ejus potentiis, passionibus, & habitibus, in quo multa præclara & recondita.

Ludovicus Vives Valentinus, vir quidem doctus, sed nimium sæpe insolens, & elatus, quippè qui Augustinum docere præsumit.

Luitbrandi Ticinensis Diaconi, postea Episcopi Cremonen. Historiæ sui temporis. Liber autem de vitis Romanorum Pontificum sub ejus nomine editus, suppositivus est.

Lycophron Græcorum Poetarum obscurissimus, cujus extat sola Alexandra, sive Cassandra.

Lyfidi Pythagorico tributa Epistola de dogmatibus Magistris.

M.

Macarius Ægyptius signis, virtutibus, & scriptis clarissimus.

Macrobius Philosophus eximius, & Criticus acutissimus.

Mamertinus Panegyristes elegans, & insignis.

Manuel Paleologus Summi Princeps ingenii de regia educatione ad filium.

Maphæus Vegius Laudunensis Orator, & Poeta insignis.

Marcelli Francolini nunquam satis laudatum opus de tempore horarum Canoniarum.

Marchettus Patavinus Musicus, qui de cantu piano tractatum utilem scripsit.

Marcus Antonius Muretus Orator, & Criticus scientissimus, & Poeta non ignobilis.

Marcus Antonius Natta Astensis, non solum Juris prudentia, sed & scientiis politioribus excultus.

Marcus Antoninus Imp. cognomento Philosophus, cujus libri de se ipso, & ad se ipsum, olim de vita sua male inscripti, medullam continent totius moralis Philosophiæ ex placitis Stoicorum.

Marcus Eremita, dictus Asceta, cui sanctam Communionem Angelus ministrabat. Capita de temperantia sublimia, & difficilia sunt, & stylo diversa ab aliis ejus opusculis, quæ ab Hæreticis depravata sunt.

Marcus Gazensis Ecclesiæ Diaconus, vitam scripsit S. Porphyrii Episcopi sui, a quo Legatus ad Arcadium Imp. missus fuerat.

Marcus Manilius Poeta Astronomicus elegantissimus, sed rei Astronomiæ non admodum peritus. Joannes Rivius in vita S. Augustini hunc Christianum fuisse ait, illum videlicet cui Augustinus inscripsit librum de vita beata, quod notat Gaspar Gevartius ad Statii Sylvas.

Marcus Tullius Cicero summus Philosophus, & Princeps Oratorum, typus perfectæ eloquentiæ.

Marcus Varro vir undecunque doctissimus, quem Cicero acutissimum, Augustinus acerrimum, peritissimum, & gravissimæ auctoritatis vocat.

Marianus Victorius Episcopus Ametinus D. Hieronymi studiosissimus Scholasticus.

Marius Bettinus Bononien. subtilis & ingeniosus Mathematicus.

Marius Victorinus Afer sensu profundus, dictione obscurus, durus in sententiis, & sæpe Platonizans.

Marinus Neapolites Philosophus Platonicæ sectæ, & Rhetor, ac Mathematicus eruditus.

Marinus Mercennius Ordinis Minorum de divinis humanisque literis, deque re Harmonica optimè meritis.

Martianus Capella stylo asper, doctrina varius, de nuptiis Mercurii, & Philologiæ.

Martialis Lemovicen. Episcopi viri sanctissimi, & Apostolici Epistolæ suppositivæ à vitis doctis existimata.

Mar.

Martialis, qui primus Epigrammata scribere docuit, acutissimus Poëta, sed obcenitas in eo castiganda est.

Martinus del Río, vir variæ doctrinæ, rerumque magicarum incomparabilis disquisitor.

Martinus Azpilcuera Navarrus, cujus opera omnium manibus versantur non sine ipsius laude, & legentium fructu.

Martinus Perez Episcopus Guadixensis celebris ob librum quem reliquit de divinis, Apostolicis, & Ecclesiasticis traditionibus.

Martinus Polonus Chronologus simplicissimus, & sapè fabulator.

Marsilii Cagnati Medici Veronens. Critici exquisitissimi variæ observationes.

Marsilius Ficinus Platoniorum decus, qui ferè solus ex Platonis inoffenso pede percurri potest.

Matthæi Riccii Sinarum Historia elegans, & curiosa.

Maximilianus Sandæus, vir magno ingenii acumine pollens, ut patet ex ejus variâ, medica, mystica, & Symbolica Theologia, aliisque tractatibus.

Maximus Martyr sublimis, fervens, & limatissimus Scriptor.

Maximi Margunii Episcopi Cytherorum Schismatici Hymni sacri Anacreontici.

Maximus Medaurenسيس Philosophus Ethnicus, cujus est Ep. 43. Tom. 2. Augustini.

Maximus Planudes humanis & divinis literis inter Græcos, qui sæculo decimo quarto floruerunt, maxime instructus, vir sanè laudabilis, nisi Græcorum schismati pertinaciter adhæsisset.

Maximus Taurinensis Episcopus summa prædicitæ sanctitate, & eloquentia.

Maximus Tyrius Platoniorum mellitissimus, sapientia & dicendi venustate soli cedens Platoni.

Mechtildis Virginis vita, sive liber gratiæ spiritualis.

Menander Rhetor Græcus, cujus est de genere demonstrativo luculentum opusculum.

Metrophanes Smyrnæus vir doctus, sed schismaticus.

Methodius Episcopus, & Martyr, cujus sunt quidam sermones: nam Revelationes pseudepigraphæ sunt, & fabulosæ scænt narrationibus.

Mercurius Trismegistus Pythagora, & Platone antiquior, ut scribit Lactantius libro de Ira Dei, cujus quæ extant opera quidam conficta censent, alii putant ex veris ejus operibus excerpta esse. Certius tamen est ab aliquo Gnostico conficta fuisse, antiqua tamen, nam à Porphyrio & aliis antiquioribus citantur.

Michaël Glycas Historiæ Byzantiæ Scriptor, à quo plurima recondita eruuntur, quamvis Historiæ

leges non admodum exactè observavit.

Minutius Felix Causidicus Romanus Christianæ veritatis adversus gentes acerrimus, & perelegans affertor.

Modesti libellus de vocabulis rei militaris ex Vegetio transcriptus.

Mofchi Siculi Poëta Græci Idyllia suavissima.

Moses Bar-cepha Episcopus Syrus, vir doctus, & profundus, sed à vera Theologia quandoque dissentiens.

Musæi Poëma de Amore Herus, & Leandri stylo politissimo.

N

Natalis Comes, cujus mirificum ingenium, ac multiplicem eruditionem concelebrant Mythologiarum libri ab eo conscripti.

Nemesius Episcopus Emesæ urbis in Phœnicia, scripsit librum de natura hominis olim Gregorio Nysseno tributum: disserit autem de re proposita exactissimè sed nimium Platoni addictus fuit.

Nicetas Acominatus Choniates dignitatibus, ingenio, ac doctrina illustris, Historice veritatis ubique studiosus, sed Latinis infensus.

Nicetas Heraclia Metropolitæ Gregor. Nazianzeni Commentator.

Nicephorus Calistus Xanthopulus, Historicus Ecclesiasticus elegans, sed parum diligens, & Schismaticus.

Nicephorus Gregoras Historicus probatissimus, nisi quod ævi vitio alienus ostenditur ab Ecclesia Romana, & de se multa loquitur parum decore.

Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus, qui adversus Iconomachos strenuè decertavit.

Nicolaus Cabasilas Archiepiscopus Thessalonicens. vir doctus, sed Græco Schismate infectus. Gentianus Hervetus conatur eum excusare, sed Æthiopem lavat.

Nicolaus Caussin Rhetor floridissimus, atque omnipolteriori literatura ornatus.

Nicolaus Copernicus Mathematicus multæ subtilitatis, sed novarum rerum nimium studiosus.

Nicolaus Cusanus Cardinalis, vir profundæ scientiæ, & subtilissima exercitatione limatæ.

Nicolaus Oresmius Lexoviensis Episcopus, cujus est non contemnendum opusculum de mutatione monetarum.

Nicomachus Gerasenus Philosophus Pythagoricus laudatus à Photio, cujus Euchiridion Harmonices edidit Joannes Meursius.

Nicolaus Serarius Ecclesiasticæ antiquitatis diligentissimus peryestigator, hostis Hæreticorum.

Nicolai Londani Philosophi præstantissimi de Reversione animi in cælum Tractatus luculentus & Psalmis Gradualibus sumpto argumento.

Fffff

Nicolaus

Nicolaus Godignus de rebus Abassinorum vir clarus & Soc. Jesu. Auctor verò, quem tacito nomine reprehendit, est Ludovicus de Urrera, cujus Historia Æthiopica multis fabulis plena est.

Nilus Monachus discipulus S. Joannis Chrysostomi de interemptione Sanctorum Patrum, qui erant in Sina. Scripsit & Asectica quaedam. Plures autem fuerunt hujus nominis Asecticorum Scriptores, sed quæ singulis opuscula assignari debeant, mihi certo non constat.

Nonius Marcellus Grammaticus, ob crebra, quæ apud ipsum exant veterum fragmenta, quæ alibi non reperiuntur, expetendus, alioquin nec eruditione, nec judicio laudabilis.

Nonni Panopolitæ Poëtæ Græci felicissimi, ac mirabilis genii Paraphrasis in Joannem, & Dionysiacæ.

Notkerus Balbulus Monachus S. Galli. Othonis Magni Nepos, cujus antiquum Martyrologium edidit Canisius.

O.

Odo Abbas Cluniacensis doctrina, & pietate celebris, qui Commentaria B. Gregorii in Job brevi coarctavit volumine, & alia quaedam scripsit lectu digna.

Oecumenius Auctor catenæ Græcæ veterum Patrum in plerisque libris novi Testamenti.

Ogerius Abbas Lucedii, quod est Cœnobium Ord. Cisterciens. in Dioc. Vercellen. Auctor 13. sermonum de Cœna Domini inter opera D. Bernardi, cui synchronus fuit, ut constat ex veteri Cod. M. S. Abbatie Stafardæ ejusdem Ordinis, qui nunc est Taurini in Bibliotheca Serenissimi Ducis Sabaudia. Extat in Menologio Cisterciensi die 10. Septembris, & in Monastico Martyrologio Hugonis Menardi. At hic eum Oglerum vocat: alii Oeclesium.

Oliverii Bonarrii viri docti de Horis Canonicis libri tres.

Olympiodori Monachi succineta, & accurata enarratio in Ecclesiasten, juxta triplicem sensum.

Onofandri Platonicæ Strategicus, sive de Imperatoris militari institutione.

Onuphrius Panvinus Veronensis vir ingentis ictionis, rei antiquariæ sacræ, & profanæ peritissimus.

Oppiani Cilicis Poëtæ absolutissimi Cynægetica, & Halæutica.

Ordo Romanus, quo veteres Romana Ecclesiæ ritus explicantur. Liber est valde antiquus, nam cum citant Amalarius & Albinus Flaccus, sed qui editus est posterioris ævi ceremoniis abundat, quod omnibus ritualibus libris contingit, cum a recentioribus transferuntur.

Oracula Sybillina octo libris comprehensa, quæ tamen supposititia à viris doctis existimantur, abest enim ab illis oraculorum majestas, & nimis clarè fidei nostræ mysteria describunt.

Origenes Adamantius à D. Hieronymo Chalcæterus dictus, id est habens ærea intestina, rarum sapientiæ Sydus, atque utinam non caducum. Dum enim fastidit literam, Historiam penè omnem in allegoriam vertit; & dum sublimiora sectatur, corruit in profundum.

Orientii Episcopii Illiberitani comminatorium morale versu Elegiaco elegantissimo, sed mutilum in fine.

Orphæus Poëta Epicus, mysticus, Physicus, & Hymnographus.

Osbertus Monachus Cantuarien. Scriptor vitæ SS. Elphegi, & Dunstani Archiepiscoporum.

Ottomari Luscinii Musici præclarissimi Murgia.

Otho Monachus Molisimensis auctor vitæ S. Roberti primi Abbatis Cisterciensis.

Ovidius Poetarum copiosissimus, & ingeniosissimus, Elegiacorum Latinorum Princeps, cui Seneca *controv. 5. lib. 9.* Battologiam objecit.

P.

Pachomii Abbatis Sanctissimi Monachorum Magistri Regula, quam Angelo dictante scripsisse dicitur.

Palladii Monachi Galatæ Historia Lausiaca, seu vitæ Patrum ad Lausum. Fuit autem Palladius Episcopus Helenopolcos Pelagii, & Origenis fautor.

Palaphati Ægyptii, seu verius Atheniensis, ut ex Suida colligitur, Mythologi perantiqui liber Historiarum incredibilium, sive de non credendis fabulosis narrationibus.

Pappus Alexandrinus celebris Mathematicus, cui Musica Euclidis à quibusdam eruditis adscribitur. Ejus sunt item Commentaria in libros Harmonicorum Ptolomæi Porphyrio adscripta, nam hic scripsit in quatuor tantum prima capita, ut constat ex antiquo Codice M. S. Bibliothecæ Vaticanæ.

Paschasius Diaconus Cardinalis, qui de Spiritu Sancto luculentissimos edidit libros Magni Gregorii testimonio celebres *l. 4. Dial. cap. 4.* Verum qui nunc extant editi sub ejus nomine in M. S. Bibliothecæ Vaticanæ nomen præferunt Faustii Regiensis, cui etiam eos tribuebat P. Sirmundus.

Paschasius Rabertus Abbas Corbeiensis, vir in divinis Scripturis valde eruditus, secularium literarum non ignarus.

Paulinus Episcopus Nolanus, sanctitate, & scientia eminens; sensu, & eloquio sublimis. Sed ævi vitio modularum syllabarum in versibus sæpe neglexit.

Paulus

Paulus Æmilius Historicus elegans, & disertus, ac teste Lipsio omnium Recentiorum præclarissimus.

Paulus Emisenus, cujus extant doctæ quædam lucubrationes in Actis Concilii Ephesini.

Paulus Orosius, quem Gelasius Papa virum eruditissimum appellat, SS. Hieronymi, & Augustini amicitia clarus; ejus Historias castigat Scalliger circa temporum rationem in animadversionibus Eusebii.

Paulus Manutius vir copia, scientia, eruditione, & elegantia summus.

Pauli Sacerdoti eruditissima, & acutissima Commentaria in Cantica Canticorum.

Paulus Riccius Cabalista ex Judæo Christianus, cui nigrum Theta Romanus index præfixit.

Pausanias minus quidem facundus Scriptor, sed ob rerum copiam, & Historiarum varietatem utilissimus.

Pelagius Diaconus citari solet in libro de doctrina, vita, & perfectione SS. Patrum, cujus non Auctor, sed Interpres fuit.

Persius acutus Satyricus, sed obscurus. Stylum enim magnificum affectans, crebrisque, & audacibus translationibus utens in obscuritatem frequenter labitur. Nascitur etiam obscuritas ex ignorantia. Scribit ille quæ suo tempore servis & tabernariis notissima erant, quæ quia nobis ignota nunc sunt, plena mysteriorum arbitramur.

Petronius Arbitrator purissimæ lacinitatis impurissimus Scriptor.

Petrus Abailardus D. Bernardi celebris Antagonista, cujus opera nuper è tenebris prodierunt.

Petrus Antonius Spinelus, cujus est præclarum opus de Laudibus, & cultu B. Virginis.

Petri Aron Florentini Harmonicæ Institutiones.

Petrus Babyon, seu de Babyone Anglus, Auctor Commentariorum in Matthæum, quæ sub nomine S. Anselmi circumferuntur. Vivebat hic an 1300. fuitque Poëta, & Rector elegantissimus, ut asserunt Catalogi Scriptorum Angliæ.

Petrus Blefensis Archidiaconus Bathonien. libertate spiritus in scribendo eximius, & normam vivendi Ecclesiasticis præscribens.

Petrus Bongus Platonica, & Pythagorica disciplina optime instructus, ut ejus liber de mysteriis numerorum ostendit.

Petrus Canisius vir peracris judicii, & solidæ pietatis.

Petrus Cellensis Abbas panem Cœlestis doctrinæ libro de panibus aliisque opusculis abunde subministrans.

Petrus Chrysologus ex aurea ingenii, & eloquentiæ ubertate id cognomen assecutus. Familiare

illi sunt congeminationes, & periodorum conformationes.

Petrus Comestor, dictus Magister Historiæ Scholasticæ, quam ex libris sacris potissimum texuit, itemque ex profanis; ex quibus incertas Historias aliquando admiscuit.

Petrus Damianus ex Monacho Cardin. vir optimi sensus, & aureæ facundia, quem fuisse Canonicum Regularem absurdo errore asserit Joannes Trullus, cum scilicet confundens cum Petro Portuensi Canonico Reg. qui vixit eodem tempore. Utrumque commemorat Hieron. Rubens lib. v. Hist. Raven. rectè observans quantum inter eos discriminis sit. Porro Damianum ob zelum Ecclesiasticæ disciplinæ alterum Hieronymum dictum esse notat Baronius in Martyrologio ad diem 9. Novembris.

Petrus Diaconus Cassinensis, cujus pleraque opera nondum impressa sunt; præsertim Commentar. in Regulam S. Benedicti. Habet quædam ejus opuscula Jo. Baptista Marus S. Angeli in foropiscario Canonicus, vir doctus, & antiquorum Patrum studiosissimus.

Petri Dorlandi Carthusiani Chronicon sui Ordinis, quod res præclare in eo gestas explicat.

Petrus Faber J. C. nominatissimus, penu omnium scientiarum.

Petrus Galatinus Ord. Minorum Theologus insignis, qui tamen librum de arcanis Catholicæ veritatis adversus Hebræos majore ex parte transcripsit ex pugione fidei Rainaundi Martini Ord. Prædicatorum.

Petrus Gregorius Tholosanus utriusque juris, & omnium scientiarum peritissimus.

Petrus Lombardus Episcopus Parisien. Theologiæ compilator, dictus Magister Sententiarum.

Petrus Mauritius dictus Venerabilis, Abbas Cluniacens. vir sanctus, verborum venustate placens, & sententiis gravis.

Petrus Montius, sive de Monte, Philosophus multæ & reconditæ doctrinæ, sed confusus aliquando, & obscurus.

Petrus Nonius non ignobilis Mathematicus, cujus est egregius liber de crepusculis.

Petrus Pilichdorfus, qui sectam Valdensium docto volumine confutavit.

Petrus Pichæus omnium bonarum artium ornamentum, & vindex antiquitatis.

Petri Pontii Parmensis de re Musica Dialogi præxim ejus edocentes.

Petrus Roverius, qui Reomaensis Monasterii Historiam edidit, & illustravit.

Petrus Tyraeus Novesius rerum reconditarum cognitione conspicuus.

Phalaridis Agrigentinarum Tyranni Epistolæ
Fffff 2 verbis

verbis concisæ, sententiis locupletes, si tamen veræ sunt, & non ab aliquo exercitii gratia confictæ.

Phœbadii Episcopi Agennensis in Gallia liber singularis adversus Arianos. Alii Sebadium vocant, ejusque laudes celebrat *lib. 2. Histor.* Severus Sulpitius.

Phœdrus Thrax Augustini Casaris libertus, fabularum, quas, ut ipse ait initio *lib. v.* auctoritatis gratia Æsopicas nuncupavit, libros quinque conscripsit jambicis versibus cultissimis & elegantissimis.

Philastrus Brixienis Episcopus hæresum profligator: quædam tamen tanquam hæretica respuit, quæ talia non sunt, ut quod stellæ sint cælo infixæ.

Philippus Abbas Bonæ Spei, pius & doctus, sed dicendi genere singularis, quippe qui clausulas similiter desinentes ubique affectat.

Philippus Beroaldus vir summus suo sæculo, sed audax, & in quo judicium subinde desideratur.

Philippus Claraevallensis de miraculis S. Bernardi.

Philippus Cluervius vir singulariter eruditus, de antiqua & nova Geographia optime meritis.

Philippus Labbe Soc. Jesu, vir infinitæ lectionis, & eruditionis, atque acerrimi judicii in veterum scriptis recensendis.

Philo Carpathiorum Episcopus à S. Epiphano ordinatus, cujus Commentario in Cantica Cantico- rum inserta sunt quædam ex S. Gregorio Papa, quæ idè cum reliquis malè cohærent.

Philo Judæus Platônismulus, vir omnium consensu doctissimus.

Philostrati juxta Suidam senioris, juxta alios junioris, Heroica, Icones, & vitæ Sophistarum floridissimo, suavissimo stylo.

Philostratus Lemnius in vita Apollonii Thinxæ fabulator, & mendax, sed sermo ejus melle dulcior fluit.

Philotheus Patriarcha Constantinopolit. sacundus Orator, sed Schismaticus perycaccissimus.

Phocas antiquus Grammaticus, à quo Grammaticam suam magna ex parte mutuari sunt Ælius Antonius Neorissenis, & Joan. Despauterius.

Phornutus, vel Cornutus, Græcus Auctor, cujus est liber de natura Deorum, sive ut Christiani veteres inscripserunt, de Græcanica Theologia.

Photii Pseudopatriarchæ Constantinopolitani Bibliotheca, quæ infinitam ejus lectionem, & acerrimum judicium demonstrat: sed hic homo perditus fuit, & primus auctor Schismatis Græcorum: ingenii vatri, versipellis, & ambitiosi.

Pierius Valerianus Hieroglyphicorum accuratissimus collector & illustrator.

Pindarus Lyricorum Princeps inimitabilis.

Plato sapientiæ Antistes, Philosophorum Ante-

signanus, quem tamen dolet Tertullianus, *lib. de Anima cap. 23.* omnium hæreticorum condimentarium factum. Multa quoque congerunt adversus eum Athenæus, *lib. 11. Dipsosoph.* & ex recentioribus Jo. Bapt. Crispus, *lib. de Platone caute legendo.* Ejus elocutionem severè exagitat Dionysius Haly- carnassæus, laudat autem M. Tullius.

Plaurus decima musa, Romanæ linguæ lex, omnium leporum pater.

Plethonis Scholia in magiam Zoroastris. Hic Georgius Gemistus prænominatur, & in Concilio Florentino pro unione Ecclesiæ multum laboravit.

Plinius major vir singularis doctrinæ & styli, sed non est ubique sui similis.

Plinius junior, cujus Panegyricus & Epistolæ omnibus numeris absolutæ sunt miscentes utile dulci. Sed in Panegyrico nimia quandoque prolixitate aggravat animum legentis.

Plotinus Platonius profundissimus, & à populari capto omnino disjunctus. Genus dicendi sectatus est horridum, & incultum, verborumque ac sententiarum obscuritate perplexum.

Plutarchus compendium eruditionis, prudentiæ thesaurus, totius Philosophiæ Venus, ac lyra, ut de eo scribit Eunapius. Libri autem de Placitis Philosophorum alteri Plutarcho recentiori tribuuntur.

Pœnitentiale Romanum, ex quo apparet Ecclesiasticæ disciplinæ quanta olim severitas fuerit.

Polixeni stratagemata militibus utilia, arguta, & curiosa.

Polybius Megalopolitanus Historiæ Romanæ Auctor vetustissimus, civili prudentia, & scientia militari nulli secundus; qui duplici fungitur munere Historici & Philosophi, narrans, & docens.

Polidorus Ripa J. C. qui luculentum tractatum scripsit de Nocturno tempore.

Polidorus Virgilius non contemnendæ literaturæ homo, sed in libro de inventoribus rerum sæpe futillis, & mendax est.

Pomponius Mela, cujus libellum de situ orbis styli elegantia, & brevitas toti orbi commendant.

Porphyrius Philosophus Christianæ fidei defensor, ut asserit Augustinus, *lib. 10. cap. 28. de civit. Dei*, quem Theodoretus, *lib. 3. adv. Græcos* fautorem mendacii, & Cyrillus *lib. 3. cont. Julian.* patrem calumniarum vocant. De hujus vita & scriptis dissertationem eruditissimam edidit V. CL. Lucas Holstenius.

Possidippus Græcus Poëta cujus in Anthologia quædam sunt Epigrammata. Mentionem ejus faciunt

ciunt Clem. Alexandrinus in *Protreptico*, Arnobius, *lib. 6.* & Stephanus de *Urbibus*.

Possidius Afer Episcopus Calamensis, qui male quibusdam est Possidonius, Scriptor vitæ S. Augustini.

Pothonis Presbyteri Prumiensis libri pii, & ingeniosi de statu domus Dei, deque magna domo sapientiae.

Priscianus Caesariensis Grammaticus, omnium sui generis Princeps scriptor.

Primasius Episcopus Uticensis, sive Adrumetinus, in Africa, cujus sunt Commentaria in D. Paulum stylo dulci, & temperato.

Proclus Lycius Philosophus Platonius, Mathematicus, & Poëta, hostis Christianorum. Quæ & quanta scripserit docet Suidas. Vossius lib. de sanctis Philosophorum non Lycium, sed Siccensem fuisse ait.

Proclus primo Cyzicenus Episcopus, postea Patriarcha Constantinopolit. unus de antiquis Ecclesiae Patribus, æqualis Cyrillo Alexandr. qui ipsum egregie laudat.

Procopius Gazeus Sophista sacrae Scripturae Commentator magis ex aliorum laboribus, quam ex proprio ingenio.

Procopius Illustrius Caesariensis verax Historicus, styli mediocri. Vixit Justiniani temporibus Belisario à secretis.

Propertius Poëta dulcissimæ venæ.

Prosper Aquitanicus acerrimus fidei defensor in scribendo accuratus, sive soluta, sive ligata oratione loquatur. Sirmundus in notis ad Sidonium Apollinarem constanter negat hunc Episcopum fuisse. Imò laicum fuisse & uxoratum docet Philippus Labbe.

Prudentius Pindarus Christianus, dulcissimus, & prudentissimus Christi vates.

Psellus nobilissimus, & disertissimus Philosophus, & Theologus. Quis autem hic fuerit, & quæ scripserit, docet vir doctissimus Leo Allatius in diatriba de Psellis.

Ptolomæi Alexandrini, seu veriùs Pelusiotæ libri tres Harmonicorum. Hos autem libros non esse hujus Ptolomæi Geographi & Astrologi, sed alterius Ptolomæi Philadelphi recentioris Philosophi Pythagorici asserit Joannes Meursius in notis ad Musicam Nicomachi Geraseni.

Publii Syri Mimographi graves, & elegantes sententiae.

Pythagoræ sapientissimi Philosophi aurea Carmina, si tamen ejus sunt, & non potius Philolai, vel Lysidis. Nihil enim quod verè Pythagoræ foret extare tum Joseph in Antiquitatibus, tum Rufinus adversus D. Hieronymum, aliique recentiores affirmant.

Quintilianus Aristides Muscus Græcus excellentissimus.

Quintiliani Senioris acutissimæ declamationes.

Quintilianus Junior Auctor Oratoriarum Institutionum, optimus dicendi artifex.

Quintus Curtius tertius, & perspicuus Historicus, acutus in sententiis, in orationibus mirè disertus.

Quinti Calabri, sive Cointi Smyrnæi suavissimi styli Paralipomena, sive prætermissa ab Homero.

R.

Rabanus Maurus ex Abbate Fuldensi Archiepiscopus Moguntinus æquè doctus, ac pius, ligata & soluta oratione excellens. Artificiosum valde est ejus Poëmation Isogrammaticum de laudibus S. Crucis.

Rabbi Abraham Sepher Jetzirah, id est liber Creationis Magno Abrahamo Patri Credentium, solemnè mendacio à Cabalists attributus.

R. Abraham Aben Ezra inter magistros suæ gentis nominatissimus. Scripsit in totum vetus Testamentum.

R. Akiba Commentarius in librum Jetzirah, quem ipse scripsisse dicitur, & Abrahamo supposuisse.

R. David Kimchi celebris Hebræorum Grammaticus.

R. Elieser Auctor libri Berachot, id est Benedictionum.

R. Jacob Cohen explicatio libri Jetzirah.

R. Joseph Castiliensis Cabalista, cujus est liber Nucum, & porta lucis.

R. Isaac explanatio nominis sancti.

R. Juda, qui ab Hebræis Rabbenu Hakados, id est Magister noster sanctus nuncupatur, vir magni nominis inter suos, Auctor Mischnæ, quæ est quasi secunda lex, qua utuntur Hebræi.

R. Moyses Ægyptius, qui doctissimum librum conscripsit More Hanevochim Ducem dubitantium, de dubiis perplexis veteris Testamenti stylo difficili, & scholastico. Patriam habuit Cordubam, sed dictus est Ægyptius, quia in Ægypto habitavit. Primus fuisse videtur, qui inter Judæos desierit nugari; idèd à suis celebratur hoc dicto: A Moysè (Legis latore) usque ad moysen (hunc scilicet dictum Maymonidem) nemo fuit sicut iste Moyses.

R. Simeon Ben Joachai Auctor libri Zoar, quo fundamenta ponuntur vanæ artis Cabalisticæ.

Radulphus Ardens ferventissimus concionator.

Radulphus Glaber Monachus, Historiarum sui temporis accuratissimus Scriptor, quem Baronius, & alii meritò reprehendunt, quod velit Romanum

FFFFF 3

manum

manum Pontificem, nihil posse extra suam Diocesim.

Radulphus de Rivo Decanus Tungrensis tenacissimus antiquitatis in divinis officiis, ut constat ex ejus libro de Canonum observantia.

Raimundi Marini Ordinis Prædicatorum Pugio fidei adversus Mauros, & Judæos, liber aureus, post quatuor sæcula è tenebris erutus, & novissime impressus Parisiis cum variis, & doctissimis observationibus eximii viri Joseph Voisin Burdegalen. ex quo Galatinus, ut supra dixi, optima quæque in sua arcana transdidit, suppresso penitus auctoris nomine.

Raimundi de Sabunde Theologia Naturalis valde ingeniosa, praxim continens Artis magnæ Raimundi Lulli. Adrianus Turnebus dicebat hunc librum esse quintam essentiam D. Thomæ.

Rampertus Episcopus Brixienfis S. Philastri Encomiastes in libro de ejus translatione.

Ratramni Corbejenfis Monachi contra Græcorum opposita libri IV. edito tō. 2. Spicilegii à V. CL. Luca Dacherio.

Raphael Volaterranus, vir multæ industriæ ac doctrinæ, ac veterum Auctorum laboriosissimus excerptor, qui inter cætera ingenii sui monumenta reliquit libros 38. urbanorum Commentariorum, quibus omnia comprehendit.

Ratperrus Monachus, Poeta pius, & simplex.

Remigius Antissiodorensis Monachus, cujus est in Prophetas minores luculenta enarratio miram brevitate cum perspicuitate complectens.

Rhegino Abbas Prumiensis non inut ilis Historiographus.

Richardus à S. Laurentio probæ notæ Auctor, B. Virginis eximius laudator, stylo simplici.

Richardus à S. Victore, vir scientia cautus, lingua disertus, divinæ contemplationis subtilissimus Magister.

Richardus Pampolitanus Anglosaxo Eremita, pius Scriptor.

Robertus Bellarminus Cardinalis omni scientiarum genere excultus, & summa imbutus pietate.

Robertus à Flud. Oxoniensis Eterodoxi inanissimæ subtilitatis opera, nimirum utriusque Cofini Historia, Philosophia Mosaica, & alia; quibus merito Græcum proverbium convenit, magnus liber, magnum malum.

Roderici Episcopi Zamorensis speculum vitæ humanæ omnium statuum bona & mala optimè representans.

Ruffinus Aquilejensis non minima pars Doctorum Ecclesiæ, ut ait Gennadius, vir elegantis ingenii, D. Hieronymi quondam amicissimus, postea adversarius, de quo extat Censura Gelasii Papæ, cap. *Sancta Romana, distinct. 15.*

Rupertus Abbas Tuitiensis pietate eximius, eloquio nitidus, sensu profundus; erravit tamen circa Sacramentum Eucharistiæ errorem astruens impationis, ut Ballarminus observat, & ex scriptis ejus manifestum est.

Ruricus Lemovicensis Episcopus, cujus extant Epistolæ elegantes, & artificiosæ.

Rustici Cardinalis disputatio contra Acephalos. Hic autem damnatus fuit sub Vigilio Papa ob pertinacem trium capitulorum defensionem.

Rusticus Helpidius V. C. & exillustri Boetii æqualis, qui summam tribus versibus heroicis, plebasque Historias utriusque Testamenti non sine actimine, & venustate complexus est.

Rutilius Numantianus Gallus egregius Poeta, nisi quod Christianus, præsertim verò Monachus, iniquus est.

S.

Salonius Episcopus Viennensis in Gallia, qui proverbialia, & Ecclesiasten mysticè explicavit. Hunc fuisse Episcopum certum est, sed an fuerit Viennensis dubitat Baronius an. 441.

Salvianus Presbyter Massiliensis, cultus, ac pius Auctor. novus sui temporis Hieremias.

Sallustius Græcus Philosophus Cynicus, Auctor doctissimi libelli de Diis, & Mundo.

Sallustius Historicus admirandus, florentissimæ brevitatis artifex; cujus dictionem Asinius Pollio damnabat tanquam obscuram, & in translationibus audacem: ab Augustino autem *lib. de vita beata*, electissimus verborum pensator nuncupatur.

Sanctus Pagninus Hebraicarum literarum, & divinæ Scripturæ peritia insignis.

Sapho Lesbica suavissima in Lyricis Poetria.

Saxo, Grammaticus vividus, & elegans Historicus, sed fabulator quandoque, & sublestæ fidei.

Sebastianus Foxius Morxillus Platonis Interpretæ doctus, nobilis, sinelabe.

Secundi Atheniensis Sophistæ, quem Suidas crasso errore confundit cum Plinio Secundo, aureæ sententiæ.

Sedulius florentissimus Scriptor, & optimæ, ac Christianæ venæ Poeta.

Seneca Sapientiæ fons, ac virtutis studio penè Christianus, expurgandus tamen ab erroribus Stoicorum.

Seneca Junior Tragedus tersus, & gravis; sed ei tribuæ Tragediæ non unius Poetæ sunt. Octaviam censent nonnulli L. Flori esse, cujus est Epitome Rerum Romanarum, qui adoptione dictus est Annæus Seneca.

Sergius Hieropolitanus Christianus, & disertus Orator.

Servius Honoratus celebris Grammaticus, & Virgili Commentator.

Seyeri

Severi Rhetoris, & Poëtae Christiani carmen Bucolicum.

Severianus Cabalensis Episcopus antiquus, & eloquentissimus Scriptor, sed ob æmulationem S. Joannis Chrysothomi minus secundam posteritatis famam meruit, ut ait Petavius in Rationario.

Sexti Empyrici subtilissimi Philosophi, Plutarchi ex sorore Nepotis, libri admirabiles adversus Mathematicos, & Pyrrhoniæ hypotyposon.

Sidonius Apollinaris Arvernorum Episcopus, vir acris ingenit, & cothurnatæ eloquentiæ, sed stylo duro & obscuro ob corruptum à Gothis sæculum.

Sigibertus Gemplacensis Monachus, utilis, & laudabilis Historicus, nisi quod Gregorio VII. iniquior fuit, & in gratiam Imperatoris multa mentitus est.

Silius Italicus Orator verius, quam Poëta, qui, ut ait Plinius, carmina scripsit majore cura, quam ingenio.

Simplicius magnus Philosophus, Platonis, & Aristotelis conciliator, ac utriusque sectator, & Epicæti Stoici Commentator. Non tamen Christianus fuit, ut quidam perperam existimant.

Simeon de Cassia vir admodum pius, & fervens, cujus est insigne opus de gestis Domini Salvatoris.

Simeon Metaphrastes vir Sanctus Sanctorum vitas descripsit, in quibus quid observandum sit docent Bellarminus de script. Ecclesiasticis, & Baronius sæpe in Annalibus. Bollandus tamen cum severiori censura immeritò perstrictum ait in præf. generali ad Acta Sanctorum cap. 1. §. 3. Vixit tempore Leonis Filii Basilii Macedonis.

Simeonis Præpositi Monasterii S. Mamantis, quem Græci novum Theologum post Nazianzenum vocant, orationes & opuscula sancti documentis plenissima. Sunt qui huic confundant cum Simeone Metaphraste, sed ex hujus scriptis colligitur ipsum vixisse annis circiter CCL. post Metaphrastem.

Simeon Wangnereck è Soc. Jesu vir doctus & pius, qui pietatem Marianam Græcorum ex eorum Menæis luculenter exscripsit.

Smaragdus Abbas divinæ scientiæ lumine imbutus, qui cum S. Ardone Smaragdo à plerisque confunditur.

Socrates Constantinopolitanus Ecclesiasticæ Historiæ scriptor, Hæreticus Novatiacus, quem Photius ait nec styllum splendidum habere, nec in dogmatibus esse accuratum.

Solinus Polyhistor Plinii transcriptor sæpè dormitans, qui tamen Plinii curæ quædam adjecit.

Sophoclis Tragediæ graves, acutæ, sublimes. Divinum Poëtam vocat Cicero 2. de Divinat.

Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, cujus elegans & declamatorium ingenium in variis, quas scripsit, orationibus clucet.

Sosipater Charisius doctus, & antiquus Grammaticus.

Sozomenus Salaminius Historicus Ecclesiasticus ab Ecclesia alienus, & parum verax.

Speusippi libellus valde utilis de definitionibus Platonis.

Stadius Papinius Neapolitanus, summus, & egregius Poëta.

Stephani Abbatis, & postea Episcopi Tornacen. Epistolæ elegantes, & curiosæ.

Stephani Eduensis Episcopi præclarum opus de Sacramento Altaris.

Stephanus Forcatulus Jurisprudencia, Philosophia, & varia præditus eruditione.

Strabo Amasenus Princeps Geographorum, quem frustra conatur de sui operis possessione desicere Franc. Patricius lib. 3. *Peripatetic. discussionum*, ut cuidam Stratonis tribuat. Castigandus autem videtur Strabo, quod Historias, & Philosophicas disputationes Geographiæ miscuerit.

Suetonius Tranquillus Historicus emendatissimus, & candidissimus, liber, & concisus, qui vitas Cæsarium scripsit pari libertate, ac ipsi vixerunt, ut censet D. Hieronymus.

Suidas Monachus Byzantinus Grammaticus eruditissimus, & admirabilis.

Symmachus V. C. mirabili eloquio, & scientia præditus, sed Christianis infensus.

Symposius Poëta ænigmatum Scriptor non contemnendus.

Symphoriani Camperii Lugdunen. Platonica Symphonia, iis valde utilis, qui Platonica doctrinæ student.

Synesius Crenensis Episcopus, qui in suis scriptis Platonem, Demosthenem, ac Pindarum exhibet nobis Christiano ore loquentes.

T.

Tatiani florentissimus liber adversus Gentiles. Sed post martyrium S. Justinii, cujus erat auditor, factus est Tarianus Hæresiarcha.

Terentius tertissimus Comicus, quem Cicero elegantissimum vocat. Sunt qui putant eum in componendis Comædiis adjutores habuisse C. Lælium, & Scipionem Amilianum, nec ipse negat, ut constat ex Prologo Adelphorum.

Terentianus Maurus, qui librum de metris scripsit versibus difficilibus, & laboriosis.

Teridii Presbyteri nomine scripta Regula Monachorum, quæ S. Cæsarii est, cujus Teridius Nepos fuit.

Tertullianus Presbyter acris, & vehementis ingenii, & in loquendo obscurus, disertior quam felicior, ut de eo loquitur Vincentius Lirinensis, cujus lapsus nos admonet, non altum sapere, sed timere, Thalassii

Thalaffii Monachi Centuriæ spirituales de charitate, continentia, & regimine mentis.

Themistius Euphrades, id est eloquens sapientiæ, ac regiæ disciplinæ thesaurus. Non tamen fuit Christianus, ut quidam putant, licet Christianos Impp. laudaverit. Præceptorem suum vocat Augustinus in fine libri de Categoriis.

Theocritus floridissimus Bucolicorum Princeps.

Theodoretus Episcopus Cyrensis fluidus, copiosus, & undequaque doctissimus.

Theodorus Balsamon Patriarcha Antiochenus Canonum Interpres sæpè vacillans & Ecclesiæ Romanæ adversarius.

Theodorus Gaza Thesalonicensis, Græcæ, & Latinæ linguæ scientissimus, quem Pomponius Lætus sui ævi doctissimum existimavit. Erat in eo summum doctrinarum studium, cum summa eloquentiæ facultate.

Theodori Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lectoris collectanea ex Ecclesiastica Historia.

Theodorus Peltanus Catholicæ doctrinæ adversus Novatores defensor acerrimus.

Theodorus Prodromus vir excellentissimus seu versu, seu prosa; seu sacra, seu profana scribat, sed fuit Schismaticus.

Theodorus Studites vir admirandus, potens opere, & sermone.

Theodoricus Erfordiensis Scriptor vitæ S. Dominici.

Theodulfus ex Abbate Floriacensi Episcopus Aurelianens. tam versu, quam prosa excellens.

Theofridus Abbas, cujus extant sermones nitidi eloquii de Reliquiis & veneratione Sanctorum.

Theoleptus Philadelphiae Metropoli suavis hymnographus.

Theo. Smyrnæus Mathematicus, cujus opuscula multa in variis Bibliothecis M. SS. supersunt. Quædam edidit Ismael Bulliardus, qui cum Plutarcho coævum fuisse arbitratur.

Theophanes Byzantius, qui res gestas sub Justino II. libris 10. eleganter prosequitur.

Theophanes Cerameus Archiepiscopus Tauromentæ in Sicilia, cujus extant Hymni sacri, & orationes.

Theophanis Episcopi Niceni Hymni pro Ecclesiasticis officiis.

Theophilaetus Bulgarorum Archiepiscopus Schismaticus, qui ex Chrysostomo sua in Scripturam Commentaria compilavit.

Theophilaetus Simocatta, cujus præter Historiam extant quæstiones Physicæ, & Epistolæ agrestes, morales, amatoricæ: stylum habet venustum, sed dum nimis elegantiam sectatur in cacozelon, & puerilem affectationem incidit.

Theophili Alexandrini Epistolæ Paschales utiles, & doctæ.

Theophilus Episcopus Antiochenus primigenium Ecclesiæ spiritum in suis lucubrationibus ostendens.

Theophili Protospatarii lib. v. exquisitissimi de hominis fabrica.

Theophilus Raynaudus omni doctrina, & eruditione refertus, multitudine librorum quos scripsit omnibus notus.

Theophrastus Philosophiæ decus, divinæ vir eloquentiæ, unde & nomen ab Aristotele magistro suo accepit, cum prius Tyrtamus diceretur.

Theosterictus politus & amœnus in Hymnis, & in Historia.

Thomas sanctimonialis auctrix vitæ S. Febronæ Virginis, & Martyris.

Thomas Aquinas doctor Angelicus, Princeps Theologorum Scholasticorum.

Thomas Cantipratanus Ord. Prædicatorum sub figura Apum librum scripsit de officio Prælatorum, & subditorum, quo miracula sui temporis verè, & fideliter describit.

Thomas Cisterciensis Cantica Cantorum exposuit stylo conciso & aspero; crebrisque divisionibus intricato.

Thomas de Vio Cajetanus profundus Theologus, & Interpres Sacræ Scripturæ; vir summi ingenii, nec minoris pietatis.

Thomas Dempster optimæ notæ Philologus, & rerum Scotticarum Historicus.

Thomas de Villanova Archiep. Valentinus, qui sanctitate, & doctrina universam Hispaniam illustravit.

Thomas de Kempis simplici stylo magnam tradens doctrinam spiritus.

Thomas à Jesu Carmelita exalceatus vir multiplicis doctrinæ, & in praxi mysticæ Theologiæ singulariter eruditus.

Thomas Waldensis Carmelita magno pollens ingenii acumine, ut ex doctrinali fide colligitur quo hæreses extirpantur.

Thucydides omnium cultissimus, & verax Historicus, stylo sæpè durus, nec satis rotundus, ut ait Cicero; de qua re etiam reprehenditur à Dionysio Halicarnasæo. Demosthenes autem tanti eum fecit, ut octies manu sua scripserit.

Titus Bostrorum Episcopus Sectam Manichæorum doctè confutavit, & Evangelium secundum Lucam explicavit. Sed hanc Lucæ expositionem falsò huic tribui censeo, nam citantur in ea Chrysostomus, Cyrillus, & alii Patres, qui post ipsum floruerunt.

Titus Livius Historiæ Latinæ Princeps, lactea ubertate fluens, cui tamen Asinius Patavinum objecit, Lipsius frigidum aliquando, & supinum agnoscit.

Trebellius

Trebellus Pollio nobilis Historicus cujus dictio paulo altius asurgere censetur, quam conveniat Historico.

Tycho Brahe Excellentissimus Astronomus, qui in siderum observatione nulli priorum cedit.

Tychonius Afer Donatista, cujus meminit Augustinus *lib. 3. de doct. Christi.*

Turcius Ruffus Asterius, cujus est Collatio veteris, & novi testamenti venusto carmine expressa, à quibusdam Sedulio, ab aliis Claudiano Mamerto adscripta.

V.

Valerianus Cemeliensis Episcopus, quem Theophilus Raynaudus erudita Apologia liberare nititur à suspitione Sempelagianismi.

Valerius Flaccus felicitatis ingenii, & magni iudicii Poeta, sed imperfectum Argonauticorum opus reliquit.

Valerius Maximus rerum varietate conspicuus, in plerisque acutus, & subtilis, in plerisque durus, & abjectus, labe quoque adulationis vilescens.

Valerius Probus Grammaticus, vir multæ industriae in notis antiquorum explicandis.

Vegetius disciplinae militaris eloquens, & doctus Scriptor.

Venantius Fortunatus Pictaviensis Episcopus nitida venæ Poeta, quem Hilduinus virum prudentem, & scholasticissimum appellat.

Victorinus Episcopus non Pictaviensis, sed Petavionensis, seu Pitabionensis in superiori Pannonia, & Martyr, quem Opratus Mileviranus, ut insignem hæresum debellatorem laudat *lib. 1. Hieronymus* autem eum enumerat inter Chilianthes in c. 36. *Ezech.* Nihil ejus superest præter Commentarium in Apocalypsim, de quo etiam dubitamus, an sit legitimum.

Victor Carthænae in Mauritania Episcopus, stylo & dictione sublimis, cujus liber de Pœnitentia inter opera D. Ambrosii reperitur. Philippus Labbe ex Codicibus M. SS. docet hunc librum esse alterius Victoris Turonensis item in Africa Episcopi.

Victor Gifelinus Prudentii scholiastes non admodum accuratus.

Victor Episcopus persecutionis Wandaliæ in Africa Scriptor, & particeps. Hic Episcopus Uticensis per errorem vocatur. Nam ut notat Franciscus Chiffletius in notis ad vitam S. Fulgentii scriptam à Ferrando, quo tempore hic scripsit, erat Episcopus Uticensis Florentinus. Victor itaque Episcopus Vitenfis fuit, & postea Primas Byzacenus, in qua Provincia est Civitas Vitenfis. Ita Chiffletius ex antiquo Codice MS.

Vigilii Episcopi Tapitani in Provincia Byzacena libri 5, adversus Eutychem, hæcenus tributi

Vigilio Martyri Episcopo Tridentino, cujus esse non posse, jam agnoverat Baropius. Verus Auctor repertus est in Cod. MS. Monasterii S. Eugendi, sive S. Claudii Jurensis. Idem Chifflet. præf. in Ferrandum.

Vincentius Beluacensis vir omniscius, ac plurimæ lectionis, ut ex ejus quadruplici speculo constat.

Vincentii Ferrerii viri sanctissimi Opusculum de vita spirituali cœlesti plenum sapientia.

Vincentius Galileus, qui doctissimum tractatum edidit de antiqua, & nova Musica, planè necessarium ad Musicam nostri temporis corrigendam.

Virgilius Maro Poeta absolutissimus, dictus Plauto Poetarum ab Alexandro Severo, ut refert Lampridius, omnium optimus, & incomparabilis.

Vitruvius, cujus sunt de Architectura notissimæ, & omni laude dignæ lucubrationes.

Ulpianus Rhetor Demosthenis scholiastes creditus, quem inter sapientes enumerat Athenæus in Cœnis.

Uranus, sive Oranius, qui vitam B. Paulini descripsit.

Urbani Quarti Rom. Pontificis pia Metaphrasis in Psalmum 50.

Walfridus Strabo, vir sapiens, & literarum scientia illustris. Fuit Monachus Fuldenfis, postea Decanus S. Galli, demum Abbas Augiæ divitis: qua de causa quidam decepti, duos Strabones fecerunt, unum Monachum Fuldensem, alterum Augiæ Abbatem, cum idem sit.

Willelmus Malmesburienfis Monachus rerum Anglicarum luculentus Historicus.

Wolfgangi Lazii Viennensis eruditissima Romanae Reipub. Commentaria.

X.

Xenophon Summus Philosophus, magnus Historicus, suavis Orator, Apis Attica, dictus à Suida, cujus stylus dulcor melle à Tullio dicitur, & cum quadam lenitate fluens. Cyripædia non ad fidem Historiæ, sed ad effigiem justii imperii ab eo scripta est, ut idem Tullius affirmat. *lib. 1. Epist. 1. ad Q. fratrem.*

Xenocratis Platonici insignis libellus de morte.

Z.

Zachariae Scholastici, ac postea Episcopi Mytilenes subrilissima disputatio de Mundi opificio contra Philosophos.

Zeno Veronensis Antistes acumine ingenii, styli præstantia, rerumque divinarum peritia clarissimus.

Zonaras Historicus gravis, & copiosus, sed in quo majorem curam desiderant Critici Recentiores.

Gggggg

Zero-

Zeroastris oracula Magica, seu verius recondita Philosophiæ artificiosum compendium: non autem revelationes sub ejus nomine à Gnosticis evulgatae. Dubium est autem, fuerint hic Baſtrianorum

Rex, an alius recentior, de qua re doctè & eruditè Sam. Bochartus P. 1. Geogr. sacrae lib. 4. cap. 1. Apulejus 2. Florid. ait Zeroastrum Pythagoræ præceptorem fuisse.

Proſpectus Operis per Capita & Paragraphos.

CAPUT I.

De antiquitate, & excellentia divinæ Psalmodiæ.

- §. 1. **A**ntiquitatis quanta sit vis. Divinarum laudum antiquissima origo. Religio solius hominis propria. Cur homo recta statura. Ignorantia malorum radix. Dei cognitio difficillima. Quaedam obiter adversus Atheos. 649
- §. 2. Sensum Religionis hominibus imatum Dei existentiam probare. Divina laudis initium ab Angelis, imò ab ipso Deo. Unde sumi debeat Ecclesiastica Psalmodiæ origo. 655
- §. 3. Vigiſſe semper divini cultus studium, à primis parentibus usque ad Christum. Testimonia infidelium de precibus, & Hymnis primorum Christianorum. 657
- §. 4. Testimonia sanctorum Patrum de sacra Psalmodiæ ab orbi Ecclesiæ, & deinceps temporum serie servata. Addita quedam de ejus excellentia, & de perenni Psalmodiæ in quibusdam Ecclesiis instituta. Desiderium laudandi Deum. Tacti obiter quidam Ecclesiastica hymnodia calumniatores. 660

CAPUT II.

Quibus de causis certæ quædam horæ ad psallendas Deo laudes fuerint instituta.

- §. 1. **V**aria nomina Horarum Canoniarum explicantur. Cur divina mysteria symbolis, & allegoriis occultarint antiqui. 667
- §. 2. Prima ratio institutionis Horarum ex

D. Cypriano. Secunda ex Amalario Fortunato, & Honorio Augustodunensi. 670

- §. 3. Tertia ratio ex Hugone Victorino. Quarta ex communi scriptorum sententia ob Dominicæ Passionis memoriam. 672
- §. 4. Quinta, & sexta ratio in gratiarum actionem ob divina beneficia. Septima per analogiam ad ætatem humanam. Addita quedam de brevitate vite. 673
- §. 5. Octava ratio ex parabola Evangelicæ laborantium in vinea. Nona ex mystica septenarii numeri significatione. Etiam infideles stas horis orare. Errores Cabalistarum obiter indicantur. 675

CAPUT III.

De varia diei, ac noctis divisione.

- §. 1. **Q**uid dies, quid nox sit. Prima diei divisio in naturalem, & artificialem. Diei civilis initia varia apud varias gentes. Hora nomen equivocum. 679
- §. 2. Hora unde dicta. Figmenta Poetarum de Horis. De usu horologiorum apud veteres. Hora olim nunciata à servis. Vetus dies Christus est. 682
- §. 3. Secunda divisio diei naturalis antiquo Romanorum more. Tertia divisio diei, & noctis artificialis. Cur divisa dies in 12. horas. De horis equalibus, & inæqualibus: In vicissitudine diei & noctis rellucet mirabiliter Dei providentia. 685
- §. 4. Dies in quatuor præcipuas partes divisa ab Antiquis. Item nox: Quid stationes, quid Vigilia sint. Quota hora quodlibet officium celebrandum. Quot sint partes officii. 690

CAPUT

CAPUT IV.

De Nocturnis Vigiliis.

- §. 1. **C**ur nocte orandum sit. Etiam Ethnicos nocturnas vigiliis celebrasse in honorem Deorum. Exhortatio ad vigilandum. Oratio ut mystica fugentur tenebrae. 693
- §. 2. Laudes vigiliarum. Exemplum vigilantium. Nocturnum tempus maxime opportunum ad orandum. 697
- §. 3. A seclariis damnari vigiliis. Quota hora nocturna synaxis persolvi debeat. Somnus post vigiliis Monachis interdictus, & cur. Oratio ad Deum, ut excitet nos. 700
- §. 4. Amor exvigilare facit. Quomodo vigilandum sit. Quae sint Vigilia mystica. 703

CAPUT V.

De Laudibus.

- §. 1. **A**n Laudes sint officium distinctum à Nocturnis. Matutini nomen equivocum. Laudes incipiente crepusculo persolvendae sunt. Quid sit crepusculum, quae ejus duratio. 705
- §. 2. Cur Matutini, & Laudum nomen huic officio tribuatur. Matutina orationis praerogativa. Eiusdem rationes mysticae. Lucis, & Aurora encomia. 708
- §. 3. Matutinum tempus aptissimum contemplationi. Quae sit mystica lux anima. Tota nocte quaeritur sponsus; non nisi in Aurora inveniendus. Oratio ad Deum, ut verum lumen oriatur in nobis. 712
- §. 4. Lucta Jacob usque ad auroram, quid symbolicè, & moraliter indicet. Denique hortatio ad laudandum Deum. 714

CAPUT VI.

De Prima.

- §. 1. **O**randum esse post solis ortum. Laudatur sol, ejusque ortus describitur. Fabula Memnonis. De cultu solis, & ejus falsa Apotheosi. Inter priscos adorantium ritus etiam oscula adhibita. 716

- §. 2. Omnes Ethnicorum Deos referri ad solem. Cur oremus versus Orientem. 720
- §. 3. Veterum opiniones de sole. Verus Sol adorandus qui est Christus. Quis sit ignis obscurans solem. Cur oremus hora Prima, 723
- §. 4. De Matutinis salutationibus. Prima quando fuerit instituta, & qua hora persolvi debeat. 725

CAPUT VII.

De Tertia.

- §. 1. **H**ora Tertia mysteria. Numerus Ternarius commendatur. 726
- §. 2. Hora tertia oramus ob adventum Spiritus sancti. Gratia sancti Spiritus quid operetur in anima. 728
- §. 3. Quid sit portare spiritum, & vivere in spiritu. Oratio ad Spiritum sanctum. Cur hac hora aurea, & sacra nuncupetur. 729

CAPUT VIII.

De Sexta.

- §. 1. **D**ivina majestas in sole praecipue elucet. Solis, & Dei comparatio ex sanctis Patribus. 731
- §. 2. Effectus solis in meridie quomodo impiis, & justis conveniant. Quid sit meridiès. Affectus sponsae quaerentis ubi pascatur, ubi cubet sponsus. Cur meridie oremus. Meridies laudatur. 733
- §. 3. Demonium meridianum quid sit. Sextae horae mysteria ex sacris libris. Hac hora crucifixus est Christus. 736

CAPUT IX.

De Nona.

- §. 1. **H**umanarum rerum inconstantia. Ea per Nonam designatur. Utilitas temptationum. 739
- §. 2. Numerus Novenarius infaustus. Hora Nona mysteria. Cur oremus hac hora. 741
- §. 3. An hora nona cibum sumerent Antiqui. Quinam semel, qui pluries in die olim reficerentur. Christianorum qui mores de eadem re, & qua hora jejunium solverent. 743

CAPUT X.

De Vesperis.

§. 1. **M**ysticus solis occasus. Quid sit solem oriri, & occidere. Dicta quedam breviter de cognitione sui. Humanarum rerum magnam esse vicissitudinem. 748

§. 2. De eo quod scriptum est. Ad Vesperum demorabitur fletus. Dictum obiter de utilitate lacrymarum. Vesper contemplationem significat. 750

§. 3. Magna esse vespertini temporis Sacramenta. Notantur quedam de Epistolis laureatis. Pacis encomium, & ad eam exhortatio. 753

§. 4. Vesperarum ex novo testamento pre-rogativa. Vesper mundi finem significat. Oratio ad Dominum, ut nobiscum manere dignetur. 755

§. 5. Quid sit Vesper, & qua ejus Ethymologia. Qua hora vespertinum officium persolvi debeat. Notantur quedam de Lucernario, & hora Lucernari. Mores nostros ab antiquis multum distare. 757

CAPUT XI.

De Completorio.

§. 1. **C**ompletorium cur sic dictum. Quare a Lektionem inchoetur. Offensum contra quosdam Sanctum Benedictum primum Completorii institutorem fuisse. 759

§. 2. Completorium qua hora celebrandum. Admonet nos finis nostri. Mystica ejus significationes. Quae sit bona, & vivificans mors, quam justis optant. 762

§. 3. Hora Completorii obtulit Abraham sacrificium. Contemplationis series ex eodem sacrificio explicatur. Deprecatio pro dono contemplationis. 765

§. 4. Completorio ferventius adesse debemus multis de causis. Somnus imago mortis. 768

CAPUT XII.

De Officio parvo Beatæ Virginis.

§. 1. **Q**uam difficile sit de Maria laudibus scribere. Cur negotium omnium

seculorum dicatur esse. Ejus cultum semper viguisse. Ad ipsam B. Virginem deprecatio. 769

§. 2. Officii parvi B. Virginis memorabilis institutio. Eius origo antiquior, quam vulgus putet. Deipara encomia, & ad eam saluatio. 772

§. 3. Ritus officii explicatur. Ordo Cisterciensis specialiter Deipara dicatus est. Exhortatio ad implorandum in omnibus Maria nomen, & auxilium. 775

CAPUT XIII.

De Officio Defunctorum.

§. 1. **C**ur Oremus pro Defunctis. Quedam de Purgatorio. Qua peccata in eo puniantur. Voces purgantium animarum. 777

§. 2. Quot, & quibus operibus animabus defunctorum suffragari possimus. Officii pro defunctis quam antiqua sit institutio. Cur certi quidam dies sacris pro mortuis offerendis tribuantur. 779

§. 3. Quo ritu officium defunctorum celebretur. Dicta quedam de mortis recordatione. Qui mores Ethnicorum erga defunctos, deque variis sepeliendi modis. Qui mortui plangendi. Purgatorii acerbitas, & ad illud declinandum adhortatio. 781

§. 4. Indicantur Auctores, qui fidem Purgatorii, ritumque orandi pro defunctis asserunt. Adhuc quedam ex profanis scriptoribus de funerandi ratione. 785

CAPUT XIV.

De Psalmis Pœnitentialibus, & Litanis.

§. 1. **P**œnitentia utilitas, & effectus. De Psalmis Pœnitentialibus, eorumque usu. Laudes pœnitentia. Cur septem tantum sint Psalmi Pœnitentiales. 787

§. 2. Notantur quedam de singulis Psalmis Pœnitentialibus. Denique adhortatio ad pœnitentiam. 790

§. 3. Litania quid sit, & quotuplex. Litaniarum vis & efficacia. 796

C A

CAPUT XV.

De Psalms Gradualibus.

§. I. **Q**uindecim Psalms Gradualibus totidem gradus Christiane perfectionis inuicari. Vita spiritualis triplicem esse statum. De ascensione mentis in Deum. Quindecim animae dignitates ex Abbate Cellensi. 798

§. 2. *Quinque gradus incipientium*: omne mortale, omne veniale crimen deserere; diuitias, ac dignitates contemnere: prauos motus cohibere: proprium iudicium, & propriam voluntatem abnegare. Quae sint purgati animi indicia. 800

§. 3. *Quinque gradus Proficientium*: Virtutes omnes acquirere, virtutum exemplar aliis esse, iustitiae vias docendo demonstrare, se humilem in omnibus exhibere, omnes irrisiones & detractiones patienter ferre. 804

§. 4. *Quinque gradus perfectorum*. Orationis studium, purissima intentio, in omne opus bonum magno impetu ferri, velle semper quod vult Deus, adherere Deo, & unum fieri cum eo spiritum intimo charitatis affectu. 807

CAPUT XVI.

De singulis Partibus Divinae Psalmody.

§. I.

De Oratione Dominica.

Ostenditur ex Patribus dignitas, utilitas, & efficacia hujus orationis. Petitionum ordo, & congruentia ex D. Thoma. Quinam possint hanc orationem rite, ac jure recitare. Quoties, & quo ritu in divinis officiis recitetur. 810

§. II.

De Angelica Salutatione.

Ejus dignitas, & excellentia demonstratur. Quando, & à quibus fuerit instituta. Cur in divinis officiis recitetur. 813

§. III.

De Symbolo Apostolorum.

Quando, & à quibus fuerit institutum. Quaedam de symboli ratione. Laudes symboli ex Patribus. Quoties, & quo ritu dicatur. Cur hoc symbolum Romanum nuncupetur. 814

§. IV.

De Horarum initio.

Cur à Versu Domine labia mea aperies, incipiat nocturna synaxis. Quid sit mystice aperiri labia. Completorio cur praeferatur hic Versus, Convertite nos Deus salutaris noster. Conuersio vera qua sit. Ira Dei duplex. Usus multiplex hujus Versiculi, Deus in adiutorium meum intende. 819

§. V.

De signo Crucis.

Hora Canonica à signo Crucis incipiunt. Signi hujus antiquitas, & virtus ex sanctis Patribus. Qua ratione manu exprimat. Alia quadam de Cruce obiter notantur. 822

§. VI.

De Gloria Patri.

Varij errores recensentur, & confutantur de Hymni hujus origine, & institutione. Quid sit Deum glorificare. Vera gloria qua sit. Inanis gloria sugillatur, laudatur humilitas. 825

§. VII.

De Alleluja.

Hujus vocis praeconia ex Patribus. Cur ex Hebraico in Graecum, vel Latinum idioma non sit translata. Cur certis diebus intermittatur. Cur prolixiori modulatione cantetur. A quo primum cantari coeperit. Ejus multiplex usus. Quid Latine significet. Addita quadam ex Hebraico fonte de decem praecipuis nominibus Dei. 828

Gggggg 3 §. VIII.

§. VIII.

De Invitatorio.

Cur Psalmus nonagesimus quartus, & quo ritu nocturnis vigiliis præmittatur. Brevis ejusdem Psalmi explicatio. 834

§. IX.

De Hymnis.

Hymnorum usus antiquissimus. De Hymnis Orphei. Varia genera Hymnorum. Laudantur Hymni ex sacris, & prophanis auctoribus. Quid sit Hymnus. Quo ritu cantari soleant. 837

§. X.

De Antiphonis.

Quid sit Antiphona. Quis primus fuerit Antiphonarum institutor. Alterni cantus antiquitas charitatem designat. Suspiria amantis animæ. 841

§. XI.

De Psalmis.

Psalmorum encomia ex Patribus. Psalterium compendium est omnium scientiarum. Divisio Psalterii. Psalmus quid sit, Usus Psalmorum laudabilis, antiquissimus. 844

§. XII.

De Canticis.

Quomodo inter se differant Psalmus, Canticum, Canticum Psalmi, & Psalmus Cantici. Canticum quid sit. De Canticorum usu, numero, materia, & antiquitate. De Cantico Te Deum laudamus. Per alia Cantica properandum esse ad Cantica Canticorum. 847

§. XIII.

De Versibus.

Versus unde dicatur. Quid significet. Aliquot versuum explicatio. Cantica Evangelica cur stando psallantur. 850

§. XIV.

De Lectionibus.

Antiquitas, utilitas, & excellentia sacramentorum Lectionum. Ritus Lectionum explicatur. De benedictionibus. Cur Prælati Dominus, & non Dominus nuncupentur.

Dicta quadam obiter de hac voce. Sacra scriptura cur despicitur. 851

§. XV.

De Responsoriiis.

Responsoria quid significant. Cur prolixius cantentur. Quis eorum auctor. Quo ritu dicantur. 857

§. XVI. De Capitulis.

Capitulum quid sit. Quare singulis horis, & quo ritu recitetur. 859

§. XVII. De Collectis.

Collecta nomen aquivocum. Collectarum primi auctores. D. Benedictus benedictionis nomine collectam indicat. De salutatione Dominus vobiscum, qua collectis præmittitur. Notantur quadam de ultima collectarum clausula, & de hac voce Amen. ibid.

§. XVIII.

De Symbolo Athanasii.

Quando Symbolum scripserit Athanasius. Cur die Dominica recitetur. Notantur obiter hujus diei prærogativa. 863

§. XIX.

De lectione Martyrologii.

Exemplorum quanta sit vis. De Cruciatibus sanctorum Martyrum. De usu, & ritu legendi Martyrologium. 864

§. XX.

De precibus, & suffragiis, atque de fine Officii.

Cur ad Primam, & Completorium quedam preces certis diebus recitentur. Cur etiam in Laudibus, & Vesperis commemorationes sanctorum fiant, itemque sanctæ Crucis, & deprecatio pro pace. De Versu, Benedicamus Domino. De oratione ad B. Virginem, qua dicitur in fine cujusque horæ. Quis Antiphonam Salve Regina composuerit. 867

CAPUT XVII.

De Cantu Ecclesiastico.

§. I. **L**audatur univèrsim Musica, ejusque varii, & admirabiles effectus enumerantur. 868

§. 2.

- §. 2. *Dicitur quadam de harmonia mundi. Inesse musicam singulis rebus. Origo Musica. De cantu Ecclesiastico. Eum antiquissimum esse. An instrumenta musicalia admittenda in Ecclesia. Primus organorum usus.* 875
- §. 3. *Cantus Ecclesiastici qui fuerint primi inventores. De Musicis, & Cantoribus, eorumque discrimine. De Tonis, seu modis tropicis. Omnem Musica mutationem malam esse. Cur ab hodierna musica non idem effectus sint, qui ab antiqua. Actum obiter de triplici genere cantus Draconico, Chromatico, Enharmonico.* 878
- §. 4. *De singulis Tonis, eorumque proprietatibus, & effectibus. Quadam de cantu Gregoriano.* 882
- §. 5. *Qualis esse debeat Ecclesiasticus cantus. Que vitia à Cantoribus evitanda. Quinam censeantur bene cantare. Que vera Musica, quis verus anima concentus sit.* 885
- CAPUT XVIII.
- De variis Ritibus, quibus utitur Ecclesia Catholica in recitandis divinis Officiis.
- §. 1. **O** *Rhodoxam Ecclesiam varietatibus exornari. Varias Ecclesiarum consuetudines unitati fidei non obesse.* 888
- §. 2. *De Ritu Romano.* 890
- §. 3. *De Ritu Monastico pro his qui militant sub Regula S. Benedicti. Premittuntur quadam de excellentia hujus sanctissimi Monachorum Patriarchæ.* 892
- §. 4. *De Ritu Cisterciensium.* 895
- §. 5. *De Ritu Carthusianorum.* 897
- §. 6. *De Ritu Præmonstratensium.* ibid.
- §. 7. *De Ritu prædicatorum.* 898
- §. 8. *De Ritu Carmelitarum.* ibid.
- §. 9. *De Ritu Lagunenſis Ecclesiæ.* ibid.
- §. 10. *De Ritu Ambrosiano.* 899
- §. 11. *De Ritu Mozarabico.* 901
- §. 12. *De aliis quibusdam ritibus Ecclesiæ Latine.* 903
- §. 13. *De Ritu Grecorum.* ibid.
- §. 14. *De Ritu Græco Monachorum Cryptæ ferratæ Ordinis S. Basilii.* 906
- §. 15. *De Ritu Armenorum.* 907
- §. 16. *De Ritu Maronitarum.* 909
- §. 17. *De Ritu Illyricorum.* 911
- §. 18. *De Ritibus Abassinorum & Coptorum.* ibid.
- §. 19. *De aliis quibusdam ritibus Ecclesiæ Orientis.* 912
- §. 20. *De Codicibus sacrarum præcationem.* ibid.
- CAP. IX. De disciplina psallendi.
- §. 1. **D** *E duplici præparatione ante officium, remota & proxima. Remotam in rectitudine vitæ, in libertate animi, in oris taciturnitate: Proximum in puritate intentionis, in divina præsentis consideratione, in divini auxilii imploratione sitam esse.* 914
- §. 2. *Utrum oratio ad intellectum, an verò ad voluntatem pertineat. Variæ orationis definitiones. Utriusque potentis actus requiruntur ad bene orandum. Intellectum attentione, voluntatem devotione componi. Actum prius de reverentia, qua componitur externus homo. Ea quid sit, & quotuplex, & que ejus incitamenta.* 917
- §. 3. *Ceremonia quid sit, & que hujus nominis origo. Earum efficacia, & utilitas ad divinum cultum. Vere à falsis, & superstitiosis discernenda. Exteriores ceremonias sine interno spirituum prodesse.* 920
- §. 4. *De Attentione. Eam triplicem esse ad verba, ad sensum verborum, ad finem qui Deus est. Que & quanta harum attentionum vis, & necessitas. De eo, qui rapitur extra se dum psallit, controversia quedam tractantur, & solvuntur.* 922
- §. 5. *Multis evagationibus humanam mentem subjectam esse. Omnes evagationes è septem fontibus oriri: à curis & sollicitudinibus, à magna negotiorum mole, ab otio, à superfluis colloquiis, ab animi perturbationibus, à sensuum exteriorum libertate, & ab instabilitate imaginationis.* 926
- §. 6. *Septem evagationum remedia sigillatim enumerantur. Evagationes involuntarias*

rias nullum orationi detrimentū inferre. 929

§. 7. Quid sit Devotio, qui ejus effectus, & efficacia. Tum novem documenta ingeruntur ad eam comparandam, & conservandam. 930

§. 8. Quae sint impedimenta devotionis. Interioris, & exterioris hominis pugna, & humane calamitatis deploratio. Oratio ad impetrandam gratiam devotionis. 933

CAPUT XX.

De variis Sanctorum exemplis ad Divinum officium pertinentibus.

§. 1. Exemplorum magnam esse vim ad vitam recte instituendam. 936

§. 2. Exemplorum Decades quatuor. 937

§. 3. Operis clausula, & pro ea gratiarum actio. 944

INDEX CARMINUM.

METRUM I.

Initium operis cum invocatione superni auxilii. Versus heroicus ex ameter solus, ut apud Boetium, & Martianum Capellam. Pagina 649

METRUM II.

Adversus Atheos Scazon, quo passim omnes Epigrammatographi utuntur. 654

METRUM III.

Enthusiasmus, & dicendorum propositio. Versus ex ameter heroicus. 670

METRUM IV.

Affectus erga Christi Passionem. Ode, Dicolos Distrophos: primus versus est ex ameter heroicus, secundus senarius jambus, ut apud Horatium epod. od. 16. 673

METRUM V.

De brevitare vita Ode, Tricolos tetra-strophos. Duo primi Versus sunt Alcaici Dactylis ex Penthemimere jambica, & duobus dactylis: Tertius est dimeter jambus Hypercatalectus: Quartus constat ex duobus dactylis, & duobus trochais: ut apud Horatium, lib. 1. od. 9. 675

METRUM VI.

De horis & horologiis, Elegia prima. 685

METRUM VII.

Noctis Encomium Ode, Dicolos tetra-strophos. Tres primi versus sunt Asclepiadei: Quartus Glyconicus, ut apud Horatium, lib. 1. od. 6. 699

METRUM VIII.

Potentia Amoris in nocte, & somnium, atque apparitio sapientia. Elegia secunda. 703

METRUM IX.

Laus Aurora. Carmen Anacreonticum, quo post Anacreontem festivissime utuntur Martianus Capella, Prudentius, & Sidonius Apollinaris: Primus pes est jambus, Spondeus, vel Anapestus, sequuntur duo Jambi & syllaba. 711

METRUM X.

Invitantur omnes creatura ad cantandum Deo laudes. Ode, Dicolos tetra-strophos. Tres primi versus sunt Dactylis Alemanni, & constant ex spondeo, dactylo, & casura: Deinde dactylo & spondeo. Quartus est Pherecratus ex spondeo, dactylo, & spondeo. Hanc compositionem, sive ut loquitur Terentianus Maurus, hanc compagem & concinnationem, qua versus alternat, apud neminem vidi. Usus sum ego primus haud invenuste. 716

METRUM XI.

Describitur Ortus Solis. Versus Glyconici, ut apud Senecam & Boetium saepe. 717

METRUM XII.

Oratio ad Christum. Ode, Dicolos tetra-strophos. Tres supplici cum Adonio, ut apud Horat. lib. 1. od. 2. 725

METRUM XIII.

Enthusiasmus ob Adventum Spiritus Sancti. Ode Dicolos distrophos. Glyconicus cum Asclepiadeo, ut apud Horat. l. 1. od. 3. 726

METRUM XIV.

Describitur Adventus Spiritus S. Ode, Dicolos distrophos. Primus versus est Ex ameter heroicus. Secundus est dactylicus trimeter hypermeter ab exordio constans primo ex una syllaba longa, vel duabus brevibus, deinde ex tribus ultimis pedibus versus heroici. Utuntur hac compositione Lyrici recentiores. 730

M E

METRUM XV.

Verus Sol est Deus. Ode, Dicolos distrophos. Sapphicus cum Glyconico, quâ compositione utitur Boetius Lib. 2. Metr. 3. Hujus autem Metri argumentum ab eodem Boetio acceptum est, lib. 5. Metr. 2. 733

METRUM XVI.

Affectus Sponsæ, id est anime querentis sponsum Elegia tertia. 735

METRUM XVII.

Laudatur mediocritas. Ode, Tricolos tetrastraphos. Duo Asclepiadei cum Pherecratio, & Glyconico, ut apud Horatium, lib. 1. od. 5. 736

METRUM XVIII.

Affectus anime amantis erga Christum Crucifixum. Ode, Dicolos distrophos jambicus trimeter cum dimetro, ut apud Horatium. Epod. od. 1. 742

METRUM XIX.

Comparatio antiquæ, & nostræ ætatis. Anapestici dimetri, quibus passim utuntur Seneca, Boetius, & alii. 747

METRUM XX.

Rerum vicissitudo. Ode, Dicolos distrophos. Tetrameter dactylicus cum penthemimere dactylica, quâ compositione utitur Ausonius. 750

METRUM XXI.

Invitatio ad lacrymas. Elegia quarta. 752

METRUM XXII.

Pax ubi invenienda. Phaleucii Hendecasyllabi, ut apud Boetium, Martialem, & alios. 753

METRUM XXIII.

Sicut Sol, ita & homo vix natus vergit ad finem. Ode, dicolos distrophos. Exameter, heroicus cum dactylico tetrametro, ut apud Horatium, lib. 1. od. 7. 762

METRUM XXIV.

Contemptus terra, elevatio ad Cælum, varique affectus amantis anime. Dithyrambus. Versus Dactylici, Jambici, Trochaici. Anapestici, Choriambici, Antipastici, Ionici, Pæonici, diversorum generum, puri, & impuri, integri, & mutili; simplices & compositi. A-

mat Dithyrambus genus dicendi tumidum, plenum vocum compositarum, quas Horatius sefquipedales vocat plenum iocorum, & licentie. Sed ab his consilio abstinui, ne luderem in re seria: solam autem libertatem, & inconstantiam Dithyrambi in varietate versuum sequutus sum. 767

METRUM XXV.

Invocatio B. Virginis Maria, versus dactylici qui constant ex syllaba longa, vel duabus brevibus in principio, deinde ex tribus postremis pedibus versus heroici. Utuntur his Boetius, l. 2. Metr. 5. & Mart. Capella, l. 2. 771

METRUM XXVI.

Laudes, & invocatio B. Virginis. Elegia quinta. 774

METRUM XXVII.

Conjuratio inferni, ut portas pandat. Versus Trochaici tetrametri brachicatalecti, ut apud Senecam, Prudentium & alios. 779

METRUM XXVIII.

Mortis contemplatio vera Philosophia. Ode, Dicolos distrophos. Trimeter jambicus cum Pentametro elegiaco, ut apud Boetium, lib. 3. Metr. 6. 782

METRUM XXIX.

Omnia contemnenda, quia inexorabilis est. Ode, dicolos distrophos ad instar illius Horatiana, Non ebur, neque aureum: lib. 2. od. 18. 789

METRUM XXX.

Felicitas penitentis. Ode, Dicolos Distrophos. Dactylicus trimeter hypercatalectus cum pherecratio, ut apud Boetium, l. 3. Metr. 6. 791

METRUM XXXI.

Litaniæ. Ode Dicolos distrophos. Exameter heroicus cum dactylico trimetro hypercatalecto. Hac compositione usus sum ego primus sine ullo exemplo. 796

METRUM XXXII.

Oratio & excessus ab humanis. Trimetri jambici. 800

METRUM XXXIII.

Divitum cura. Ode, Dicolos distrophos, Hhhhhh Asclepia-

- Asclepiadeus cum Dimetro jambico, ut apud Boetium, lib. 3. Metr. 8.* 801
- METRUM XXXIV.
- Vera felicitas. Ode, Monocolos, Asclepiadei. Horat. lib. 1. od. 1.* 803
- METRUM XXXV.
- Viri iusti constantia. Ode, Dicolos distrophos. Sapphicus cum dimetro jambico, quâ compositione utuntur Recentiores.* 806
- METRUM XXXVI.
- Conformitas humane voluntatis cum divina. Ode, dicolos distrophos. Phalencius hendecasyllabus cum pentametro elegiaco, ut apud Boetium, lib. 4. Metr. 4.* 808
- METRUM XXXVII.
- Oratio Dominicalis. Ode, dicolos distrophos. Versus exameter cum Penthemimere dactylica, ut apud Horatium, l. 4. od. 7.* 811
- METRUM XXXVIII.
- Mysteria fidei. Ode, Monocolos Aleaici dactylici, quibus utitur Claudianus in Epithalamio. Constant ex Penthemimere jambica & duobus dactylis.* 817
- METRUM XXXIX.
- Oratio penitentis ad Christum. Ode, Dicolos distrophos. Trochaicus dimeter cum Glyconico. Utuntur hac compositione Lyrici recentiores.* 820
- METRUM XL.
- Varii affectus amantis anima erga sponsum absentem, & presentem dulcisque lucta amoris creati, & increati. Elegia sexta.* 842
- METRUM XLI.
- Laudatur David, ejusque Psalmi. Ode, Dicolos distrophos. Asclepiadeus cum Pherecratio, ut apud Boetium, lib. 2. Metr. 2.* 846
- METRUM XLII.
- De Sanctis Martyribus. Ode, Dicolos distrophos. Exameter cum dimetro jambico, ut apud Horatium, epod. od. 4.* 865
- METRUM XLIII.
- Concentus musicus in laudem Dei. Ode, Dicolos distrophos. Trochaicus dimeter acatalectus. Cum altero dimetro catalecto, ut apud Martianum Capellam, lib. 2.* 874
- METRUM XLIV.
- Harmonia mundi. Ode, Dicolos distrophos. Tetrameter dactylicus cum dimetro jambico, ut apud Boetium, libr. 4. Metr. 1.* 887
- METRUM XLV.
- Laudes Divi Benedicti Paris Monachorum. Ode, Dicolos distrophos. Exameter cum dactylico tetrametro acatalecto, ut apud Boetium, lib. 1. Metr. 3.* 893
- METRUM XLVI.
- Ubique Deus. Ode, Tricolos tristrophos. Exameter heroicus cum dimetro jambico, & penthemimere dactylica. Horat. epod. od. 13.* 916
- METRUM XLVII.
- Angeli orantibus, & psallentibus assistunt. Elegia septima.* 918
- METRUM XLVIII.
- Laudes solitudinis Dimetri jambici, quibus solis utuntur Ausonius & alii.* 932
- METRUM XLIX.
- Amoris potentia. Ode, Tricolos tristrophos. Trimeter jambicus cum penthemimere dactylica, & dimetro jambico, ut apud Horatium, epod. od. 11.* 935
- METRUM L.
- Et ultimum.
- Hymnus Eucharisticus. Carmen Exametrum.* 944